Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

# Naturalis historiae opus nouum. : in quo tractatur de natura et viribus arborum, fruticum, herbarum, Animantiumq[ue] terrestrium, uolatilium & aquatilium: Item, Gemmarum, Metallorum, Succorumq[ue] concretorum, adeoq[ue] de uera cognitione, delectu & usu omnium simplicium medicamentorum, quorum & Medicis & Officinis usus esse debet: Vnà cum eorundem ad uiuum effigiatis imaginibus.Ex utriusq[ue] lingu[a]e summorum uirorum penetralibus, summo labore & studio conscripta,

https://hdl.handle.net/1874/437950

## Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

**Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- **de rug van het boek**
- **de kopsnede**
- **de frontsnede**
- **de staartsnede**
- **het achterplat**

## This book is part of the Van Buchell Collection

**Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:**
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**

- **the spine**
- **the head edge**
- **the fore edge**
- **the bottom edge**
- **the back board**

R. fol.
31



R. fol.
31

R. fol. 31

# NATVRALIS HI-

## STORIAE OPVS NOVVM. IN QVO TRACTA-TVR DE NATVRA ET VIRIBVS ARBORVM, FRVTICVM, HERBA-rum, Animantiumq; terrestrium, uolatilium & aquatilium: Item, Gem-marum, Metallorum, Succorumq; concretorum, adeoq; de uera cogni-tione, delectu & usu omnium simplicium medicamentorum, quo-rum & Medicis & Officinis usus esse debet: Vnà cum eo-rundem ad uiuum effigiatis imaginibus. Ex utriusq; linguę summorum uirorum penetralibus, sum-mo labore & studio conscripta, Per Adamum Lonicerum.

ACCESSERVNT QVAEDAM DE STIL-latitiorum liquorum ratione, eiusq; artis & Instrumentorum usu, atque de peculiaribus medicamentorum simplici-um facultatibus.

CVM INDICE QVINTVPLICI: GRAECO, LA-tino, Germanico, Gallico, & morborum Medicinas continente.

Sacrificium Deo, cor humiliatum. Psal. 50.

Cum Gratia & Priuilegio Imperiali. 1551

FRANCOFVRTI, Apud Chr. Egenolphum.

Ex donatione Buselli.

# ELENCHVS TRACTA-
tuum huius Operis.


De solo ac fundo, & ijs quæ in eo nascuntur folio 1 a
De Arboribus & fruticibus. folio 10 c
De Natura & Viribus plantarum 59 a
De Frumentis 249 d
De Animantibus terrestribus 268 a
De Animantibus uolatilibus, hoc est, de Auibus 288 a
De Animantibus aquatilibus, hoc est, de piscibus 300 b
De mixtis perfectis, hoc est, de metallis & lapidibus, alijsq; his cognatis fossilibus. 310 a
De lapidibus precijosis 321 c
De succis concretis, quorum in Medicinis est usus 327 b
De ratione eliciendi succos è plantis, quam artem Destillatoriam uocant, recto usu & Instrumentis eiusdem. 337 a
Quo pacto gradus & ordines, quorum passim fit mentio, sint intelligendi, item de speciali quarundam plantarum & aliarum rerum secundum gradus distinctione. 349 a
Medicamenta peculiaria ad speciales corporis partes 350 a
De secundis medicamentorum simplicium facultatibus, ibid. c
De purgantibus simplicibus medicamentis. 351 b
De ponderibus, quorum in Medicinis est usus. 352 a.


CLARIS

# CLARISSIMO MEDICINAE DOCTORI, DOMINO GVILIELMO OSTERRODO, MOGVNTINENSI MEdico celeberrimo, Domino & patrono suo singulari, Adamus Lonicerus, S. D.

VVM RECTIORE MECVM VIA REPVto, Doctor eximie, & patrone singularis, tua erga me beneficia, quæ & hactenus mihi omni cum beneuolentia & humanitate exhibuisti, & indies adhuc exhibes, non possum non uehementer animo meo lætari, & mihi ipsi congratulari. Ac omnino peculiari quodam numine me ad tuam uenisse humanitatem, persuasum mihi habeo: non exiguum quid ex conuersatione & sermonum collatione mutua mihi accedere animaduertens: Pro quibus tuis beneficijs quoad uixero, ut par est, tibi tuisq;, pro ea quæ in me est opera, me gratum habebis. Auro quidem & argento minimè (siquidē id in meis non est uiribus, nec animi accepta bona ullis unquam fortunæ muneribus compensari possunt) sed si quid ingenij mei studio tuis, uitam fatis fauentibus, inseruire ac prodesse potero. Quod etiam de me tuā sibi humanitatem polliceri scio. Proinde ut aliquod animi signum apud te deponam, has tibi uigilias meas, ex eruditissimorum uirorum penetralibus erutas, offero, partim quidem ut rationem mei ocij studiorumq; reddam, partim uerò ut tui nominis auspicio & reuerētia, tutius in luce uersari possint. Cùm enim naturali quodam genio, parentisq; mei nunq; non mihi uenerandi adhortatione & instinctu, ad naturalium rerum studium, Medicam uidelicet facultatem, ferrer: uideremq; neminem in hac ipsa cum fructu, & minimo etiam profectu, absq; simplicium cognitione uersari posse: non aliter atq; si faber aliquis artificij sui instrumenta ignoret: omne meum studium, omnemq; operam huc direxi, ut simplicium, ut uocant, cognitionem ante omnia acquirerem. Euolutis itaq; doctissimorum uirorum de his rebus lucubrationibus, & uiuis simul herbis collatis, earum descriptiones & naturas sigillatim descripsi, uariorumq; censuras simul adieci, ut hoc pacto aliorum iudicium uno uelut intuitu cernerem, & quæ inter hæc potior esset sententia, uiderem. *Ratio huius operis*

Ac primo quidem loco ueram & genuinam plerunq; descriptionem posui, postea aliorum, si qua esset diuersitas, opiniones subieci: non solùm Latinis, sed aliarum etiam linguarū nomenclaturis adscriptis. Primùm uerò ex M. Varrone, Palladio, Columella, generalibus de hortorum, arborum, & plantarum cura & insitione præmissis, ab ipsis arboribus & fruticibus sum exorsus; eiusq; generis circiter nonaginta collegi: postea plantas seu herbas seorsim ordine quoq; suo descripsi. Quod uerò ad uires attinet, non inconueniens is ordo uisus est, quem plurimum de re herbaria meritus, uir præclarus Hieronymus Tragus est secutus: pri- *De modo & ordine.*

mũm pro internis corporis partibus, hinc pro externis, sigillatim eas enumerando. Non solùm autem ea quæ multorum sunt libris prodita, sed etiam quæ certa experientia ab alijs deprehensa fideli relatione accepi, inserui. Hunc uerò ordinem & modum præ alijs posse cuiuis placere existimo: siquidem quæ multi de una herba unanimiter protulerunt, breui hic uelut compendio, autorum nominibus plerunq; adiectis, inueniuntur. Ac consultum hac in parte est ijs, quibus singulorum autorum non est copia, uel quibus singulos perlegere est molestum. In Animantium uerò enumeratione, primùm quæ ex ipsis fiunt, ipsorumq; generalem naturam & partes expossui: uelut sunt carnes, lac, caseus, butyrum, sanguis, pinguedines, lana, mel, cera, excrementa, oua, idq; genus alia. Deinde specialem eorum descriptionem subnexui, præmissis terrestribus, secundo uerò loco positis uolatilibus, tertio ordine aquatilibus, uariarum similiter linguarum appellationibus, uiribusq; adiectis. Postremo etiam loco de Metallis, Lapidibus & Gemmis, Succisq; dictis concretis, eodem ordine & modo addidi: nominibus scilicet, descriptionibus, aliorum censuris & uiribus expositis. Quantum uerò ad autores, in herbaria quidem materia duces secutus sum, ex ueteribus & Græcis & Latinis, Theophrastum, Dioscoridem, Galenum, Aeginetam, Plinium, ac antè enumeratos rei rusticæ scriptores: ex recentioribus uerò nostri maximè seculi eos, qui in hac parte laudem præcipuam meruerunt, quales sunt: Euricius Cordus uita defunctus, Ioannes Ruellius, Ianus Cornarius, Leonhardus Fuchsius, Hieronymus Tragus, nemini hac in parte, quocunq; etiam iudice, facilè cedens. Non parum etiam Valerij Cordi commentaria adiumenti tulerunt. Nec laude sua priuabo Ioannem Frensrebum Moguntinensem Pharmacopolam uerè candidissimum, nec non Ioannem Nesenum, Francofurtensem Pharmacopolam, simplicium indagatores sagacissimos, quorum posterior, ut innumeras alias silentio præteream, Asphodelum in horto suo fouet, eamq; nobis, ut suo loco in Asphodeli descriptione uidere est, depingendam radice, flore, totaq; substantia exhibuit. In Animantibus uerò præter Aristotelem, Theophrastũ & Plinium, autores quoque fuerunt Athenæus, Solinus, Oppianus, Ausonius in Mosella, nec non alij, suis locis nominati. In metallis, lapidibus, & succis concretis, preter Dioscoridẽ & Plinijũ, Albertus Magnus, & inprimis Georgius Agricola, nec nõ Valerij Cordi lucubrationes. Ex his itaq; autoribus me profecisse & mea habere fateor.

*Quos autores sit secutus.*

*Quo consilio sint hæc scripta.*

Nec eò hæc à me scripta sunt, quòd alicuius ego scripta aut contemnam aut uilipendam, imò omnes eos quicunq; in his unquam aliquid memoriæ prodiderunt, & ueneror & amo plurimum: quippe qui publico bono inseruierunt, & plurimum etiam commodarunt. Ac proinde consilium meum est, ut his scriptis non solùm mihi, sed & alijs harum rerum auidis, si quo modo fieri queat, prodesse possim. Qua de causa nõ solùm

arbores

arbores & plantas, quas cognoscere hodie licet, omnes, quantum fieri potuit, huc inserui, sed idem in animantibus etiam & metallicis, concretisq; succis feci: diuersis ubiq; appellationibus appositis: Vt hoc pacto uno uolumine, simplicem præcipuam materiam medicam contentam haberem. Non tamen defuturos scio ad proscindendum & calumniandum suo more natos homines, qui in quoslibet, & ueteres & nouos scriptores non uerentur suos dentes acuere, qui etiam hunc meum laborem sint reprehensuri, & uelut inutilem & superfluum post tot tantorumq; uirorũ uigilias & scripta damnaturi. Verùm ij discant audiantq; Græcum hunc senarium:

Μωμήσεταί τις ῥᾴον ἢ μιμήσεται. Hoc est:
Est facile alterius cuiuis ridere labores,
Illis te similem non facilè exhibeas.

Talibus item cum Platone summo philosopho dico, qui cùm à quodam conuitijs impeteretur, λέγε, inquit, κακῶς, ἐπεὶ καλῶς οὐκ ἔμαθες. Hoc est: Malè loquere, quoniam bene non didicisti. Saturati conuitijs, & ab ijsdem dedecore affecti, sponte abstinebũt. Nã præclarè inquit Philemon:

ὁ λοιδορῶν γὰρ ἂν ὁ λοιδορούμενος
Μὴ προσποιῆται, λοιδορεῖται ὁ λοιδορῶν Hoc est:
Calumniator nanq;, si non curet is
Qui læditur, sese ipse dedecore afficit.

Ac idem inquit:

Ἡδίον οὐδὲν οὐδὲ μουσικώτερον
Ἐστί, δύνασθαι λοιδορούμενον φέρειν. Hoc est:
Est suauius nil, nec magis quod conuenit
Homini, studet præcepta qui philosophica,
Quàm ferre posse fortiter calumnias.

Quare illis etiam cum Dione Academico οὐδὲ γρύ respondendum censeo. A tua uerò opto humanitate, Doctor clarissime, hos meos labores probari, ac ut Hector patrem suum apud Nęuium alloquitur, Ciceronem locum illum in Epistolis referente, & pari modo M. Catonem alloquente, Letus sum, inquiens, me abs te pater laudari; laudato uiro: Ea enim est profectò iucunda laus, quæ ab ijs proficiscitur, qui in laude uixerunt. Pari modo & ego lætor, me tibi laudato & probato uiro probari, cui uerè Homericum illud tribui potest:

Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Hoc est:
Omnibus est alijs Medicus præstantior unus.

Quod plurimorum & maximorum longè lateq; uirorum de te testimonia perhibent. Quòd si hæc mea tibi eiusmodi uisa fuerint, quæ aliquid utilitatis in se abscõdant, id quod uolui consecutus uidebor, eritq; tuum mihi iudicium super omnium aliorum longè præstantissimum. Sin secus uidebitur, lubens cedam, ac tuo arbitrio permittam, ut pro tuo in eum iure agas, & uel corrigas, uel nigrum deniq; Theta præfigas.

Nouerunt autem, qui mihi laboris huius autores fuerunt, quàm eutulgationem eius ſubterfugerim, non ignarus quantum ſit publico ſe omnium iudicio exponere, ac dicti etiam illius Horatiani memor, in arte poëtica dicentis:

Sumite materiam ueſtris, qui ſcribitis, æquam
Viribus, & uerſate diu quid ferre recuſent,
Quid ualeant humeri.

Idem ego mecum perpendens, non parum certè anxius & ſollicitus fui, uidens ſatis arduum humeris meis negocium incumbere, poſt tam multos præſertim, præſtantiſsimoſq; ſcriptores, atq; omnino à publicatione abhorrebam. Quin & illud Horatianum mecum deliberabam:

Carmen reprehendite, quod non
Multa dies & multa litura coërcuit, atq;
Perfectum decies non caſtigauit ad unguem.

Verùm per amicos quoſdam, admodum mihi in hoc importunos, & penè moleſtos, tandem effectum eſt, ut non exiguo eorum deſiderio prælum ſubierit, mihi uerò cura magis magisq; accreuerit, enitendo, ut cum honeſto ueſtitu, & minimè fucata ſpecie in publicum prodiret. Nulla igitur nec interdiu, nec nocte fuit requies, ſæpius multumq; eum reuoluendo ac limando. Spero tamen hæc qualiacunq; bonis & doctis uiris placere poſſe, non quòd ipſis prodeſſe queant, ſed quòd alijs forſan, quorum animus ad harum rerum cognitionem anhelat, uſui eſſe ualeant: Tum quòd nemo hactenus, quod ſciam, uno uolumine de his cũctis ſcripſerit. Sin quibuſdam diſplicebit, Theognidicam illis hanc ſententiam occinam:

οὐδ' ἐγὰρ ὁ Ζεὺς
οὔθ' ὕων πάντας ἀνδ' ἄνεω, οὐδ' ἀνέχων. Hoc eſt:

Nec nimbos cœlo demittens Iuppiter alto,
Nubibus aut pulſis cùm fulget in aëre Phœbus,
Omnibus ex æquo placet.

Nihil noui eſt inuidos, & maleuolos eſſe, qui pro ſuo ingenio & animi petulantia, omnia in ſiniſtrã partem rapiant & interpretentur. Quin & rectè fortunę comitem adiunxerunt inuidiam, quæ bonos conatus & ſtudia, eò quòd ipſa horum ſit egena, ubiq; impedire conatur. Porrò de antiquitate, dignitate, adeoq; neceſsitate huius materiæ, non eſt quòd quidquam hic dicatur: cùm conſtet hanc ipſam cognitionem eſſe antiquiſsimam, & primis parentibus ſtatim à Deo Opt. Max. traditam, & ſumma cum laude & admiratione à poſteris excultam, inq; ſumma ſemper ueneratione omnibus ſeculis fuiſſe. Quod antiquiſsimi Græcorum poëtæ ſatis teſtantur: adeò etiam, ut non paucis ſimplicium & reges & principes ſua nomina communicarint. Velut à Gentio Illyriorum rege Gentiana nomen accepit. Ab Achille Achillea eſt dicta. Ab Teucro Teucrium. Cuiuſmodi aliæ ſunt plurimæ herbæ. Nec quenquam adeò

uacare

uacare omni ratione credo, ut neget omnia hæc ad hominis usum ab æterno & cœlesti numine esse condita: cùm in his omnis nostra uita & sanitas consistat. Quid igitur turpius, & quod maius piaculum esse potest, quàm ea quæ ipsius gratia condita sunt, hominem ignorare? præsertim uerò hominem philosophum, & naturæ studiosum? Quis non diuinam maiestatem in his contemplatur, miratur, suspicit, dum tantas in tam minutulis, uilibus, & abiectis sæpe herbis uires & facultates conspicit? Quas diuinitus ad nostri commodum & utilitatem esse inditas, nemo inficias ire potest: ut his partim ad corpus nutriendum, partim ad morbos profligandos utamur. Quod etiam non immerito multos philosophos & gentiles permouit, ut mortalium genus Deo curæ esse certò crederent: non frustra hæc à sapiente & æterna mente tantis uiribus donata rectè secum reputantes. Restat, Doctor humanissime, ut nominis tui felici prodeuntem omine librum suscipias, ac tanquam pignus aliquod mei erga te tuosq; animi habeas, contraq; uarios quos perpessurus est forsan insultus, Achillea manu protegas: me uerò tuæ humanitati commendatum, ut hactenus, habeas. Vale. Francofurti in feriis Penteco-
stalibus, Anno salutiferi partus
M. D. L I.

AD LECTOREM IOANNES Vuayhingerus, Austriacus.

*Natura rerum causasq; tenere latentes*
*Non leue cùm nemo nesciat esse decus:*
*Iudice me, summo Lonicerus honore colendus,*
*Et super astra poli laude uehendus erit.*
*Dignus & omnino est Pylios qui uiuat in annos,*
*Cuiq; diu in terris parcere fata uelint.*
*Cui semper blando lætißima rideat ore,*
*Inconstans alijs quæ Dea numen habet.*
*Quem foueat, larga cui det sua munera dextra,*
*Perpetuoq; nouis augeat usq; bonis.*
*Hic etenim eximium, Phœbo adspirante, uolumen*
*Composuit, dignum tempus in omne legi.*
*Abdita quæq; potes minima cognoscere cura,*
*Discere & exiguo tempore multa licet.*
*Vndiq; quas habeant terra nascentia uires,*
*Contra quas ualeat quælibet herba lues.*
*Hinc qua uiua etiam uirtute animantia præstent,*
*Ordine legitimo continet illud opus.*
*Nec saltem medicas labor hic tractantibus artes*
*Proderit, in quorum nitor ego esse choro:*
*Verùm etiam, reliqui studij genus omne sequentes*
*Qui (mihi crede) aliqua parte leuabit, erit.*
*Quare his incumbens si fortè iuuabere scriptis,*
*Dic grates docto, qui dedit ista, uiro.*

INDEX GRAECA-rum appellationum, quæ hoc uolumine continentur.


A.

Αβρότονον 150 b
Αγαρικόν 54 b
Ἁγνός 25 a
Ἀγριελαία 21 a
Ἀγριοκοκκυμηλέα 51 a
Ἄγρωσις 173 b
Ἀδίαντον 221 b
Ἀείζωον 59 b
Ἀετός 290 b
Ἀηδών 297 a
Αἴγειρος 26 d
Αἴγιβος 297 d
Αἰγίλωψ 31 c
254 b
Αἰγοβάλανος 297 d
Αἰγόκερως 107 b
Αἴθυια 296 a
Αἴξ 277 d
Αἶρα 256 c
Ακάκια 51 d
Ακαλύφη 188 b
Ακανθα 69 c
Ακανθαλδική 70 b
Ακάνθιον 68 d
Ακανθίς 297 b
Ακινος 116 c
Ακόνιτον 146 b
Ακορον 178 a
Ακτή 47 b
Ακοπος 56 c
Αλεκτρύων 289 c
Αλθαία 157 a
Ἁλικάκαβος 100 c
Αλισμα 131 d
Ἅλκη 79 a
Αλσίνη 167 b
Αλώπηξ 282 d
Αμφισβαῖνα 286 b
Αμάρακον 217 b
Αμμι 232 d
Αμπελος ἀγρία 19 c
Ἀμάραντος 104 a
Αμπελος οἰνοφόρος 18 c
Ἄμπελος μέλαινα 209 d
Αμπελοπράσον 195 a
Αμυγδάλη 28 b
Αμωμον 258
Αναγαλλὶς 168 a
Ἀνάγυρις 56 c
Ανδράχνη 60 d
Ανδρόσαιμον 130 a
Ανεμώνη 83 a
Ανηθον 234 a
Ανθεμις 89 d
Ανθρήνη 299 a
Ανισον 234 c
Αντίρρινον 85 c
Ανωνις 72 a
ἀπαφείνη 243 a
ἄπιον 11 b
ἄπιος 269 a
ἀποδες 298 a
ἀράχνη 286 d
ἀρισολοχία 134 a
ἄρκτος 282 d
ἀρκεῖον 64 c
ἀρκευθὶς 24 b
ἄρκτιον 64 c
ἄρνιον 275 d
ἀρνόγλωσσος 142 a
ἄρον 200 a
ἀρτεμισία 151 a
ἄσαρον 127 a
ἀσκληπιὰς 134 d
ἄσκυρον 130 a
ἀσπαραγος 141 b
ἀσπάλαξ 285 a
ἀσπὶς 285 d
ἀστράγαλος 260 d
ἀστὴρ ἁπλικός 101 b
ἀσφόδελος 204 a
ἀστακτυλὶς 65 c
ἀτράφαξις 187 a
ἀτηάγην 291 c
ἐτινθιον 149 b
ἀφάκη 248 b
ἀφροδίσια 177 d
ἀχιλλεία 240 a

B.

Βαθύπικρον 149
Βαλώτη 110 a
Βασίλισκος 286 b
Βάτος 41 b
Βήχιον 226 b
Βλίτον 187 b
Βόμβυξ 287 a
Βομβίλιος ibid.
Βότρυς 73 c
Βὸβαλὶς 277 d
Βοβώνιον 101 b
Βόγλωσσος 144 b
Βόκερος 107 b
Βονιὰς 191 a
Βάτος ἰδαία 41 c
Βατράχιον 162 c
Βάτραχος 285 a
Βάτρησις 299 c
Βυὰς 293 d
Βῶς 276 d
Βουφθαλμὸς 88 a
Βράβυλα 52 b
Βραβὺς 23 b. 179 b
Βρύον 55 a. 208 d
Βρῶμος 254 b
Βόλβος 193 a

Γ.

Γαλὴ 284 c
Γαλεώτης 280 d
Γαλίοψις 109 a
Γάλλιον 242 d
Γέρανος 292 d
Γιγγίβερι 261 d
Γιγγίδιον 238 a
Γλαύξ 293 d
Γλήχων 114 b
Γλυκεῖα 185 c
Γλυκύῤῥιζα ibi b
Γναφάλιον 174 a
Γογγυλὶς 191 b
Γεράνιον 152 a
Γλυκυσίδη 184 b
Γλυκύπικρον 209 b
Γύψ 291 b

Δ.

Δαῦκος 229 b
Δασίπους 283 d
Δάφνη 21 c
Δάφνη ἀλεξανδρίνη 169
Δαφνοειδὲς 170 d
Δαφνίδες 21 c
Δίψακος 66 c
Δόλιχος 245 d
Δορκὰς 283 b
Δρακοντίαι 200 b
Δράκων 286 a
Δρυοκολάπτης 296 b
Δρυόπτερις 224 c
Δρὺς 31 c

E.

Ελάτη 35 b
Ελαία 19 d
Ελατίνη 137 d
Ελαφοβόσκον 259 b
Ελαφος 218 d
Ελειὸς 284 d
Ελελισφακος 122 a
ἑλένιον 132 b
Ελεοσέλινον 236 b
Ελέφας 282 c
ἑλλέβορος 171 a
ἕλμινθες 287 b
ἑλξίνη 137 b
ἑλξίνη κισσάμπελος 207 b
ἑλίχρυσον 104 a
ἕλυμος 255 b
ἐμπετρον 220 d
ἐνυδρὶς 284 c
ἐπιλαὶς 298 a
ἔπος 296 c
ἐωλάφυλλον 215 c
ἐρέβινθος 244 d
ἐρέικη 37 b
ἐρισέρον 96 b
ἐρυσφος 277 d
ἔρπυλλον 119 a
ἐρυθρόδανον 243 d
ἐρώσιος 294 d
Εὔζωμος 164 b
ἐυπατώριον 217 d 242 b
ἐυφρασία
ἐχενηὶς 307 c
ἐχῖνος θαλάσσιος 283 a
ἔχιον 143 b
ἐχὶς 285 d

Z.

Ζέα 251 d
Ζεῖα ibi.
Ζιζάνιον 256 c
Ζυγία 44 b

H.

Ηδύοσμος 112 b
Ηλύσαρον 294 a
Ηλιοτρόπιον 94 a
Ημεροκαλλὶς 203 b
Ημιόνιον 225 b
Ημίονος 280 b
Ηριγέρων 96 c
Ηρύγγιον 72 c

Θ.

Θάλικτρον 182 d
Θερμὸς 247 b
Θηλυκρανείας 14 b
Θηλύπτερις 223 c
Θλάσπι 160 a
Θραυπὶς 297 b
Θρυάλλις 140 c
Θρισάκινη 91 a
Θρίφαξ 91 a
Θύμβρα 120 a
Θύμος 119 b

Θυμελαία 38 d

I.

Ιακεῖα 181 b
Ιβερίς 160 a
Ιεράκιον 92 a
Ιέραξ 291 a
Ιερο βοτάνη 138 d
Ἰκτῖν 291 b
Ἶξ 51 a
Ἰόν 18 a
Ἵππ 279 d
Ἱππόγλωσσον 109 d
Ἱππολάπαθον 83 b
Ἱππομάραθρον 233 c
Ἱπποσέλινον 237 c
Ἵππουρις 175 b
Ἶρις 178 b
Ἴσαρον 201 b
Ἴσατις 149 a
Ἰτέα 25 c
Ἴυγξ 297 a

K.

Καπαλία 183 a
Καλαμίνθη 111 b
Κάλαμ 173 a
Καλλισέφαν 21 b
Κάμπη 287 d
Κάννα βις 153
Κάππαρις 4 d
Κάπρ 278 d
Καρδαμον 159 a
Καρδάμωμον 262 c
Καρδαμῖνοι 302 c
Κάρος 232 c
Κάρυον Βασιλικόν 29 b
Κάρυον ποντικόν 30 a
Καρυόφυλλον 263 b
Κασία 266 a
Κάσανδρ 31 a
Κατανάγκη 155 b
καυκαλίς 230 a
Κέγχρος 254 c
Κελτικὴ νάρδ 125 d
Κενταύριον μέγα 85 d
Κενταύριον μικρόν 86 b
Κέπφος 298 b
Κεραίτης 107 b
Κεράσιον ibid.
Κέρασος 57 c
Κεράτια 38 a
Κέσρον 274 c
Κηρός 198 d
Κικίς 32 b
Κιννάμωμον 264 a
Κιοσάμωτελος 207 b
Κιοσός 206 b
Κίσθα 294 b
Κίχλη 295 d
Κλήθρα 27 b
Κληματὶς λαφνεσιλής 169 a
Κληματὶς ἑτέρα 210 b
Κνῆκ 66 b
Κνίδη 108 b
Κοκκύμηλον 52 a
Κοκκυμηλέα ibi.
Κόκκυξ 294 c
Κολοκύνθη 211 a
Κολοκυνθὶς ibi. d
Κολουτέα 40 b
Κολχικόν 197 b
Κόμαρ 56 a. 212 d
Κόμη 95 b
Κανσβίλλη 94 b
Κονύζη 131 b
Κόραξ 294 a
Κορίανον 79 c
Κόριον ibi.
Κορόνη 294 a
Κορύδαλ 297 b
Κόρυς ibi.
Κορωνόπους 164 a
Κόσχορ 168 a
Κοσκίας 294 a
Κότιν 21 a
Κόττιφ 295 d
Κοτυληδών 61 b
Κοχλία 287 c
Κοχλίαι 305 d
Κράμβη 188 a
Κρανία 14 b
Κρίθη 251 b
Κρίθμον 257 c
Κρίνον 204 b
Κρὶ 275 d
Κρότων 97 a
Κρόκ 198 a
Κρόμμυον 192 a
Κύαμ 246 c
Κύαν 182 a
Κυκλάμιν 159 c
Κύκν 292 c
Κύμινον 232 d
Κυνόγλωσσον 143 a
Κυνόσβατ 44 c. 45 a
κυπάρισσος 23 d
κύπειρ 77 b
κύπηρ ibi.
κύτισος 187 b
κύων 280 b
κωβιός 307 b
κώνειον 238 d
κώνωψ 300 a

Λ.

Λάβραξ 303 c
Λαγώς 283 d
Λαγώπυρος 106 d
λαγώπους ibi.
λαθυρὶς 97 b
Λάθυρος 246 b
λαμπυρὶς 299 c
λαμπάνη 189 b
λάπαθον 87 b
λειχήμπόα 219 b
λεπίδιον 161 a
λεπτοκάρυον 30 a
λευκάκανθα 70 d
λευκάνθεμον 89 d
λεύκη 16 b
λευκόϊον 111 a
λέων 28 a
λιβανωτὶς 123 d
λιβανωτὶς στεφανωματικὴ 123 b
λιβυσικόν 227 d
λιγυσικόν ibi.
λιθόσπερμον 77 d
222 d
λιμναῖον 86 b
λιμνήσιον ibi.
λιμώνιον 186 a
λίνον 153 b
λινόζωσις 236 b
λυγός 25 a
λύκ 284 b
λυσιμάχιον 135 a
λωτὸς ἀγρία 105 b

M.

Μαινὶς 301 b
Μαλόβαθρον 128 a
Μάκερ 163 d
Μαλάχη 156 a
μανδραγόρας 74 c
μαράθρον 233 c
μέλισσα 298 a
μελάνθιον 80 a
μελία 49 b
μελὶς 183 c
μελισσόφυλλον 111 a
μεμέκυλος 56 a
μεσπίλη 13 b
μηδικὴ πόα 258 a
μήκων 81 d
μηκώνειον 81 d. 82 a
μηλέα 10 b
μῆλον ibid.
μίνθη 112 d
μορέα, ἡ 11 c
μόχος 276 d
μυγάλη 284 d
μύελος 273 b
μῦα 300 a
μύκης 53 b
μύοξος 285 b
μυὸς ὦτις 94 b
μύξη 52 d
μυρμηξ 287 b
μῦς 284 d
μυρίκη 37 c
μυρσιόφυλλον 230 d
μυρρίνη 78 a
μυρρὶς 238 c
μυρσίνη 78 c
μώριον 74 d

N.

Νάρδ 124 b
Νάρκη 307 d
Νάσσισσος 197 d
Νάσσος 198 d
νεραντζιον μῆλον 16 d
νήριον 70 d
νῆτα 290 b
νυκτερὶς 297 d
νυμφαία 176 b

Ξ.

Ξάνθιον 65 d
ξίφιον 178 b
ξυλοκέρατε 57 c
ξυρὶς 64 b

O.

Οα 50 b
ὄλιμον 116 b. 252 b
Οἰνάνθη 210 c. 253 d
Οἶσυπ 256 a
ὄκιμον 116 d
ὀλολυγών 297 a
ὄνος 179 d
ὄνυξ 306 b
ὀνωνὶς 71 a
ὀξαλὶς 88 a
ὀξυακάνθη 46 b
ὀξυμυρσίνη 73 c
ὀξυφοίνιξ 18 b
ὀξυλάπαθον 87 c
ὀξυτρίφυλλον 219 d
ὄρμινον 121 b
ὀρεὺς 280 b
ὄρος βος

ὄρόβος 248 c
ὀρτυγομήτρα 291 c
ὄρτυξ 295 d
ὄρυζα 255 d
ὄρχις 201 a
ὄσυρίς 154 b
οὖα 50 a
ὀφιόγλωσσον 102 a
ὀφιοσκόροδον 196 a
ὄφις 285 c

Π.

Παιονία 184 b
Παγκράτιον 94 a
Παρδαλιαγχὲς 146 d
Πέλαργος 293 a
Πελεκὰρ 293 b
Πενταφυλλον 216 a
Πέπερι λευκόν 261 b
Πέπερι μακρόν ibi.
Πέπερι μέλαν ibi.
Πεπλὶς 99 b
Πέπλος ibi.
Πιερδίκιον 237 b
πόρι κλύμενον 210 a
Περισερεών 135 c
Περισερὰ 210 c
Πέρκη 94 b
πετροσέλινον 36 d
πευκέδανος 73 a
πεύκη 35 b
πήγανον 128 a
πικρὶς 94 a
πιμελὴ 272 d
πισακία 30 c
πίτυς 34 d
πλάτανος 36 d
πλωτὰι 304 c
πολυγαλὸν 183 a
πολυγόνατον 170 b
πολύγονον 168 b
πολυπόδιον 214 a
πολύτριχον 221 b. 222 c
πορφύρα 306 b
ποσημογέτων 175 a
πρήσιον 110 a
πράσον 194 b
πρεσβὺς 298 c
προβατὸς 275 d
πρόσωπις 274 d
προσώπιον 64 c
προσωπὶς ibid.
προύμνα 51 a
πρώξ 283 b
πτελέα 27 d
πτέρις 23 b
πύρεθρον 234 d
πύξος 23 c
πυρολαμπὶς 299 c
πυρὸς 250 b

Ρ.

Ῥάμνος 43 a
Ῥόα 16 b
Ῥάφανος 191 a
Ῥεὸν 86 d
Ῥῆον ibi.
Ῥόδον 45 b
Ῥοιὰ 16 b
Ῥόλιξ ῥίζα 62 a
Ῥόδολάφνη 78 a
Ῥόδολίνδρον ibi.
Ῥοῦς ἔρυθρος 57 d
Ῥοῦς μαγειρικὸς 57 d

Σ.

Σάλπη 301 b
Σατύριον 202 b
Σαῦρος 286 d
Σάκχυχον 117 b
Σέλινον 235 c
Σεμίδη 34 b
Σεῦτλον 186 b
Σευτλολάχανον 103 a
Σῆρις 93 a
Σέσελι μακεδονικὸν 231 b
Σκπία 303 a
Σήσαμον 154 a
Σίδη 16 c
σιδηρίτης 152 b
σίκυς 212 d
σίκυον ἥμερον ibi
σίκυς ἄγριος 214 b
σίνηπι 164 a
σῖον 136 a
σίσαρον 190 b
σισύμβριον 113 a
σίσων 237 b
σῖτος 249 d
σκίλλα 193 b
σκίνος 283 a
σκολόπαξ 298 b
σκολοπένδριον 225 b
σκόλυμος 71 b
σκαλώπαξ 298 b
σκόρδιον 196 b
σκόροδον 195 b
σκόροδόπρασον 196 a
σκόλυνον 224 d
σμίλαξ 207 a
σμίλαξ κηπαία ibi.
σμύρναινα 304 c
σμύρνιον 228 d
σόγχος 92 b
σόγχος ἐδώδιμος 92 b
σόγχος τραχὺς 93 a
σπάρτιον 39 c
σπίζα 298 b
σαφὶς 147 b
σαφὶς ἀγρία ibi.
σαφυλὴ 18 d
σαφιλῖνος ἄγριος 230 a
σαφυλῖνος κηπαία ibi.
στὰρ 272 d
στοιχὰς 124 a
στρατιώτης χιλιόφυλλος 239 b
στρόβιλον 71 b
στρόμβος 306 a
στρύθιον 76 c
στρυθὸς 296 d
στρύχνον μανικὸν 101 a
στρύχνος κηπαῖος 100 a
στρύχνος ὑπνωτικὸς ibi. b
συκὴ 12 c
σύμφυτον 145 a
σύμφυτον πετραῖον ibid. b
σύμφυτον βασιλικὸν 182 b
σφὺξ 299 a
σχῖνος 56 d
σχισὸν 27 a
σχοῖνος 77 b. 176 b

Τ.

Τάξος 22 d
Ταῦρος 276 d
Τελέφιον 59 c
Τελλίναι 306 b
Τεύκριον 63 b
τεῦτλον 186 b
τευτλὶς ibi.
τῆλις 107 b
τιθύμαλος 98 a
τίφη 174 a
τορδύλιον 231 c
τόρδυλον ibi.
τραγορείγανον 118 a
τραγόπωγον 95 b
τράγος 60 a. 277 d
τρίγλα 303 d
τριόρχις 202 a
τρίφυλλον 104 b
τρίφυλλον μέγα 218 d
τριχόμανες 222 a
τρυγὼν 301 c
τύφη 174 a

Υ.

Υάκινθος 198 b
Υδροολάπαθον 88 b
Υδροσέλινον 236 b
Υδροπέπερι 161 b
ὑδρόσμος 112 d
Υοσκύαμος 84 d
ὑπέρικον 129 a
ὕοσωπος 120 b
ὗς 278 d

Φ.

Φακὸς 175 c. 249 a
Φαλκὼν 291 c
Φασιανὸς 293 c
Φασίολος 245 d
Φάτλα 294 d
Φηγὸς 32 d
Φιλυρέα 48 d
Φίλυρα 33 d
Φλόμος 140 a
Φλόξ 181 b
Φοῖνιξ 17 d. 256 d
Φοῦ 126 a
Φύλλον 128 a
Φυλλῖτις 224 d

Χ.

Χαμαιάκτη 47 a
Χαμαίδρυς 62 b
Χαμαίκισσος 205 c
Χαμαίλεον ὁ μέλας 67 b
Χαμαιλευκὴ 226 b
χαμαικιπάριοσος 158
χαμαίμηλον 89 d
χαμαιπεύκη
χαμαιπίτυς 158 b
χαμελαία 38 d
χαράδριος 297 c
χελιδόνιον μέγα 165 b
χελιδόνιον μικρὸν 166 a
χελιδὼν 296 d
χελώνη 306 a
χήμαι ibi. b
χὴν 290 a
χιλιόφυλλον 239 b
χοῖρος 278 d
χρυσάνθεμον 87 c
χρυσὸς 312 d
χρυσόφρυς 302 a

# INDEX LATINus omnium nominum, quæ hoc opere continentur.

## A.


Abies 35 b
Abrotonum 150 c
Abuolum 114 d
Acacia 51 d
Acalyphe 108 c
Acantha 69 c
Acanthus ibid.
Acanthus Germanica ibid. d
Acanthium 68 d
Acanthus syluestris 70 a
Acapnos 117 c
Acer 36 b
Acetosa 88 a
Achates 322 a
Achillea 240 a
Acinos 116 c
Acinus 18 d
Aconitum 146 d
Aconitum Pardalianches 146 d. 147 b
Acopos 56 c
Acorus 177 d
Acte 47 b
Acte palustris 48 b
Acte syluestris ibi. a
Acus pastoris 152 b
Acuta spina 46 b
Acutella 72 a
Adamas 321 d
Adeps 272 d
Adiantum 221 b
Adiantum nigrum, album 221 c. rubrum 222 a
Adipsos 185 c
Aegilops 31 c. 254 b
Aegilops Galeni 256 c
Aglops Plinij ibid. a
Aegithus 297 d
Aegoceras 107 c
Aegonychon 222 d
Aera 256 c
Aeris recrementum 314 b
Aerugo 318 d
Aes uride ibid.
Aes 313 d
Aes ustum 314 a
Aëtites 326 a
Affodilus 204 b
Agallochum 266 d
Agaricus 54 b
Agnus 275 d
Agnus castus 25 a
Agrimonia 217 d
Agrimonia syluestris 240 b
Agrostis 173 c
Aiuga 158 d
Aizoon 59 a
Aizoon syluestre ibi. c
Alauſæ 307 b
Alba spina 70 b
Albica 300 d
Albucum 204 b
Albunion
Alburnus 307 a
Alcea 157 d
Alchimilla 217 b
Alcibiacum 143 c
Alcocalum 71 b
Alectorius 325 d
Alga marina 175 c
Alga palustris ibid. d
Alica 252 a
Aliſma 241 b
Alkakengi 100 c
Alleluia 219 a
Alliaria 160 d
Allium 195 c
Allium caninum ibid. b
Allium colubrinum, anguinum, urſinum 196 a
Allium porrinum ibi. b
Alnus 27 b
Aloë 79 a
Alſe 307 b
Alſine 167 c
Alteraxacon 92 c
Altercum 84 d
Althæa 157 b
Alum gallicum ibid.
Alum Plinij ibi. c
Alumen 317 d
Alumen plumoſum 326 c
Alumen ſciſsile, rotundum, citrinum 317 d
Amara dulcis 200 b
Amaracus 117 c
Amarago 94 a
Amarantus 104 b
Ambarum 329 d
Ambroſia 73 c
Ambubeia 94 a
Ambra citrina 329 b
Amellus 166 b
Ameos 232 d
Amerinæ ſcopæ 37 c
Amethyſtus 325 a
Amiantus 326 b
Ammi 232 d
Ammoniacum 329 c
Amomum 237 b. 258 c
Amoris poma 75 b
Ampar 329 d
Ampeloprasum 195 b
Amphisbæna 286 b
Amurca 20 b
Amygdalus 28 b
Amylum 251 a. 329 c
Anagallis 168 b
Anagallis aquatica 136 b
Anagyris 56 c
Anarrhinon 155 c
Anas 290 b
Andachochi 105 c
Andrachne 60 c
Androſace 208 c
Androſæmum 130 b
Anemone 83 a
Anethum 234 a
Anethum ſyluestre 239 c
Angelica 227 a
Anguria 213 b
Anguilla 302 b
Anianitæ 53 d
Anſum 234 c
Anonis 72 a
Anonium 108 c
Anſer 290 a
Anſerina 240 b
Anthemis 89 d
Anthillion 95 a
Antimonium 319 b
Antirrhinum 155 c
Antiſpodium 316 b
Aparine 241 a
Aper 278 d
Aphace 248 b
Aphrodiſia 177 d
Aphroſcinus 326 c
Apiaſtrum 111 b
Apmthium 149 c
Apios 260 a
Apis 298 d
Apium 235 c
ſpecies Apij ibid.
Apium montanum 236 c
Apium paluſtre 236 b
Apium riſus 163 b
Apium ruſticum 163 b 236 b
Apium ſaxatile 236 d
Apluda 254 a
Apodes 298 a
Apoleium 114 d
Apollinaris 84 d
Aquila 290 d
Aquilegia 85 b
Araneus 286 d
Arbor fœtida 44 a
Arbutus 56 a
Arcion 64 c
Arcocum 71 b
Ardea 294 d
Argemone 83 c
argenti ſpuma 313 c
Argentina 182 d
argentum 313 a
argentum uiuum 316 b
argilla 320 b
arics 275 c
ariſarum 200 a
arista 249 d
ariſtolochia 134 a
ariſtolochia clematitis 134 b
ariſtolochia dactylitis ibi.
ariſtolochia rotunda 134 a 167 a
armoniacum 329 c
armoracia 191 d
arnoglosſon 142 a
aroma 13 b
arrhenogonon 236 d
arſenicanthon 114 d
arſenicum 319 b
artemideſium 115 b
artemiſia 151 a
artetica 130 c. 140 b
arthritica 130 c. 140 b
articoca 71 b
articocalus ibid.
articols ibi.
arum 200 a
arundo 173 a
aſa fœtida 329 b
aſarum 127 a
Aſbeſtos 326 b
aſclepias 234 d
aſcyrum 130 a
aſinus 279 d
aſpalathus 77 b 267 a
aſparagus 141 c
aſparagus Gallicus 257 d
aſpergula 243 a

Aſperula 243 a
Aſphalatus 267 a
Aſphaltion 105 c
Aſphalton 267 b
Aſphodelus 204 b
Aſpis 285 d
Aſplenum 225 b
Aſpletion 178 a
Aſsius 326 b
Aſter atticus 90 b. 101 d
Aſtragalus 260 c
Aſtrentium 228 d
Aſtrion 164 b
Atractylis 68 c
Atramentum ſutoriũ 319 c
Atraphaxis 187 a
Atriplex ibid.
Atriceps 175 a
Atriplex canina 188 a
Attagen 295 c
Aucna 254 b
Auena Græca ibid.
Aurata 302 a
Aurengia 15 c
Auri gluten 319 a
Aurichalcum 313 d
Auricula muris 4 d
Auricula muris altera 168 a
Auripigmentum 319 b
Auripigmentum rubeum 320 a
Aurum 312 d.

B.

Bacille 257 c
Bacula ibid.
Balagius 322 b
Balauſtia 16 c
Balena 305 b
Ballote 110 a
Balſamina 76 a
Balſaminum ibi.b
Balſamine 75 d
Baptiſecula 182 b
Barba caprina 96 a
Barba Iouis 59 b
Barba ſyluana 142 c
Præteruiſſum eſt aũt hoc nomen in quarta ſpecie plantaginis.
Barbatus 303 d
Bardana 64 c
Baſiliſcus 286 b
Bathypteron 149 c
Batis 257 c
Batrachion 162 c
Batus 41 b
Batus idæus ibi.c
Bdellium 330 a
Bechion 226 b
Bedegarim 70 b
Bellis maior 89 a
Bellis minor 130 c
Beloacum 115 b
Belotoce ibid.
Berberis 46 b
Berillus 225 c
Beta 186 c
Beta inſipida 187 d
Beta ſyluestris 186 a
Betion 115 b
Betonica 138 a
Betonica alba 138 b. 140 b
Betonica altilis 183 d
Betula 34 b
Bibinella 229 c
Biſolium 241 b
Bipennula 229 c
Biſmalua 157 b
Biſtorta 215 c. 102 d
Bitumen 328 c
Blatta Bizantia 306 b
Blattaria 141 a
Blaueola 182 b
Blitum 187 d
Boleti 53 d
Boleti orbiculati 54. a
Bolus armenus 321 a
Bombyx 287 a
Bonifacia 169 d
Bonus hendrichus 88 a
Borago 144 c
Bos 276 d
Botrychon 18 d
Botrys 73 c
Bouis oculus 89 a
Brabyla 52 b
Branca urſina 69 d
Braſſica 161 c
Braßica 188 b
Braßica marina 189 b
Braßica pratenſis 70 a
Braßicæ ſpecies ibi.
Brathys herba 179 d
Brathys 23 b
Bromos 254 b
Bruſcandula 208 d
Bruſcus 78 c
Bryon 208 d
Bryonia 209 d
Bubalus 277 d
Bubo 293 d
Bubonium 101 d
Buccinæ 306 c
Buceras 107 c
Bucheiden 203 c
Bucranion 155 c
Buſo 285 b
Bugloſſum 144 c
Bugloſſum Officinarum 143 c. 144 d & d
Bulbus 193 a
Bulbus agreſtis 197 d
Bulbus eſculentus 193 a
Bulbus uomitorius ibi.b
Bunias 191 a
Buphthalmum 89 a. 90 b
Buprestis 299 c
Burſa paſtoris 139 b
Butyrum 272 a
Buxea ſpina 333 d
Buxus 22 c.

C.

Cacalia 183 b
Cadmia 315 d
Calamentum 111 d
Calamintha ibid.
Calaminaris lapis 315 d
Calamus 173 b
Calamus aromaticus 265 b
Calcotrippa agreſtis 182 c
Calcha 90 b
Calcifraga 220 d
Calendula 89 c
Calliſtephanos 21 b
Callitrichum 221 c
Caltha 89 c
Calx 318 a
Camelus 281 b
Camomilla 89 d
Campanella 207 a
Camphora 331 a
Canapus 153 b
Cancamum 333 d
Canchrys 123 a
Cancri 302 c
Candela regis 139 d
Candelaria ibi.
Canella 264 a
Canina roſa 45 a
Canineca 197 d
Caninus rubus 44 c
Canis 280 b
Cannabis 153 b
Cantharides 299 b
Cantherinum 251 b
Caphura 310 d
Capillaris 222 a
Capillus Veneris 221 c
Capito 307 a
Capnos 166 d
Capnos phragmitis ibid.
Capparis 40 d
Capra 277 d
Caprea 283 b
Caprificus 12 c
Caprifolium 210 c. 168 a
243 c
Caprimulgus 297 d
Capſella 160 b
Capus 289 c
Caput monachi 92 c
Carabe 329 b
Carbunculus 322 b
Carchedonius ibi.c
Carchoſilos 71 b
Cardamomum 262 c
Cardamus 159 b
Cardiaca 110 b
Cardo fullonum 66 d
Cardopation 67 b
Carduelis 297 b
Carduus 71 b
Carduus benedictus 68 d
Carduus fullonum 66 d
Carduus hortenſis 71 b
Carduus Mariæ 70 c
Carduus non aculeatus 71 c
Carduus Strobilus ibi.b
Carduus pratenſis 70 a
Carduus Suarius 67 b
Carduus ſyluestris 71 d
Carduus Veneris 66 d
Careoſemen 232 c
Careum ibid.
Carex acuta 173 c
Caricæ 12 c
Carium 232 c
Carnes quadrupedum 268 b
Caroum 232 c
Carpinus 44 a
Carpo 304 b
Cartamus hortenſis 66 b
Cartamus ſyluestris 68 c
Caryophyllon 263 b
Caryopon 264 b
Carui 232 c

Carum 232 c
Caryotæ 17 d
Caryotides ibi.
Caseus 271 b
Casia 266 a
Cassutha 208 b
Cassytha ibi.
Castanea nux 31 a
Castor 281 b
Castorium ibi. c
Castrangula 135 d
Catanance 155 d
Cataputia maior 97 a
Cataputia minor 92 c
Cauchamum 333 d
Cauchi 25 b
Cauda equina 75 d
Cedromala 15 b
Celosia 78 a
Cenchros 254 d
Centaurium maius 85 d
Centaurium minus 86 b
Centum capita 72 c
Centummorbia 207 d
Centumnodia 168 d
Centuncularis 174 b
Centunculus ibi.
Cepa 192 b
Cepa murina 93 c
Cepa sylvestris ibi. a
Cera 274 c
Cerastes 285 d
Cerasus 13 c
Cerefolium 238 a
Cereuisia 251 c
Cerritis 107 c
Cerrus 31 c
Ceruiboletus 54 b
Ceruicaria 270 b
Ceruinus fungus 54 b
Cerussa 315 a
Ceruus 281 d
Cestron 138 a
Cetarach 225. c ubi addendum est ad alteram scolopendrij speciem
Cetus 305 b
Chærefolium 238 a
Chærephyllon ibid.
Chalcanthum 318 c
Chalybs 315 b
Chamæbalanus 260 a
Chamæbatus 41 b
Chamæcissus 295 d
Chamæcyparissus 258 d
Chamædaphne 170 d
Chamædrys 62 b
Chamægyris 226 b
Chamæleon 67 b
Chamæleuce 226 b
Chamæmelon 89 d
Chamæpitys 129 b. 158 d
Chamæspartium 39 c
Chamæzelon 216 c
Chamelæa 38 d
Chamomilla 89 d
Charadranon 176 b
Charadrius 297 c
Charantia 75 d
Cheiri 181 a
Chelidonia 166 d
Chelidonium maius 165 d
Chelidonium minus 166 b
Chelidonius 325 d
Chiliophyllos 239 b
Chnia 315 d
Chondrus 252 a
Chreston 94 a
Chrysanthemon 104 b
Chrysanthemos 90 b
Chrysanthemum 88 c
Chrysimela 17 b
Chrysoberillus 325 c
Chrysocolla 319 a
Chrysocollæ faciendæ modus 275 c
Chrysolachanum 187 a
Chrysolithus 325 b
Chrysoprasus 325 c
Cicer 244 d
arietinum, columbinum, orobiæum ibid.
Cicerbita 92 d
Cicercula 246 b
Cichorea lutea 92 b
Cichorium agreste 93 d
Cici 97 a
Cicindela 299 c
Cicis 31 b
Ciconia 293 a
Cicuta 238 d
Cicutaria ibi. c
Cinara 71 c
Cincinnalis 221 c
Cinclus 297 c
Cinis 321 b
Cinnamomum 264 a
Circæa 74 c
Cirsion 144 a
Cissampelos maior 207 a
Cissampelos minor ibi. b
Cissos 206 b
Cisthos ibi.
Citonia 17
Citræa mala 15 b
Citrago 211 b
Citrangula 15 c
Citreola ibi.
Citria ibi.
Citria malus ibi. b
Citrinata ibi. b
Citrula ibi. c
Citrullus 213 c
Clauicula 206 d
Clauus Veneris 176 d
Clematis altera 210 b
Clematis daphnoides 169 b
Cnecus 66 b
Cnicus ibi.
Cnicus syluestris 68 c
Cnipes 27 c
Coagulum 272 c
Coccimelea 52 a
Coccognidium 38 b
Coccum gnidium ibi.
Cochleæ 305 d
Colchicum 297 d
Colla 336 c
Colocynthe 211 a
Colocynthis 211 d
Colophonia 327 d. 330 b
Colubrina 102 d. 200 d
Colutea 40 a
Columba 290 c
Columbaris 138 c
Columbina ibi.
Colus rustica 68 c
Colymbades 20 b
Comaron 214 d
Comaros 56 a
Come 95 d
Conchæ 306 b
Condisi 176 c
Condrilla 94 c
Coni 34 d
Conon 238 d
Consiligo Plinij 171 c
Consolida 145 a
Consolida maior ibi. b
Consolida media 89 b
102 b
Consolida minor 219 d
Consolida regalis 182 c
Conuoluulus 207 a
Conyza 131 c
Coparia 259 b
Corallina 179 c
Corallium 323 c
Coramble 188 b
Corchoros 168 b
Cordialis 243 c
Coriandrum 79 a
Corianon ibi.
Corion ibi.
Corneolus 324 d
Cornu ceruinum 164 a
Cornus 14 a
Cornuta 182 a
Corona terræ 205 d
Coronopus 164 a
Corrigiola 168 d
Coruda 141 d
Coruus 293 d
Corylus 30 a
Corymbi 206 d
Cos 327 a
Costus 265 d
Cotonea malus 17 a
Cotula fœtida 60 b
Coturnix 295 c
Cotyledon 61 b
Crabro 290 a
Crambe 188 b
Crania 24 a
Crassula maior 61 b
Crassula minor 59 c
Crepitus lupi 55 b
Cressio 159 d
Cretha marina 257 c
Crethmus ibi.
Crinon 204 d
Crista gallinacea 138 d
Crista marina 221 c
Cristallion 132 b
Crithamus 257 c
Crithe 251 a
Critus 257 c
Crocodilus 285 b
Crocus 198 b
Cromnyon 192 a
Croton 97 a
Cruciata 148 c
Cuculus 294 c
Cucumere uescens mulier chlænum texit 213 a
Cucumis anguinus, asininus 214 b
Cucumis citrinus 213 b
Cucumis marinus ibi. c
Cucumis satiuus 212 c
Cucumis syluestris 214 b
Cucumis Turcicus 213 b
Cucurbita satiua 211 a
Cucurbita syluestris ibi. d
Culex 300 a
Culmus 250 a
Cunila bubula 118 b

Cuminum 232 d
Cuminum alexandrinum, æthiopum 232 d
Cuminum romanum 239 c
Cuminum syluaticum ibi.
Cuniculus 283 d
Cunila 118 b. 120 b
Cunila capitata 120 b
Cunila gallinacea 118 b
Cunila rustica 120 b
Cunilago 119 a 120 c. 131 c
Cupressus 23 d
Cupressus humilis 158 b
Cuprum 313 d
Curuca 298 d
Cuscutha 208 b
Cyamus 246 c
Cyanos 182 b
Cyclaminus 259 c
Cydonia malus 174
Cymæ quid 188 d
Cymbalaria 61 d
Cyminum 232 a
Cyminum dulce 234 c
Cynocephalæa 155 c
Cynocephalon 132 b
Cynocrambe 136 d
Cynoctonon 147 b
Cynoglossum 143 a
Cynoides 132 b
Cynomazon 68 a
Cynomia 132 b
Cynosbatus Dioſc. 45 a
Cynosbatus Theophrasti 44 c
Cynosonchis 201 d
Cynosrhodos 45 a. & c
Cynozolon 68 a
Cyparissus 23 d
Cyparissus syluestris 150 d
Cypeirus 77 b
Cyperus 77 b
Cypris 48 d
Cytinus 16 c
Cytisus 107 d

D

Dacrydion 33 c
Dactylus 17 d
Dama 283 b
Damasonium bifoliũ 241 b
Daphne 21 c
Daphne Alexandrina 169 d
Daphnois 170 d
Daucus 229 b
Daucus asininus 239 c
Daucus creticus 231 c
Daucus hortensis 231 a
Daucus officinarũ 230 d
Delphin 295 a
Dens leonis 92 c
Diagridion 330 c
Diapensia 216 d
Dictamnum 115 b
Dictamus officinarum qualis 115 c
Digitalis 73 d
Digiti citrini 203 c
Digitus ueneris 376 d
Diosanthos 181 d
Diospiron 222 d
Dipsacus 66 c
Dipsas 286 a
Dolichos 245 d
Donax 173 b
Dorata 224 d
Doryenion 100 c
Draco 186 c
Draconiion 200 d. 202 d
Dracunculus maior 200 c
Dracunculus minor 200 b
Dragantum 330 d
Dryopteris 224 c
Duleis radix 185 c
Duracina mala 14 c
Dysomon 196 c

E

Ebulus 47 b
Ebenotrichon 221 c
Ebiscus 157 b
Echeneis 307 c
Echinus 283 c
Echium 243 c. 244 c
Elaphoboscum 259 b
Elaterium 214 b
Elatine 137 d
Electrum 313 d. 329 a
Eleliſphacas 122 b
Elenium 132 c
Eleoselinum 236 b
Elephas 262 c
Elleborus 171 b
Elleborus albus 172 c
Elymos 255 b
Embastrum 115 b
Empetron 210 d
Endiuia officinarũ 91 b
Endiuia syluestris 94 c
Endiuia uera 93 d
Enula campana 132 c
Ephedron 175 d
Ephemeron 197 d
Ephydron 176 b
Epimelis 13 b. 56 b
Epithymbrum 120 c
Epithymus 119 c
Equapium 237 c
Equisetum 175 d
Equition 176 b
Equus 279 c
Eranthemos 90 b
Erica 87 b
Erigeron 96 c
Erinaceus 283 c
Eruca 287 d
Eruca herba, & eius species 164 c. d
Eruum 248 c
Eryngium 72 c
Erysibe 251 c
Erysisceptrũ 77 b. 267 b
Erythrodanon 243 d
Esculus 31 d
Esula 98 a
Eteocriton 251 c
Eupatorium 217 d
Eupatorium dãulterinum 242 b
Eupetalon 170 d
Euphorbium 331 c
Euphrasia
Euphrosine 103 d

F

Faba 246 c
Faba alba 147 b
Faba crassa 61 b
Faba lupina 259 a
Faba suilla 84 d
Fabillia 246 d
Fagus 32 d
Falco 291 c
Far adoreum 252 a
Far candidum 252 b
Far elusinum 251 d
Farfarago 226 b
Farfarella 226 b
Fario 302 a
Farrago 252 c
Farris species 252 b
Febrifuga. 86 a
Feles 280 d
Fel animantium 209 c
Fel terræ 86 a
Felicula 224 a
Ferracia minor 216 d
Ferrugo 315 c
Ferrum 315 b
Ferula Thapsia 108 b
Festuca 254 b
Fiber 281 b
Ficaria 135 d
Ficedula 298 a
Ficus 12 c
Ficus terræ 260 c
Filicula 222 d. 224 a
Filipendula 220 c
Filix 223 b
Filix petræa 224 d
Festica 30 d
Flammea 181 d
Flammula 162 c
Flos æris 314 b
Flos amoris 104 c
Flos cuculi 171 a
Flos farinæ 252 d
Flos garyophyllorum 183 d
Flos S. Iacobi 96 c
Flos siliginis 250 a
Flute 304 c
Fœniculum 233 a
Fœniculum agreste ibid.
Fœniculum porcinũ 73 a
Fœniculũ Romanũ 234 c
Fœnum Burgundiense 258 a
Fœnum græcum 107 c
Fœnum græcum syluestre 106 b
Fœtida arbor 43 d
Folium 128 a
Forella 302 a
Formica 287 b
Fragaria 214 d
Fraxinus 49
Frigilla 298 b
Frit 250 a
Frugum damna 256 b
Frumentum 249 d
Frumentorũ munimenta 254 d
Frumentorũ uitia 256 c
Frumentũ indicũ 253 d
Frumentũ turcicũ 253 b
Fuci 298 d
Fucus marinus 175 c
Fuga dæmonum 129 b
Fulica 298 b

Fumaria 166 d
Fumus terræ 166 d
Fundulus 307 a
Fungi 53 c
Fungorum uaria genera 54 b
Funis arborum 207 a
Furfures 252 d
Fusus agrestis 68 c

G

Gagates 325 a
Gaiacum 58 c
Galanga 264 d
Galanga maior 178 a
Galactites 326 d
Galation 242 d
Galbanum 331 d
Galbio 300 d
Galeobdolos 109 c
Galeopsis 109 b
Galerion 242 d
Galla 32 b
Gallina 289 c
Gallinago 298 b
Gallinariæ baccæ 60 b
Gallion 242 d
Gallitricum 110 c. 121 d
Gallitricū syluestre 121 d
Gallus 289 c
Garyophyllea syluestris 184 b
Gazella 55 b
Geminalis 121 d
Genista 39 a
Genistella 39 b
Genitura isidis 117 c
Gentiana 133 b
Geranion 152 b
Gethyon 192 b
Gith 80 a
Githago 84 a
Gingiber 261 d
Gingidium 238 a
Gipsus lapis 327 a
Gladiolus 178 c
Glandula 260 c
Glans Sardinia 31 a
Glastum 148 c
Glaucion 183 b
Glechon 114 d
Glis 244 d
Gluma 249 d
Gluten auri 319 a
Gluten carnis 335 b
Gluten ligni 336 d
Gluten piscium 336 c
Gluten Romanum 35 d
Glutinum 336 c
Glutinum librariū 336 c
Glycisida 184 d
Glycypicron 209 b
Glycyrrhiza 185 c
Gnaphalion 174 b
Gnidium granum 38 b
Gobius 307 b
Graculus 244 a
Gramen 173 c
Gramen aquaticum 173 d
Gramen Parnassi ibi.
Gramen Paradisi 262 d
Granatus 322 b
Granum 249 d
Gratia Dei 152 d
Graua 254 a
Grossi 12 d
Grossularis 43 b
Gruina 152 b
Grundulus 307 a
Grus 292 d
Gryphus 291 d
Guadum 148 c
Guaiacum 58 c
Gummi 327 c
Gummi arabicum 331 d
Gummi iuniperi 320 a
Gypsum 320 b

H

Habiola 208 d
Hæmatites 324 d
Hæmorrhous 286 a
Halec 301 a
Halecacabus 100 b
Haliphlæos 31 d
Hastula regia 204 b
Hedera 206 b
Hedera Cilicia 207 b
Hedera terrestris 205 d
Hederula 206 d
Hedyosmus 112 d
Hedypnois 92 c
Hedysarum 259 a
Helenium 132 c
Heliobotane 168 d
Heliochrysum 104 b. 155 a
Helioselinum 236 b
Heliotropium 94 a
Helix 206 d
Helxine 137 b
Hemeris 34 d
Hemerocallis 203 d
Hemionitis 224 d
Hemionium 225 b
Hepatica 219 b
Hepatitis 217 d
Hepatorium 217 d
Heptaphyllon 215 c
Herba acetaria 154 a
Herba claucllata 181 d
Herba Cretica 115 b
Herba flauea 106 c
Herba fortis 241 d
Herba fullonum 76 c
Herba Iudaica 84 b
Herba leporina 106 c
Herba muralis 137 b
Herba paralysis 146 b
Herba petræ 95 d
Herba regia 105 d
Herba Roberti 152 b
Herba S. Barbaræ 165 c
Herba S. Kunigundis 242 b
Herba Simeonis 157 d
Herba stella 164 a
Herba trinitatis 181 d
Herba tunica 138 b. 183 d
Herba uenti 83 b
Herba urinalis 154 d
Herbum 259 a
Hermodactylus 197 d
Hiberis 160 a
Hieracium 92 b
Hierobotane 138 d
Hilum 246 d
Hippoglotton 169 d
Hippolapathum 88 b
Hippomarathrum 233 c
Hipposelinum 237 c
Hippuris 175 d
Hircus 277 d
Hirudinaria 208 a
Hirundinaria 134 d
Hirundo 296 d
Hispanach 103 b
Hispanicum olus 103 b
Hiatuli 306 b
Hœdus 277 d
Holoschœnos 175 a
Homo 275 a
Hordeum 251 b
Hordei species ibi.
Hordeum mundatum 251 c
Humirubus 41 b
Humulus 208 d
Huso 305 a
Hyacinthus 198 d. 324 b
Hydrolapathum 88 b
Hydropiper 161 d
Hyoscyamus 84 b
Hydroselinum 236 d
Hypericum 129 b

I

Iacea magna 181 d
Iacea nigra 140 c
Iaspachites 324 c
Iaspis 324 b
Ibiga 158 d
Ibiscus 157 b
Ichthyocolla 336 c
Ichthyotheron 259 c
Idæa 169 d
Idæus rubus 41 c
Ilex 31 c
Illecebra 61 b
Incensum 332 b
Incensaria 223 a
Inguinalis 101 d
Inuris 40 d
Inybus 93 b
Inybus erraticus 93 d
Inula rustica 145 b
Ion 180 a
Iouis flos 181 d
Iouis glans 31 a
Ippia media 167 d
Ireos 179 a
Iringus 72 c
Iris 178 d
Isacon 201 b
Isatis 148 c
Ischas 260 a
Itea 25 c
Iua moschata 158 d
Iuba 254 d
Iudaica herba 84 b
Iugalis 44 b
Iuglans 29 a
Iutube 53 a
Iulus 30 b
Iuncus 174 d
Iuncus odoratus 77 a
Iuniperus 24 b
Iusquiamus 84 d
Ixia 67 d
Iynx 297 c

K

Karua 97 a
Keiri 181 a


L

Labi 245 d
Labrum Veneris 66 d
Labrusca 19 c
Lac 269 d
Lac acidum 270 c
Lacca 333 d
Lacerta 286 d
Lachryma arborũ 327 c
Lactaria 98 a
Lactereon 92 d
Lactuca 90 d
Lactuca capsina, marina 98 a
Lactuca leporina 92 d
Lactucella ibi.
Ladon frutex 332 a
Lagopus 106 d
Lampreta 304 d
Lampsana 189 b
Lana pratensis 174 b
Lanaria 139 d
Lanaria herba 76 c
Lanarum medicinæ 276 c
Lanceolata 142 b
Lapathum 87 b
Lapathum hortense 87 d
Lapathũ syluestre 88 a
Lapatium 87 c
Lapilli spongiarum marinarum 326 d
Lapatium acutum 87 c
Lapis lazuli 324 a
Lapis specularis 326 c
Lapis stellatus 324 a
Lappa inuersa 65 a
Lappa maior 64 c
Lappa minor 65 a
Lappula campestris 65 d
Larga 35 b
Larix ibi.
Laser 329 b
Laserpitium ibid.
Later 321 b
Lathyris 97 c
Lathyros 246 b
Laudanum 332 a
Lauendula 125 b
Lauer 136 b
Laureola 170 d
Laurus 21 c
Laurus aculeifolia 22 b
Laurus Alexandrina 169 d
Lens 249 a
Lens palustris 175 c
Lentiscus 50 d
Leo 281 d
Leontopodion non est pes leonis herbariorum 217 c
Lepidion 160 a. 161 b
Lepidiũ syluestre 161 c
Lepus 283 d
Leucacantha. 70 d
Leucanthemon 89 d
Leucoion 181 a
Leuisticum 227 d
Libanotis 123 a
Libanotis coronaria ibid. c
Libanotus arbor 332 b
Libisticum 227 d
Lichen 219 b
Lignum aloës 266 d
Lignum Paradisi 266 d
Lignum putidum 56 c
Lignum Rhodium 267 a
Ligusticum 227 d
Ligustria 180 d
Ligustrum 48 d
Lilium 204 d
Lilium conuallium 183 b
Lilium inter spinas 210 d
Lilium syluestre 203 d
Limax 287 c
Limones 15 c
Limonium 186 a
Limonium syluestre 186 b
Linaria 154 d
Lingua auis 33 c
Lingua canis 143 b
Lingua ceruina 224 d
Lingua pagana 169 d
Lingua passerina 223 a
Lingua serpentina 103 a
Lingula uulneraria 103 b
Lingulaca 103 b 307 a
Linozostis 136 c
Linum 153 d
Linum pratense 174 b
Liquiritia 185 c
Lirium 204 d
Lithargyrum 313 c
Lithospermon maius 77 d
Lithospermum 222 d
Lithospermum syluestre 223 a
Loligo 303 a
Lolium 256 c
Lomentum 246 d
Lotisyluestres 105 d
Lotus campestris 106 b
Lotus magna 107 d
Lotus satiua 105 b
Lotus trifolia 106 b
Lucius 303 c
Lumbri 287 b
Lunaria minor 77 b
Luparia 147 b
Lupinus 247 b
Lupulus 208 d
Lupus 284 b. 303 c
Lupus reptitius 208 d
Lupus salictarius 208 d
Lutea 149 a
Lutra 284 c
Lychnis agria 155 c
Lychnitis 140 c
Lycium 333 c
Lygos 25 a
Lyncurius 329 a
Lynx 284 a
Lysimachia 135 b
Lytrum 149 a


M


Macer 263 d
Maces. 263 d
Machæronium 178 c
Magnes 323 d
Magudaris 329 b
Matalis 278 d
Maiorana 217 c
Mala insana 75 b
Mala Nerantia 16 a
Malecorium 16 c
Maligneta 262 d
Malobathrum 128 a
Malua 156 a
Malua terrestris 56 c
Maluauiscus 157 b
Malum granatum 16 b
Malum terræ 134 a
Malus 10 c
Malus Citria 15 b
Malus Cotonea 17 a
Malus Cydonia 17 a
Malus Medica 15 b
Malus Persica 14 c
Malus Punica 16 b
Mamortica 76 a
Mandragora 74 c
Manna thuris 332 b
Manus Christi 97 a
Marathrum 233 b
Margarita 323 c
Mariscus 175 d
Marrubium 110 a
Maspetum 329 b.
Mastiche 35 d. 57 a
Mater perlarum 306 c
Matricaria 151 b
Matrisylua 243 c. 160 a. 210 c
Meconion 81 d. 82 b
Medica 106 c. 157 b
Medica herba 258 a
Medica mala 15 b
Medulla 273 b
Mel ibi. d
Melampodium 171 b
Melanchanis 175 a
Melanthion 80 a
Melanzana 75 b
Meliphyllon 111 a
Melilotus 105 d
Melilotus Germanica 106 c
Melilotus lutea, alba 105 d
Melilotus Serapionis 106 b
Melis 283 c
Melissophyllon 111 a
Melittæum ibi. b
Melligreta 262 d
Melopepones 213 b. c
Melospinus 75 c
Melittæna 111 b
Memecylos 56 a
Mentastrum 113 c
Mentha 112 d
Mentha aquatica 114 b
Mentha Sarracenica 131 b. est aũt uocabulum eo loco neglectum.
Mercurialis 136 c
Mercurius. 316 b
Mergus 296 a
Merops 297 d
Merula 295 d
Mespilus 13 b
Metalla 310
Milium 254 d
Milium Indicum 255 a
Milium Italicum ibi.
Milium paruum 255 c
Milium solis 222 d
Millefolium 239 b. & d
Millefolium magnũ 240 b
Millemorbia 135 d
Milos 22 d
Miluus 291 b
Molybdæna 319 b
Monedula 294 a
Mora beti 41 c


Mora

Mora celsi 41 c
Mordax Persicaria 122 b
Morion 74 d
Morsus diaboli 146 c
Morsus Gallinæ 167 c
Morus 11 a
Moschocarydion 263 c
Moschus 55 b
Moschus odoramentum 335 d
Mullus 304 a
Mulus 280 b
Mumia 334 a
Murena 304 c
Murina spina 78 c
Mus 284 d
Musea 300 a
Muscata 152 b
Musculi 306 b
Muscus 55 a
Muscus marinus 55 b
179 c
Muscus terrestris 55 b
179 b
Mustela 284 c
Mutica 249 d
Myacantha 78 c
Mydæ 246 d
Myorthocon 95
Myosotis 94 d
Myothosplenon 95 a
Myotis ibid. a
Myrica 37 c
Myriophyllon 239 d
Myrrha 332 d
Myrrhis 238 c
Myrsine 78 c
Myrtacantha 78 c
Myrtillus 42 b
Mysos 33 a
Mytuli 306 b
Myuron 117 c
Myxa 52 d
Myxaria 52 d

N

Naphtha 328 d
Napus 191 a
Napy 164 b
Narcissus 197 a
Narcissus Theophrasti & Virgilij 198 a
Nardum 124 c
Nardus agrestis 126 b
Nardus Celtica 125 d
Nardus Germanica ibi. b
Nardus indica, Syriaca 124 c
Nardus montana 126 a
Nardus sylvestris 127 a
Nasturtium 159 b. & d
Nastos 173 b
Nasturtium album 160 c
Nasturtium aquaticum 114 b
Nasturtium tectorũ 160 b
Nasuti 307 b
Natrix 286 a
Nauci 29 c
Nenuphar 176 d
Nepeta 112 b
Nerantia mala 16 a
Neris 126 b
Nerium 78 a
Nigella 80 a
Nigella damascena 80 b
Nihili album 316 a
Nihili grisium ibi.
Nil 149 a
Nilech ibi.
Nisus 291 c
Nitrum 317 c
Noctua 293 d
Nonophthalmus 307 a
Nuces Pineæ 34 d
Nucifolium 263 b
Nummularia 207 b
Nux auellana 30 a
Nux castanea 31 a
Nux moschata 263 c
Nux myrepsica 263 c
Nux myristica 263 c
Nux persica 29 b
Nux pontica 30 a
Nux regia 29 b
Nux unguentaria 263 c
Nymphæa 176 d
Nymphæa pteris 223 d

O

Ocellus cerui 259 b
Ochra 320 a
Ocimastrum 116
Ocimoides 116 d
Oculatia herba 103 d
Oculata 307 a
Ocymum 116 c. 253 d
Oenanthe 19 c. 220 c
Oesypus 276 c
Olea 19 d
Olea sylvestris 21 a
Oleander 78 a
Oleaster 21 a
Oleum 20 b
Oleum de hyoscyamo 85 b
Oleum Lentiscinum 57 b
Oleum mastichinũ 57 b
Oleum omotribes 20 c
Oleum ouorum 289 b
Oleum de papauere 82 b
Olivæ 19 d
Olor 292 c
Olus atrum 237 c
Olus aureum 187 a
Olus cordum 257 d
Olyra 252 c
Olysatrum 237 c
Omotribes oleum 20 c
Omphalocarpus 243 a
Onecium 117 c
Onocrotalus 293 b
Ononis 72 a
Onyscus 287 c
Ophioctonos 259 b
Ophioglossum 103 a
Ophioscorodon 196 a
Ophris 241 b
Ophthalmica 102 d
Opium 82 b
Opopanax 334 c
Orata 302 a
Orca 305 b
Orchis 201 b
Orchis Serapias 202 b
Oreoselinum 236 c
Orichalcum 313 d
Origanum 118 a
Origanũ campestre 150 d
Orminum 121 d. 141 d
Orneoglosson 33 c
Orobus 248 c
Ornus 33 b
Ortygometra 298 d
Oryza 255 d
Osmundula 224 c
Ossea arbor 48 c
Osteocollon 145 c
Ostreæ 306 b
Ostrutium 228 d
Osyris 154 d
Ouis 275 c
Ouum 288 b
Oxalis 88 a
Oxya 33 a
Oxyacantha 46 b
Oxygala 270 d
Oxylapathum 87 c
Oxymyrsine 78 c
Oxyphœnix 18 b
Oxys 219 a
Oxyschœnos 71 b
Oxytriphyllon 219 a
Ozimum 116 c

P

Pabulum cerui 259 b
Pæderotes 69
Pæonia 184 d
Pæoniæ maris radix pro dictamni radice ab officinis ostenditur 185 a
Pagana lingua 169 d
Paguri 302 c
Palma 17 d
Palma Christi 97 a. 203 c
Palma sylvestris 18 b
Palmes 18 d
Palmula 17 d
Paludapium 236 b
Palumbus 294 d
Pampinella 229 c
Pampinula ibi.
Pampinus 18 d
Panacea, panace 227 d. 228 c
Panax Chironium 228 b
Panax heracleum 227 a
Pancration 193 c
Pancratium 94 a
Panigo 255 b
Panis tuculi 219 a
Panis porcinus 260 a
Papauer cornutũ 82 c
Papauer erraticum 81 a
Papauer marinum 82 d
Papauer nigrum 80 b
Papauer palustre 176 d
Papauer rhœas 81 a
Papauer rubeum 81 a
Papauer satiuum 81 d
Paracoculi 75 c
Paralius 98 d
Pardalianches 146 d
Parietaria 137 b
Parthenium 89 a. 137 b. 151 b
Passer 296 d
Pastinaca 230 c
Pastinaca Gallica 229 c
Pastinaca marina 301 c
Pastinaca pratensis 239 c
Pastinacæ satiuæ species 230 d

Paucrina 867 c
Pauo 292 b
Pectines 301 a
Pedicularis 147 d
Peganon 128 b
Pelecan 293 b
Pelecinum 259 a
Pentadactylon 92 a
Pentapetes 216 c
Pentaphyllon 216 b
Peplos 99 b
Pepones 213 b c
Pera paſtoris 139 b
Perca 304 b
Perdicium 137 b
Perdix 295 a
Perfoliata 240 d
Perfoliata ſylueſtris 241 b
Perforata 129 b
Perforipetra 220 d
Periclymenos 243 b
Periclymenum 210
Peristereon 138 c
Perpenſa 127 b
Perſica malus 14 c
Perſicaria mordax 162 b
Perſonata 64 c
Peruica 169 b
Pes Alexandrinus 235 a
Pes anſerinus 101 c
Pes columbinus 152 b
Pes cornicis 164 a
Pes coruinus 162 c. 164 a
Pes Gallinacei 167 a
Pes leonis 217 b
Pes leporinus 206 d
Pes uituli 200 b
Petaſites 226 a
Petrella 96 c
Petroleum 328 d
Petroſelinon 236 d
Petroſelinum germanicum 237 a
Petroſelinum macedonicum 236 d
Peucedanum 73 a
Phacos 249 a
Phalaris 256 d
Phaſianus 293 c
Phaſelus 245 c
Phaſeolus 245 c
Phaſiolus 245 c
Philanthropos 243 b
Philomela 297 a
Philyra 33 d
Philyrea 48 d
Phlogion 181 d
Phlomos 139 d
Phlox 181 d
Phœnix 17 d. 293 c. 256 d
Phthirioctonon 147 d
Phu 126 b
Phycus marinus 175 c
Phyllitis 224 d
Pica 294 b
Picea 35 b
Picris 94 a
Picus 296 a
Piloſella 95 b
Pimpinella Germanica 229 c
Pimpinella Italica 230 b
Pinaſtella 73 a
Pinaſter 34 d
Pineæ nuces 34 d
Pinguedo 272 d
Pinus 34 c
Piper 161 b
Piper agreſte 25 a
Piper Germanicum 260 d
Piperitis 161 b
Piſſaſphaltos 328 d. 334 a
Piſtacia 30 c
Piſtolochia 134 c
Piſum 244 c
Piſum græcorum 245 b
Pituitaria 147 d
Pityuſa 98 d
Pix 328 a
Pix Brutia 328 b. 330 b
Pix græca 328 b. 330 b
Pix naualis 328 b
Plagitia 301 b
Planta leonis 217 b
Plantago 142 a
Plantago aquatica 142 c
Platanus 36 d
Platyphyllos 31 d
Plumbago 319 b
Plumbum 314 d
Podagra lini 208 c
Polenta 251 c
Pollen 250 c
Polycarpon 169 a
Polygala 183 a
Polygonatum 170 c
Polygonion 145 c
Polygonon 168 d
Polytrichum 221 c
Polyneuros 142 a
Polypodium 224 a
Polytrichon Apulei 222 b
Polytrichum officinarum 222 a
Polyrrhizos 134 c
Poma amoris 75 b
Poma Arangia 16 a
Pompholyx 316 a
Pomum Hieroſolymitanum 76 a
Pomus 10 c
Ponceria 15 c
Populus alba 26 b
Populus nigra 26 b
Porcinum fœniculum 73 a
Porcus marinus 305 a
Porri 302 c
Porrum Aricinum 194 c
Porrum capitatum 194 c
Porrum ſectiuum 194 d
Porrum ſylueſtre 195 b
Porrum tarentinum 194 d
Porrum uineale 195 b
Portulaca 60 d
Portulaca ſylueſtris 59 c
Potamogeton 175 b
Potentilla 240 b
Poterion 51 c
Præmorſa 146 c
Præſinus 307 b
Præſium 110 b
Præſum 194 c
Primula ueris 130 c. 140 b
Priſtix 305 b
Propolis 274 d
Proſerpinaca 168 d
Proſopion 64 c
Prunella 102 b
Prunorum ſpecies 52 a
Prunus 52 a
Prunus ſylueſtris 51 a
Pſeudolinum 154 a
Pſeudomelanthium 83 d
Pſeudonardus 125 b
Pſeudopetroſelinum 237 c
Pſilothrum 206 d
Pſittacus 296 b
Pſora 146 b
Pſyllium 132 a
Ptarmice 235 b
Pteris 223 b
Ptiſana 251 c
Pulegium 114 d
Pulegium ſylueſtre 112 b
Pulmonaria 219 d
Pumex 327 d
Punica malus 16 b
Purpuræ 306 b
Pygnocomon 96 a
Pyrethrum 234 d
Pyrites 326 d
Pyritis 126 b
Pyrola 186 b
Pyros 250 b
Pyrus 11 a
Pyxacantha 333 d

Q

Quercus 31 c
Querquedula 298 c
Quinquefolium 216 c
Quinqueneruia 142 b

R

Racemus 18 d
Radicula 76 c. 191 b
Radix 191 b
Rana 285 a
Ranunculus 162 c
Raphanus 191 b
Raphanus ſylueſtris 160 c. 260 a
Rapum ſatiuum 190 c
Rapum terræ 259 b
Rapunculum 190 a
Regulus 298 c
Remora 307 c
Remora aratri 72 a
Reſina omnis 327 c
Reſinarum ſpecies 35 d
Reſta bouis 72 a
Rhabarbarum 86 d
Rhabarbarum Monachorum 87 d
Rhamnus 42 d
Rhaponticum 86 d
Rhaponticum officinarum 86 a
Rhodia radix 62 a
Rhododendron 78 a
Rhus 57 d
Ribes 46 d
Ricinus 97 a
Riſum 255 d
Robertiana 152 b
Robigo 256 b
Robur 31 c
Robus 250 c
Roſa 45 b

Rosa de hiericho 258 c
Rosa Iunonia 204 d
Rosa S. Mariæ 258 c
Rosa transmarina 256 c
Rosea arbor 78 a
Rosmarinus 123 c
Rosmarinus acutus 39 b
Rostrum ciconiæ 152 b
Rubia 243 d
Rubia tinctorum ibi.
Rubiculus 307 b
Rubigo ferri 315 c
Rubinus 322 b
Rubrica fabrilis 321 a
Rubrica Sinopica 321 a
Rubus 41 b
Rubus canis 44 c
Rubus idæus 41 c
Rumex 87 b
Rumpipetra 221 a
Ruscus 78 c
Ruta 128 b

S

S. Barbaræ herba 165 c
S. Iacobi flos 97 a
S. Kunigundis herba 242 b
Sabina 23 b
Sabina syluestris 179 d
Saccharum 333 d
Sacerdotis asinus 117 c
Sacerdotis utrile 200 b
Sagapenum 334 d
Sal 317 a
Sal gemmæ ibi.
Sal Armoniacum ibi.
Sal fossile ibi.
Sal naphthicum ibi.
Sal nigrum ibi.
Sal petræ ibi.
Sal radicum ibi.
Salamandra 287 a
Salar 302 a
Salicaria 135 b
Saliuaris 234 d
Saliunca 125 d
Salix 25 c
Salix Amerina ibi.
Salmo 301 d
Salpa ibi. a
Saluia 122 b
Saluia uitalis 321 c
Sambucus 47 b
Sambucus syluestris 48 a & b
Sampsychon 117 c
Sandyx 315 b
Sanguinalis 168 d
Sanguinaria 164 b
Santalum 266 c
Sanguis animantium 269 a
Sanguis draconis 335 c
Sanguis martis 127 b
Sanguisorba 230 b
Sanicula 216 d
Santonicum 149 d
Saponaria 76 c
Sapphirus 323 b
Sarcocolla 335 b
Sardius 322 d
Sardonia herba 163 b
Sardonius risus ibi.
Sardonyx 322 c
Satureia 120
Satyrion 202 d
Satyrion, regium, basilicum 203 c
Saxaulis 307 a
Saxifica 95 d
Saxifraga alba 220 b
Saxifraga maior 231 b
Saxifraga rubea 220 c
Scabiosa 146 a
Scammonia herba 330 c
Scammonium ibi.
Stomoma 314 b. 315 b
Scandulaccum 160 b
Scarabeus 299 a
Scariola 93 d
Scelerata 162 c
Schœnos 174 d
Scilla 193 c
Scincus 285 b
Scissima 33 a
Sciurus 283 a
Scolopendria uera, maior, minor 225 b. c
Sandaracha 320 a
Scolopendrium officinarum 224 d
Scopæ amerinæ 37 c
Scopium 18 d
Scordium 196 c
Scorodon 195 c
Scoria ferri 315 a. c
Scorodoprason 196 b
Scorpion 60 a
Scorpium 147 a
Scrophularia maior 135 d
Scrophularia minor 166 b
Scythica radix 185 c
Sebaste 32 d
Secale 252 c
Securidaca 259 a
Sedum 59 b
Sedum agreste 63 d
Sedum minus 59 c
Segetalis 178 c
Selenites 326 c
Selinon satiuum 235 c
Semen 251 d
Seminalis 168 d
Semperuiuum 59 b
Semyda 34 b
Sena 40 b
Senecio 96 c
Sennicula 216 d
Sepia 303 a
Sapo 336 a
Septifolium 215 c
Septimeruia 142 b
Serapinum 334 d
Seres 93 b
Serica 531 a
Scriola 93 d
Seriphium 149 d
Serpens 285 c
Serpentaria maior 200 d
Serpentaria minor 200 b. 208 a
Serpentaria officinarum 202 a
Serpyllum 119 a
Serpyllum Romanum 119 c
Serratula 62 b. 138 a
Sertula campana 105 d
Serum lactis 270 d
Sesamum 154 a
Seseli 231 b
Seseli creticum 231 c
Seseli massilienſe 231 b
Seutlomalachon 103 b
Seutlon 186 b
Sicelion 132 b
Sida 16 c
Sideritis prima 84 b
Sidia 184 d
Sidion 16 c
Sigillum Salomonis 84 b
Siler montanum 231 b
Silicula 107 c
Siligo 252 c
Siligo Columellæ frumentacea 252 d
Siliqua 57 c
Siliquastrum 260 d
Silicia 107 a
Simo 305 a
Sinapi 164 b
Sinapi persicum 160 b
Sinapi syluestre 160 c
Sinapis confectio 165 b
Sinon 237 b
Sion 136 b
Sirupus de papauere 82 b
Siser 190 b
Sison 237 b
Sisymbrium 114 b
Sisymbrium cardamine 114 b. 159 d
Sitanium 250 c
Smaragdus 323 a
Smegmatis confectio 318 b
Smilax 22 d. 207 a
Smilax aspera 207 c
Smilax leuis 207 b
Smyris 326 b
Smyrna 332 d
Smyrnium 228 d
Solanum 100 a
Solatrum 100 a
Soldana 189 b
Soldanella 179 b. 189 b
Solea 307 a
Solidago 145 a
Solidago minima 130 d
Solidago Sarracenica 241 d
Sonchites 92 b
Sonchus 92 d
Sorbus 50 b
Sorbus torminalis 50 d
Sorgi 255 a
Sornus 300 d
Spanachia 103 b
Spinacia 103 b
Spartion 39 c
Spathe 17 d
Spathula fœtida 64 b
Specularis lapis 326 c
Spelta 251 d
Sperma ceti 305 b
Sphragis 320 d
Spica 249 d
Spica Ciliſſa 126 b
Spica nardi 125 b
Spica romana 125 d
Spicamum 224 d
Spina acuta 46 b
Spina alba 70 b. & 43 a
Spina murina 78 c
Spinacia 103 b
Splenion 114 d

Spodium 316 a
Squama æris 314 b
Squilla 193 c
Stacte 332 d
Staphis agria 147 d
Staphyle 18 d
Staphylinos 230 c
Staphylodendros 30 d
Stellatus lapis 324 a
Stercus 273 c
Stibi 319 c
Stibium 319 c
Stichas 124 a
Stichas uel Stichados 104 b
Stimmi 319 c
Stipula 250 a
Stœbe 146 b
Stœchas 124 a
Storax 335 a
Stratiotes aquaticus 239
Stratiotes millefolia 239 b
Strobili 34 d
Strobilus 71 b
Struthea 17 b
Strumion 76 c
Strutio 291 d
Strutiocamelus 291 d
Strychnos 100 a
Sturius 307 b
Sturnus 296 c
Styrax 335 a
Succinum 329 a
Succisa 146 c
Sulphur 316 d
Sumach 57 d
Superba 284 b
Sus 278 d
Sideritis altera 152 b
Symphytum 145 a
Symphytum magnum 145 c
Symphytum petræum 145 c

T

Taganon 60 a
Tages indica 251 d
Talantion 145 c
Talpa 285 a
Talus 260 c
Tamatindi 18 b
Tamariscus 37 c
Tamarix 37 c
Tanacetum 251 c
Tanacetum syluestre 246 b
Tapsus barbatus 139 d
Taraxacon 92 c
Tarda 298 c
Tartarum 336 b
Taurus 276 d
Taxus 22 d
Telephium 59 c
Telis 107 c
Tellinæ 306 b
Tembulum 128 b
Tencha 304 b
Terebinthus 35 d
Testiculorũ genera 201 b
Testiculus canis ibi. d
Testiculus sacerdotis 203 b
Testiculis uulpis 61 b 203 b
Testudo 306 a
Terra 320 c
Terra cimolia ibid.
Terra hispanica 320 d
Terra lemnia 320 d
Terra sigillata ibid.
Teucrion 63 a
Theda 35 d. 302 a
Talictron 182 d
Thelypteris 223 c
Theriacaria 126 c
Thermos 247 b
Thlaspi 160 b
Thlaspi cornutum 161 a
Thlaspidium 160 b
Thridacias 74 c
Thridax 91 a
Thryallis 140 b
Thus 332 b
Thutia 315 d
Thyaros 256 c
Thylacitis 126 b
Thyligonon 136 d
Thymbra 120 b
Thymelæa 38 b
Thymiama 335 a
Thymum 119 c
Tilia 33 d
Tintinabulum 286 a
Tithymalus 98 a
Tomentum 174 b
Topazius 322 d
Tordylium 231 c
Tordylum 231 c
Tormentilla 215 c
Torpedo 307 a
Tragacantha 330 d
Tragopogon 95 d
Tragoriganum 118 b
Tragus cerealis 252 b
Tragus herba 60 a
Trambula 26 b
Trecacina mala 14 d
Tribulus 65 b
Tribulus aquaticus 65 b
Tribulus syluestris ibid.
Tribulus terrestris 65 b
Trichomanes 222 a
Trifoliũ acetosum 319 a
Trifolium agethides 177 c
Trifolium aureum 118 c
Trifolium humile 106 d
Trifolium magnum 118 c
Trifolium maius 107 d
Trifolium odoratum, acutum 105 b
Trifoliũ pratense 104 d
Trifoliũ ursinũ 105 d
Trimestre 250 c
Trinitas 105 d
Triorchis 202 b
Trissago 62 b
Triticum 250 b
Triticum uaccinũ 256 a
Trixago 62 b
Trixago palustris 196 c
Truta 302 a
Tuber terræ 259 c
Tubera 53 d
Turchois 223 a
Turdus 295 d
Turtur 295 a
Tussilago 226 b
Typha 174 a

V

Vacca 276 d
Vaccinium quid 198 d
Vagina 250 a
Valeriana 126 b
Variola 302 a
Vaticana mora 41 c
Vena tinctorum 243 d
Veneris lumbus 240 a
Veneris superciliũ 240 a
Veratrum 171 b
Veratrum album 172 c
Veratrum nigrum adulterinum 171 b
Veratrũ nigrũ uerũ ibi.
Verbascula 140 b
Verbasculũ lychnitis 140 c
Verbascum 139 d
Verbena 138 c
Verbena fœmella 165 a
Verbenaca ibi.
Vermicularis 59 c
Vermicularis minor 59 c
Vermix 24 c
Veronica 63 c
Verres 278 d
Verriculum rubrum 252 b
Verriculũ album ibi.
Verucx 275 d
Vesicaria 100 b
Vespa 299 a
Vespertilio 297 d
Vetonica 138 a
Viburnum 58 a
Vicia 247 d
Vicia syluestris 248 b
Victoriala 169 d
Vinca perumca 169 b
Vincetoxicum 134 d
Vinciboscum 210 d
Vineago 137 b
Viola caruna 180 b
Viola matronalis ibid. d
Viola muraria 170 a
Viola purpurea ibid.
Vipera 285 d
Virga lanalis 143 a
Viscum 55 c
Vitealis 207 b
Vitex 25 a
Vitticella 210 d
Vitis alba 209 d
Vitis, Chironia, Taminia 210 b
Vitis flos 220 c
Vitis nigra 210 a
Vitis syluestris 19 c
Vitis uinifera 18 c
Vitriolum 137 b 318 c
Vitrum 319 d
Viurna 58 a
Volucrum maius 210 d
Vlmus 27 c
Vlophonon 68 a
Vmbilicaris 243 b
Vmbilicus terræ 259 c
Vmbilicus Veneris 61 d
Vnctuosa 145 b
Vnedo 136. 56 b
Vngnis odoratus 306 b
Vngula caballina 226 b
Vnio 303 c
Volubilis 207 a
Volubilis aspera 207 c
Volubilis magna 208 d

Vpupa 296 c
Vrceolaris 137 b
Vrsus 282 d
Vrtica 108 d
Vrtica piscis 307 a
Vrtica labeo 109 c
Vrtica lamium ibi.
Vrtica marina ibi.
Vrtica Romana ibi.
Vruncus 250 a
Vstilago 256 b
Vstilago rustica ibi.
Vsnea 55 a
Vua 18 d
Vua crispa 43 b
Vua uersa 149 a
Vua uulpina ibi.
Vulgago 127 a
Vulneraria herba 228 c
Vulpes 282 d
Vuularia 169 d
Vultur 291 b

X.

Xanthion 65 a
Xiphion 187 a
Xyloaloës 266 d
Xylocaracta 57 c
Xylocolla 336 c
Xyrus 64 b

Z.

Zaduara 262 b
Zapetium 335 d
Zea 251 d
Zedoaria 262 b
Zibettum animal 335 d
Zingiber 261 d
Zingiber caninum 261 a
Zizanium 256 c
Ziziphus 53 a
Zopissa 328 b
Zuccarum 333 b
Zucco marinus 213 c
Zygia 44 b
Zygis 119 b
Zythum 251 c


## INDEX GERMANICARUM Appellationum, quæ hoc opere continentur.


A.

Aal 302 b
Abbiß 146 c
Abrhon 222 a
Ackereychel 260 b
Ackerkletten 65 d
Ackerknoblauch 196 b
Ackerpfrimmen 108 b
Ackerwurtz 178 a
Ackerzwibel 193 a
Ackeley 85 b
Adler 290 d
Affodeln 204 b
Affolter 55 c
Affusch 150 d
Agley 85 b
Agsteyn 319 a
Ahorn 36 b
Alant 132 b
Alberbaum 26 b
Alblen 307 a
Aloe 79 a
Aloes holtz 266 d
Alraun 74 c
Alsen 307 b
Altserin 25 b
Amarellen 13 c
Amey 232 c
Amling 251 a
Ammelkorn 250 c
Ampffer 87 c
Amsel 295 d
Ancken 272 a
Andorn 110 a
Anemone röslin 83 a
Angelic 227 a
Antiffien 91 b
Antuogel 290 b
Apostemenkraut 146 a
Apffelbaum 10 c
Aron 200 b
Arzeseln 50 d
Arßkitzlen 45 a
Aspen 26 d
Artich 47 d
Atzel 294 b
Auffenblat 169 d
Augentrost
Augenwurtzel 126 d
Aurin 86 b
Auripigment 319 b

B.

Bachholder 48 b
Bachmüntz 114 b
Bachpungen 136 b
Bacillen 257 c
Baldgreyß 96 c
Baldrian 126 b
Balsamkraut 75 d
211 d
Balsam öpffel 75 d
Bappeln 156 a
Barb 303 d
S. Barbarakraut 165 c
Basilien 116 c
Barg 278 d
Bathengel 63 b
Bauchweytz 253 b
Baumfarn 224 c
Baumholderrüben 191 a
Baurensenff oder creß 160 c
Bech 328 a
Bellen 26 b
Belhinen 298 b
Benedicten rosen 184 d
Beminienrosen ibi.
Beerblat 169 d
Beerlap 179 b
Beerwurtz 231 c
Beifüß 151 a
Berenklee 105 d
Berggel 320 a
Bergmüntz 118 c
Bergwachs 334 a
Bersig 304 b
Bertram 234 d
Besemkraut 160 c
Betonien 138 a
Bett 274 d
Bettlersleuß 65 a
Beynholtzin 48 d
Beinwoll 145 b
Beyßköl 186 c
Berntantz 69 d
Bibenellen 229 c
Biber 281 b
Biberklee 136 a
Bilsamkraut 84 d
Bilsen 52 b
Bims 326 a
Bingelkraut 136 c
Bintzen 174 d
Bircken 34 b
Birckwurtz 215 c
Bisem 335 d
Bißmüntz 147 d
Bitterwurtz 133 b
Byrtzenbertz 37 c
Blackfisch 303 b
Blahoffnungsblümen 193 b
Blamenderle 62 c
Bleischlacken 315 a
Bleischweyff 319 b
Bleiweiß 315 a
Blüt 269 a
Blütkraut 187 d
Blütsteyn 324 d
Blüts tröpflin 184 b. 230 b
Blütwurtz 152 d
Boberellen 100 c
Bock 277 d
Bocksbart 95 d
Bocksbeeren 41 c
Bockshorn 107 c
Bonen 246 c
Borfeldisch rüben 191 a
Bornsteyn 319 a
Bornwurtz 69 a
Borst 25 b
Brachen distel 72 c
Brackenhaupt 155 c
Brandt 256 b
Brandtlattich 226 b
Braun betonien 138 a
Braunellen 102 b
Braunwurtz 135 d
Bremen 41 b
Bernkraut 139 a
Breyter sauramffer 88 a
Bricken 304 c
Brombeerstauden 41 b
Brörtling 54 a
Bruchkraut 101 d
Bruchwurtz 61 b. 217 d
Brunkressen 114 b. 159 d
Brunnen leberkraut 219 c
Brustbeerlin 53 b
Brustwurtz 227 a
Brysslauch 194 d
Bübenfist 54 b
Bübenleuß 65 a
Bübenstrel 66 d
Büchampffer 219 a
Büchbaum 32 d
Büchbrodt 25 a
Bücheschen 33 b
Büchfinck 298 b
Büchnusken 32 d
Büchklee 219 a
Buchsbaum 22 c
Bucken 91 a
Buffel 277 d
Burchard 187 a
Burgel 60 d
Burgundischhew 258 a
Burtzel 60 d
Burzetsch 144 c
Buschmören 238 c
Büttelrosen 45 a
Burter 272 a
Byne 298 d
Bynetsch 103 b
Byrbaum 11 b
Byren ibi.
Bynsaug 109 c

C.

Calmus 65 b
Camillen 89 d
Campelosen 140 c
Canel 264 a
Capaunsteyn 325 c
Cappes 188 b
Capreß 40 d
Cardamömlin 262 c
Cardobenedict 69 a

Castanien 318
Christianwurtz 260 c
Christwurtz 171 b
Citrinatöpffel 15 b
Citrullen 213 c
Closterbeer 43 b
Cnit 310 c
S. Christoffelskraut 248 b
Colmarkraut 168 b
Coloquint 211 d
Contrafei 313 d
Coriander 79 c
Cornelbaum 14 b
Creiden 320 c
Creß 159 d. 307 b
Creutzbaum 97 a
Creutzbeer 43 b
Creutzblüm 183 a. 203 c
Creutzwurtz 96 c. 148 c
Cucumeren 213 b
meer Cucumeren ibi. c
Cypreß 158 c
wild Cypreß 150 d
Cypressenbaum 138
Cypressene wolffsmilch 98 d

S.

Sachs 283 c
Sactelbaum 17 d
Saulin 283 b
Damastenrosen 140 c
Dennen marck 126 b
Dennigraß 168 d
Deyment 113
Dictam 115 b
Dinckel 251 d
Dinckelkern 252 a
Diptam 115 b
Dirken 14 b
gesegneter Distel 69 a
marien Distel 70 c
meer Distel 257 c
weißgarten Distel 70 b
Distelfinck 297 b
Distelvogel 297 b
Dole 294 b
Dölkraut 74 d. 84 d
Dölöpffel 75 b
Donderbar 59 b
Donderbon 61 b
Dondernäglin 184 b
Dorten 256 c
Dosten 218 c
Dotterblüm 88 c
Dotten 208 b
Deytelkolben 174 a
Dratblüm 88 c
Dreifaltigkeytblümen 181 d
Dreuschling 53 d
Dudistel 93 a
Durchwachs 240 d
Dürrwurtz 131 c
Durt 256 c

E.

Eber 278 d
Eberwurtz 67 b
Edelleberkraut 218 d
Edelnarden 124 d
Edlersteynklee 106 c
Egelkraut 207 d
Egerst 294 b
Ebenbaum 21 d
Einbeer 147 a
Einblat 241 b
Einkorn 252 a
Eisenhart 138 d
Eisenhütlin 147 c
Eisenkraut 138 d. 164 c
Eisenrost 315 c
Eisenschlacken ibi.
Elephant 282 c
Ellerbaum 27 b
Elsen 307 b
Emß 234 c
Endivien 91 b
Endtengraß 173 d
Engelsüß 224 a
Ent 290 b
Encian 133 b
Epff 235 c
Eppßaw 306 b
Eppich ibi.
Erbsal 46 b
Erbsen 244 c
klotz Erbsen ibi.
Erdaptffel 259 c
Erdtbech 267 b
382 c
Erdtbeer 214 d
Erdtcrentzlin 205 d
Erdtephew ibi.
Erdteychel 220 c
Erdfarn 224 c
Erdflieg 300 a
Erdtflöch ibi.
Erdtgall 86 b
Erdtgraß 326 c
Erdtmandel 260 b
Erdtmuß ibi. a
Erdtpfeffer 59 c
Erdtpfrummen 39 a
Erdscheib 259 c
Erdtrauch 166 d
Erdtwachs 334 a
Erdtweirauch 62 c
Erdwinden 137 d
Ehrenpreiß 63 c
Erlen 27 b
Ermosen 156 c
Eruen 248 c
Erweysen 244 c
Eschbaum 49 b
Eschern 49 b
Eschleuchel 194 c
Eschröfel 50 d
Esel 279 d
Eselgen 287 c
Esels cucumern 214 b
Eselshuff 226 b
Eul 293 d
Eychbaum 31 c
Eychelen 31 c
Eychfarn 224 c
Eychhorn 283 a
Eychöpffel 32 b
Eychschwem 54 a
Eyternessel 108 d

F.

Falck 291 c
Farn 223 b
esels Farn 221 d
eych Farn 224 c
rösselt Farn 225 b
roß Farn 223 c
steyn Farlin 222 a
214 b
steyn Farn 214 b
suß Farn ibi.
wald Farn 221 c
Farr 276 d
Faselen 245 d
Faulbaum 44 a
Federmauß 297 d
Feder weiß 326 c
Feigblattern eppich 166 b
Feigblattern kraut ibidem
Feigbonen 247 b
Feigen 12 c
Marsilische Feigen 12 d
Feigwartzenkraut groß 135 d. 166 b
Felbinger 25 c
Feld andorn 110 c
Feld cypreß 150 a
Feld garben 240 a
Feldkertzen 139 d
Feldkletten 65 d
Feld knoblauch 196 b
Feld magsamen 81 b
Feld möhren 219 c
Feld nägelin 184 b
Feld rister 27 d
Feldrosen 45 c
Feldtscharlach 110 c
Feldwicken 248 b
Feldzwibel 193 a
Fenich 255 b
Fenchel 233 c
Ferbblümen 108 b
Ferber röte 243 d
Fetthenne 61 b
Feuren 35 b
Fiberkraut 86 b
Fichtenbaum 34 d
Filtzkraut 208 b
Fingerhüt 73 d
Fischbeyn 303 b
Fischkörner 134 c
weiß Fischlin 307 a
Fischmüntz 114 b
Fischwurtz 135 d
Flachs 153 c
Flachsseiden 208 b
wild Flachs 154 c
Fleyschblum 104 d
Fliege 300 a
Fliegenschwein 54 a
Flöhkraut 131 c. 161 d
Floramor 104 c
Forel 302 a
Forenholtz 34 d
Fotzwang 61 b
Fotzwin ibi.
Frantzosenholtz 58 c
Frawendistel 70 c
Frawendorn 45 c
Frawenhaar 221 c
Frawenkraut 131 a
Frawenmüntz ibi.
Frawenröslin 140 c
Freyssamkraut 181 d
Freyssamrosen ibi.
Frosch 285 a
Froschlöffelkraut 142 c
Fuchs 282 d
Fuchsmilch 97 c
Fuchsschwantz 255 b
Fünffblat 316 c
Fünfffingerkraut 316 c

G.

Galgen 364 d
Gall 269 c
Gallöpffel 32 b
Galmey 315 d
Gamander 62 c
Gans 290 a
Garben 239 b
schaff Garben 239 b
Gartencypreß 158 c
Garten Isop 120 b
Gartenkreß 159 d
Gartensaffran 66 b
Gartenschlung 126 b
Garthagen 150 d
Gauchheil 95 d

Gauchhaberkn 254 b
Gauchheyl 168 b
Gauchklee 219 a
Gauchblüm 160 a.
171 a
Geel lilien 178 a
Geelmüntz 112 b
Gelbölmagen 82 c
Gembs 283 b
Genist 39 a
Genserich 240 b
Gentzblüm 89 a
Gentz distel 91 b 93 a
Gentzfüß 100 c
Gentzpappel 156 c
Gerinsel 196 a
Germtzel 272 c
Gerlin 190 b
Gersten 251 b
Gerolt gersten ibi. c
Geschelt gersten ibi.
Gertwurtz 150 d
Gerwel 239 b
Geyer 291 b
Geyfferwurtz 234 d
Geyß 277 d
Geyßbart 96 a
Geyßblat 210 c
Geyßklee 107 d
Geyßmelcker 297 d
wild Geyß 283 b
Gichtwurtz 184 d
Gierlin 190 b
Gilbblümen 108 b
Gilgen 204 d
Ginst 39 a
Glaßkraut 237 b
Glidtkraut 84 b
Glockenwinden 207 b
Göb 307 b
Gold 312 d
Goldtblümen 89 b
Goldtfoz 302 a
Goltgled 313 c
Goldtkeser 299 b
Goldtknöpflin 141 a
Goldtlilgen 205 a
Goldtpolÿ 203 d
Goldt wisenblümen 88 c
Goldt Würmlin 299 b
Goldtwurtz 165 d 203 d
Gottheyt 102 b
Gotsgenad 152 d
Gots vergeß 110 d
Granatöpffel 16 b
Graß 173 c
Graßblümen 183 d
Graßköl 70 a
Graßmuck 298 a
Grawnicht 316 a
Greiff 291 d
Grensel 69 d
Grindtkraut 96 c
Grindtwurtz 87 c
Gritzelmozen 190 b
Grosselbeer 43 b
Groß epff 237 c
Groß feigwartzenkraut 135 a
Groß feinsamen 77 d
Groß garben 240 a
Groß klette 64 c
Groß meerhirsen 77 d
Groß pappel 157 b
Grundel 307 a
grundheyl 63 c
grundreb 205 d
grünspan 318 d
grünspecht 297 d
grutz 252 b
guckgauchklee 219 a
guckguck 294 c
gülden gunsel 145 d
güldenklee 218 d
gundelreb 205 d
gurchen 213 b
gürtelkraut 179 b
güter heynrich 88 a 188 a
gutzgauch 294 c
gyps 310 b

H.

Haarberen 215 b
Haarschar 179 b
Haarstrang 73 a
Haaß 283 d
Habern 254 b
Haber distel 71 d
Haber malch 95 d
Haberrosen 45 c
Habich 291 a
Habichskraut 92 b
Härstrang 176 d
Härwurtz ibidem
Hagdorn 44 c
Hagel gans 298 b
Hageychen 31 c
Hacketkraut 83 b
Halskraut 170 b
Hamel 275 d
Han 289 c
Hanbuchen 33 b
Hanbutten 45 a
Handorn 44 c
Hardrigel 48 c
Hanenfüs 162 c
Hanen kamp 138 d
Hanenkopff 109 c
Hanenspor 267 a
Hanff 153
Hanhödlin 44 b
Hanrosen 45 a
Harnkraut 254 c. 220 d
Harthew 130 a
Hartz 328 a
Hartzbaum 34 d
Haselbaum 39 a
Haselstrauch ibi.
Haselwurtz 127 a
Hasenbrodt 256 d
Hasenfüß 106 d
Hasenklee 219 a
Hasenlattich 92 d
Hasenörlin 54 a. 256 d
Hasenpappel 156 c
Hasenpförlin 95 b. 105 d
Hasenstrauch 62 d
Hauckblat 169 d
Hausen 305 a
Hausenblasen 305 a. 336 c
Haußwurtz 59 b
Hasenköl 92 d
Hecht 303 c
Heckrosen 45 c
Hederich 189 b. 191 c
Herdelschwein 54 a
Herbstrosen 156 c
Hergotsbertlin 230 b
Hering 301 b
Herlitzen 14 b
Hertzfreud 243 c
Hertzgespan 1
Hertzgesper 110 b
Hertzkraut 112 d
Hetz 294 b
Hewhechel 72 a
Heydelbeeren 42 b
Heyden 37 b
Heydenflachs 155 b
Heydenkorn 253 b
Heydenrettich 191 c
Heydenrosen 45 c
Heydenschmuck 108 b
Heyderling 153 d
Heyder 286 d
Heydnischblümen 203 d
Heyl allen schaden 148 c
Heiligen creutz holtz 266 d
Heilig geistwurtz 227 a
rot Heylwurtz 215 c
Himelbrandt 139 d
Himelschlüssel 140 b
Himelschwertel 178 d
Hindberen 41 c
Hindtleufft 93 d
Hirß 281 d
Hirtzklee 242 d
Hirszung 224 d
wild Hirszung 225 b
Hirtenseckel 139 b
weiß Hirtzwurtz 259 b
Hochleuchen 157 d
Hochmüt 184 b
Holunder 47 b
Holwurtz 134 a
Honigblüm 111 b
geel Hornungsblumen 197 b
weiß Hornungsblümen 181 c
Holder 47 b
Holtztaub 294 d
Holtzmangöle 136 b
Holtzäpffel 10 d
Hornkirsen 14 b
Hornkümmel 182 c
Hüfflattich 126 b
Hummel 298 d
Hün 289 c
Hund 280 b
Hündsaugen 131 c
Hundsknoblauch 195 b
Hundtskopff 155 c
Hundtskürbs 210 a
Hundtsrosen 45 a
Hünerbeer 80 a
Hünerdarm 187 c
Hünerfül 120 b
Hünerserb 119 a. 167 c
Hünerköl 119 a
Hünertrauben 80 a
Hundtsdyll 89 d
Hundtsmilch 98 d
Hundtsmilten 188 a
Hundtszung 143 b
Hurnus 299 a
Hynschkraut 209 b

I.

S. Jacobs blüm 96 d
Ibisch 157 b
Je lenger je lieber 209 b
Igelsklettern 65 a
Igel 283 d
Ilmen 27 c
Imber 267 d
Imenblat 111 b
Imenkraut 119 c
Indianisch nägelin 151 d
Indianisch öpffel 213 c
Indianisch pfeffer 167 b. 261 a
Ingrün 169 b
Ingwer 261 d

Jngwerskraut 167 b
S. Johans blům 89 a. 96 d
S. Johans brot 57 c
S. Johans Flieg
S. Johannes Gürtel 151 a
S. Johannes Kefer 299 d
S. Johans kraut 128 d
S. Johans Treublin 46 c
Jsop 120 d
Jspen ibd.
Judendöcklin 100 c
Judenhütlin ibid.
Judenkirsen ibid.
Judendpffel 15 b
Junckerlilien 203 d
Junckfrawendistel 70 d
Jungfrawen haar 221 c

K.

Kalb 276 d
Kalbsaug 89 b
Kalbsnaß 155 c
Kamelstro 77 c
Kandenkraut 175 d
klein Kandenkraut 169 a
Kappes 188 b
Karp 204 d
Karten 66 d
Kaß 271 b
Katz 280 d
Kätzle 106 d
Katzenklee ibi.
Katzenköpfel 156 d
Katzenmüntz 111 d
Katzenspeer 72 a
Katzentreublin 59 c
Katzenwadel 175 d
klein Katzenwedel 169 a
Katzenwurtzel 126 c
Katzenzagel 175 d
Kautz 293 d
Keerbesem 78 c
Keß Kefer 299 b
Kelberkern 238 c
Kelcken 239 b
Kellershalß 38 b
Kerbelkraut 238 a
Kern 252 a
Kertzenkraut 139 d
Keßpappel 156 c
Kesselbraun 314 a
Kesten 31 a
Keulig 307 a
Keulwurtz 176 d
Keuschlamp 25 a
Kichern 246 b
Kinlin 119 a
Kirsen 13 c
Kiß 326 d
Klapperrosen 81 b
Klebkraut 242 a
Klee 104 d
Kleinbathengel 62 b
Klett 64 c
klein Klett 65 a
Kletzenkraut 137 d
Klingelrüblin 190 b
Knabenkraut 61 b
Knabenkraut 291 d
Knawel 169 a
Knoblauch 195 c
wild Knoblauch 196 a
feld/wild/acker Knoblauch ibi. b
Knollenkraut 135 d. 260 c
Köl 188 b
römisch Köl 186 c
rein Köl 189 b
Kolben 174 a
Kolstock 185 c
Königskertzen 139 d
Korbfeigen 12 c
Köpffel 238 a
wilder Köpffel ibi. c
Korn 252 c
bla Kornblůmen 182 b
wild Kornblůmen 140 d
Kornmüntz 112 b
Kornneglin 83 d
Kornelenbaum 14 b
Kral 294 a
Krähenfüß 164 a
Krafftmeel 251 a
Krammetbaum 24 b
Krammetvogel 295 d
Kranch 292 d
Kranchshalß 152 d
Kranselbeer 43 b
Krebs 302 c
Kreß 159 d 309 b
Kriechen 52 b
Kronäglin 98 c
Krott 285 b
Krottendyll 89 d
Krottenflachs 154 c
Krottenkraut 73 c
Ků 276 d
Kůaug 89 b
Kuchenschel 83 b
Kůdyl 89 b
Kühorn 107 c
Kümmel 232 a
Krankümmel 322 a
Künglin 283 d
Königsrosen 134 d
S. Königund kraut 242 b
Kunrath 130 b
Kupffer 313 d
Kupfferbraun 314 b
Kupffergrün 318 d
Kupfferschlag 314 a
Kupfferstein 314 a
Kupfferwasser 318 c
Kurberbaum 14 b
Kürbs 211 a
Küschell 83 b
Kuttelkraut 150 d
Küttenbaum 107 a
Küweiß 255 a
Küwurtz 136 b
Kyffer 35 c
Kyfferholtz 34 d
Kynholtz ibi.

L.

Lachenknoblauch 196 d
Lachs 301 d
Lactuck 91 a
Lamb 275 d
Lampret 304 d
Lasursteyn 324 a
Lattich 91 a
Lauander 125 c
Laubfeigen 12 c
Laubfrosch 285 a
Lauch 194 c
Lauendel 125 c
Lieβknospen 174 a
Leberdistel 91 b
Leberkraut 217 d
brunnen Leberkraut 219 c
edel Leberkraut 218 d
stein Leberkraut 219 c
Leim 336 c
Lein 153 c
Lein dotter 154 a
Lendenkraut 87 c
Letten 210 b
Lerch 297 b
Lerchbaum 35 b
Leuchel 194 c
Leußbaum 44 a
Leußkraut 38 d. 47 b. 148 b
Leußwurtz 147 d
Lew 281 a
Liebstöckel 227 d
Linen 210 b
Lilgen 204 b
blaw Lilgen 178 d
gold Lilgen 205 a
Lindbast 27 c
Linden 33 d
Linsen 249 a
Lorberbaum 21 c
Lewenfüß 217 b
Lewentap ibi.
Luchs 283 a
Lulch 256 c
Lungenkraut 219 d
Lynkraut 154 c
Lyppen 272 c

M.

Macrel 303 d
Magsamen 81 d
Maioran 117
Maltzennasen 50 b
Mandelbaum 28 a
Mangolt 186 c
Manstrew 92 c
Marck 273 b
Marie andorn 45 c
Marie magdalenen blůmen 125 d
Marienröβlin 140 c
Marobel 110 c
Maßholder 36 d
Mäßlieben 131 c
Mattblům 88 c
Maulbeerbaum 11 c
Mauleſel 280 b
Maurpfeffer 59 b
Maurrauten 221 d
Mauß 284 d
Medisch hew 258 a
Meelbaum 49 b
Meerhirsen 222 d
Meerlinsen 175 c
Meerschwein 305 b
Meerzwibel 193 c
Megerkraut 242 d
Melantzan 75 b
Melissen 111
Melonen 213 c
Mengelwurtz 87 c
Menschendiep 38 d
Menwelwurtz 87 c
Merck 235 c
Mercuriuskraut 136 c
Meerfenchel 257 c
Mergenröβlin 140 c
Mergenträhern 201 d
Merzetrich 160 c
Mertzenblůmen 198 d
blaw Mertzblůmen ibi.
geel Mertzenblůmen 197 b
weiß Mertzenblůmen 181 c
Mertz violn 180 a
Mespel 13 b
Messing 214 a
Metram 151 b
Meußbaum 78 c
Meußöhrlin 94 d
Meußpfeffer 147 d
Meußzwibel 193 b
Meyenblůmen 183 b
Meyenkraut 166 b
Meyer 187 d
Meyron 217 c
Meysterwurtz 228 d
Milch 269 d

Milten 187 a
Miltzkraut 225 c
Mistel 55 c
Mistmilten 187 d
Mattenflachs 174 b
Molch 287 a
stoß Molcken 271 b
Modelger 148 c
Moll 287 a
Molcken 271 a
Mollenkraut 97 a
Mollein 14 d
Molten 187 a
Mön 81 d
Monatblüm 131 d
Monkraut 77 a
Monrauten ibi.
Morcheln 53 d
Mörderkraut 38 d
Mören 230 c
Mooß 55 a
Moßblüm 88 c
Mosflechten 219 c
Moskolben 174 a
Mottenblümen 104 b
Mottenkraut 141 a
Muck 300 a
Muckenkraut 161 d
Muckenschwem 54 a
Muldwurff 285 a
Munchskappen 147 c
Munchskopff 80 c
Mundtholtz 48 d
Mundtleym 305 a
Mundtweiden 48 d
Müntz 112 d
Muscaten 263 c
Muscheln 306 b
Müterkraut 151 b
Müttwillen 184 b
Myrrhen 332 d

N.

Nabelkraut 61 c. 154 c
Nachtgall 297 a
Nachtschadt 100 a
rot Nachtschatten ibi. c
Nackerhüren 198 a
Nagelkraut 95 a
Napen 191 a
Narcissenrößlin 197 a
Narden 124 d
Narrenkolben 174 a
Nasen 307 b
Nater 285 d
Naterwurtz 102 d
Klein Naterzung 207 d
Naterzünglin 103 a
Neglin 263 b
Neglin blümen 183 d
Nespel 13 b
Nessel 108 d
Neunaug 307 a
Neungleych 179 b
Neunheyl 179 b
Nicht 316 a
Nießwurtz / schwartz 171 b
Nießwurtz weiß 172 c
Nimmerwurtz 184 d
Nössel 225 b
Nösselfarn ibi.
Nußbaum 29 b
Lampertische Nuß 30 a

O.

Ochs 276 d
Ochsenbrech 72 a
Ochsenzung 144 c
welsch Ochsenzung ib. b
wild Ochsenzung 143 d
Odermenig 217 d
Ogger 320 a
Ohrlitzen 307 c
Olander 78 a
Olbaum 19 d
Oliuenbaum ibi.
Olmagen 81 d
Olsamen 81 d
Omkraut 217 b
Opferment 319 b
Opffelbaum 10 c
Orant 155 c
Osterlucei 134 a
Ostern 306 b
Otter 284 c

P.

Palmbaum 17 d
Pappengey 296 b
Papellbaum 26 b
Pappeln 156 a
Pariskörner 262 d
Perlin 323 c
Pastenachen 230 c
Peonienrosen 184 d
Perlenmütter 306 c
Pestilentzwurtz 226 a
Pestemenkraut 146 a
Petasten heublin 226 a
Peterlin 236 d
S. Peters korn 252 a
S. Peters kraut 137 b
S. Peters schlüssel 140 b
Petersilgen 236 d
Pfaffenhödlin 166 b
Pfaffenpint 200 b
Pfaffenrößlin 92 c
Pfaffenstil ibi.
Pfaw 292 b
Pfawenkraut 162 a
Pfeben 213 b
Pfeffer 261 b
Pfefferling 53 d
Pfefferskraut 161 b
Pfenich 255 b
Pfennigkraut 207 d
Pferd 279 c
Pferdtsschwantz 175 d
Pfersigkraut 162 a
Pfersingbaum 14 c
Pfingstrosen 184 d
Pflaumen 52 a
Pfrummen 39 c
Phasant 293 c
Pimpernuß 30 c
Pinnholtz 44 b
Pippaw 92 c
Plateisen 301 b
Plochtaub 294 d
Poley 114 d
Pomerantzen 16 a
Poppel weiden 26
Poost 37 c
Praumen 52 a
Preesem 307 b
Pfilienkraut 132 a
Pungen 136

Q.

Qualster 299 c
Queckfilber 216 b
Quendel 119 a
Quittenbaum 17 a

R.

Rab 293 d
Raden 83 d
Radendistel 72 d
Ragwurtz 202 b
Rampen 196 b
Ramsel 183 a
Ramseren 196 b
Rappenfüß 164 a
Rapuntzel 190 a
Rassel 162 a
Raßwurtzel 210 a
Ratt 284 d
Ratten 83 d
Rattenpfeffer 147 d
Rauchöpffelkraut 75 d
Raup 287 d
Rauten 128 b
Reinblüm 104 b
Rhein weiden 48 d
Reiß 255 d
Rephün 295 a
Rettich 191 c
Reyer 294 d
groß Reinfar 151 a. c
Rhabarbar 86 d
münch Rhabarber 87 d
Rhapontick 86 d
Rhebock 283 b
Rheling 54 a
Rhodeißholtz 267 b
Ridtgraß 173 c
Rindt 276 d
Rindtsaug 89 b
Ringelblüm ibi. c
Ritterspoin 182 c
Rocken 252 c
Rodel 148
Rotbart 300 d
Rodteuglin 307 b
Römisch kümmel 232 a
Römisch pappel 156 c
Römischer hanff 97 a
Römischer quendel 119 c
Römischrüb 210
Rörlkraut 92 c
Röte 243 d
Röttling 54 a
Romgraß 186 c
Roz 173 a
Rosen 45 a
Rosen von hiericho 258 c
Rosenwurtz 62 c
korn Rosen 81 b
Roßampffer 88 b
Roßfenchel 233 c
Roßhüff 226 b
Roßkümmel 232 c
Roßmarin 123 c
Roßmüntz 113 c
Roßpappel 156 c
Roßtripp 142 b
Roßschwantz 175 d
Rosswadel ibi
Roteblüm 131 d
Rottnuß
Rottschwein 54 a
Rüben 190 d
Rotrüblin ibi. b
Ruprechtskraut 152 b
Rürnuß 30 a
Rystholtz

S.

Saffran
Salbey 122 d
Salm 301 d
Salpeter 317 c
Samkraut 175 b
Sammetrosen 104 c 140 c
Sammetrößlin 151 d
Sandelholtz 266 c
Sanickel 217 a
Sarbaum 26 b
Saturey 120 b
Saturon ibi.
Saurdorn 46 b
Saw 278 d
Sawboon 60 d
Sawburtzel ibi.
Sawdistel 93 a
Sawerampffer 88 b
Sawerklee 219 a
Sawrach 46 b
Sawermilch 270 d
Sawwurtz 135 d
Sewbon 84 d

riol 93 d
haaff 275 c
Schabenkraut 141 a
Schaffmülle 25 a
Schaffrip 239 b
groß Schaffrip 240 a
Schaffszung 142 d
Schaffthew 175 d
Scharlach 122 d
Scharpffwinde 207 c
Schartenblům 101 d
Schartenkraut 152 b
Scheißkraut 154 c
Schelkraut 165 c
Schelwurtz 165 d
kleyn Schel oder schwalbenwurtz 165 b
Schießwurtz 210 a
Schifergrün 319 a
Schildkrot 306 a
Schirling 238 d
Schißmolten 187 b
Schlaffkrautz 45 c
Schlafkraut 74 d. 84 d. 100 d.
Schlang 285 c.
Schlangenkraut 200 d
Schlangenwurtz 102 d
Schlangenwurtzel 171 d
Schlehendorn 51 a
Schleie 304 b
Schlottenblům 283 b
Schlüsselblum 140 b
Schlutten 100 c
Schmaltz 372 d
Schmaltzblum 88 c
Schmaltzkraut 91 a
Schweinßtodt 101 c
Schmelen 174 d
Schmerbel 88 a
Schmertzen 152 a
Schmerwurtz 145 b
Schmerel 326 b
Schmirgel 326 b
Schneck 301 d
Schnegel 287 d
Schnepff 298 b
Schnittlauch 194 d
Schollen 301 b
Schorbocks 166 b
Schoßwurtz 150 d
Schröter 293 a
Schwaden 154 a. 255 d
Schwalb 296 a
Schwalbensteyn 325 d
Schwalbenwurtz 134 d 265 d
ein Schwalben 298 d
Schwan 292 c
Schwartz coriander 80 a
Schwartzhirtzwurtz 123 b
Schwartzkümmich 80 b
Schwartznießwurtz 161 b
Schwartzrettich 260 b
Schwartztaucher 298 b
Schwartzwurtz 145 b
Schwebelwurtz 73 a
Schwelcken 48 b
Schwein 278 d
Schwem 53 c
blaw Schwertel 178 d
klein blaw Schwertel 178 c
Sebasten 52 d
Schelkraut 139 b
See blůmen 176 d
Seenuß 65 b
Seidenwürmlin 287 a
Sekenneken 176 d
Selung 125 d
Sellen 25 d
Seuenbaum 23 b
Senetbletter 40 b
Senff 164 b
Sesel 231 b
Sewbrodt 260 a
Sewtodt 100 c
Sewfenchel 72 a
Sewkraut 100 a
Sewmelck 92 d
Seyelbast 38 d
Seyff 336 a
Seyffenkraut 76 c
Seylkraut 179 b
Siebengezeit 105 b
Sigmars kraut 157 d
Sigmunds wurtz 157 d
Silberglet 313 c
Silberschaum ibid.
Silberschlacken ibi.
Siler montan 231 b
Singrün 169 b
Sinnaw 217 b
Sittich 196 b
Sommerdoht 92 c
Sonnenwend gurtel 151 a
Sonnenwendende wolffsmilch 98 d
Sonnen wirbel 94 a
Sorg samen 255 a
Sozdöpffel 50 b
Spangrün 318 d
Spargen 141 d
Spatz 296 d
Specht 296 b
rot Specht 296 b
Speckblien 210 c
Speierling 50 b
Speltz 251 d
Sperenstich 148 c
Sperwer 291 d
Sperwerbaum 50 b
Speychelwurtz 76 c. 147 d. 234 d
Spick den narren 125 b
Spießglaß 319 c
Spigelsteyn 320 b
Spilling 52 b
Spin 386 d
Spinat 203 b
Spindelbaum 44 b
Spinnendistel 69 a
Spinnet 203 b
Spiren 293 a
Spitzmüntz 113 c
Spitznuß 65 d
Spozbienen 50 b
Spozöpffel ibi.
Spzingkörner 97 c
Staar 296 c
Stabwurtz 50 d
Stachdorn 43 b
Stachelfisch 307 c
Stachelnuß 65 b
Stahel 315 b
Stallkraut 72 a
Stechkraut 70 c
Stechöpffel 75 d
Stechpalmen 22 b
Steckrüben 191 a
Steyn blům 89 b
Steynbrech 200 d
hoher Steynbrech 220 b
hoher weisser Steynbrech ibi.
rot Steynbrech 220 c. 222 a
Steyndacht 326 c
weisser Steynbrech 220 b
Steyneschern 49 b
Steynfeder 222 a
Steynflachs 326 c
Steynflechten 216 c
Steyngunsel 145 c
Steynklee 105 d
gulden Steynklee 106 c
Steynkolen 318 b
Steynmilch 99 a
Steynmüntz 111 d
Steynnuß 29 b
Steynöl 328 c
Steynpfeffer 59 c
Steynrauten 221 d
Steynsamen 222 d
Steynsamen groß 77 d
Steynwicken 106 b. 170 c
Stendelwurtz 202 d
Steckblům 155 d. 89 b
Steckmeel 251 d
Sternkraut 101 d
Stichaskraut 124 a
stickwurtz 240 a
stier 276 d
stinckendbaum 56 c
stockfisch 301 b
stör 307 b
stoltzheynrich 188 a
storck 293 a
storckschnabel 152 b
strauß 191 d
streichblům 89 b
streichkraut 155 b
streyffwurtz 87 c
streychblůmen 108 b
strobildorn 71 b
süßholtz 185 c


## T.


Tag vnd nacht 117 b
Tamarisken 37 c
Tannen 35 b
Tannenschwam 54 b
Taub 290 c
Taubenfuß 152 b
Taubenkropff 166 d
Taubenrock 175 d
Taub habern 254 b
Taubnessel 109 c
Taubsucht 256
Tauchent 298 b
Taucher 296 a
Tausentblat 239 b
Tausentgulden 86 b
Tausentschon 104 c
Teschelkraut 139 b
Test 319 b
Teuffelsbiß 146 c
Teuffelsblům 194 a
Teuffelsdreck 329 b
Teuffelskirß 210 a
Teuffelsmilch 99
Teutscher imber 200 b
Teutscher reiß 252 b
Teutsch pfeffer 261 a
Thannen 35 b
Thierlenbaum 14 b
Thymchen 119 c
Tollkraut 100 d
Tollwurtz 147 a
Tormentill 215 c
Trachewurtz 178 a. 200 d
Traubenkraut 23 c
Trauffkraut 137 b
Treibkraut 97 c
Triacks kraut 126 c
Tropffwurtz 224 a
Tule 294 b
Türckis 323 a
Türckisch Cucumeren 213 b
Türckisch korn 253 d

Turckischer Beifuß 73 c
Turckischer hanff 97 a
Turtelraub 295 a
Twalch 256 c
Tyll 234 a

V.

Vchtblümen 197 d
Vehedistel 70 c
Veiel 180 a
Veielwurtz 178 d
Venediger pappeln 158 b
Venedischrosen 184 d
Versig 46 b
Vhn 293 d
Violn 180 a. gelb/ rot/ weiß/braun 181 a
Vlmenbaum 27 c
Vnholden kertz 139 d
Vnholdenkraut 78 a
Vnkraut der linsen 259 a
Vnschlit 272 d
Vnser frawen bettstro 242 d
Vnser frawen eiß 326 c
Vnser frawen flachs 154 c
Vnser frawen mantel 217 b
Vnser frawen müntz 113 c
Vnser frawen schülin 106 c
Vnser frawen welstro 242 d
Vogel kraut 167 c
Vogelsnester 229 c
Vogelswicken 105 d
Vorstooß 274 d

W.

Wacholterbaum 24 b
Wachtel 295 d
Walddistel 22 b
Wald geyßbart 96 a
Wald gilgen 210 c
Waldglöcklin 73 d
Waldhänle 163 b
Waldhirßzung 225 b
Waldholder 48 a
Waldknoblauch 196 a
Waldköl 186 b
Waldkümmel 231 b
Waldmangole 286 b
Waldmeyster 243 c
Waldreben 210 b
Waldrüben 259 c
Wald seuenbaum 180 a
Walfisch 305 b
Wallendistel 72 c
Walwurtz 145 b
Wandtleußkraut 64 b
Wantzenkraut 111 b
Wantzkendyl 79 c
Wasserampffer 88 b
Wasserbatenig 196 d
Wasserdost 242 b
Wassereyff 236 d
Wasserfenchel 239 d
Wasser kreß 159 d
Wasserkressen 114 b
Wasserlinsen 175 c
Wassermähen 176 d
Wasser merck 136 b
Wassermoß 236 d
Wassermüntz 175 c
Wassernuß 114 b
Wasserpfeffer 65 b
Wasserpungen 161 d
Wasserstelitz 136 b
Wassertannen 297 c
Wasserwegrich 331 a
Weberkarten 66 d
Wedwinden 207 b
Wegdornbeer 43 a
Wegdutt 168 d
Weggraß 168 d
Wegkümmel 232 c
Wegerich 142 a
Italisch Wegerich 131 a
Wasserwegerich 142 c
Wegwart 93 d
Wegweiß ibi.
Weiden 25 c
Weiderich 135 b
Weierbintzen 175 a
Weiernuß 65 b
Weihe 291 b
Wein garten winden 207 b
Weinsteyn 336 b
Weinstock 18 c
Weirauch 332 a
Weiß distel 70 b
Weiß wegdistel ibi. c
Weiß meßwurtz 172 c
Weiß wurtz 170 c
Welsamen 149 d
Welschbeernklo 69 d
Welsch bonen 245 d
Welsch distel 71 b
Welsch weiß distel 67 d
Welsch hirsen 255 a
Welschkirsen 14 b
Welschlinsen 40 b
Welschnus 89 b
Welsch schlutten 100 c
Welsch violn 180 d
Welsch weyß 250 c
Welsche bibernel 230 b
Welscher flöhsamen 232 a
Welscher quendel 119 c
Welscher steynbrech 231 b
Wermüt 149 c
Wersenbeer 43 a
Wespe 299 a
Wetterröslin 158 b
Wetzsteynkraut 72 a
Weydt 149 a
Weyssen kolb 250
Weytzen 256 b
Wicken 247 d
feld Wicken 248 b
roß Wicken ibi.
zam Wicken ibi.
Widder 275 d
Widerschein 78 a
Widerthon 222 c
guldener widerthon 222 c
widhopff 296 c
wildampffer 87 c
wild bonen 245 d
wild Christwurtzel 171 d
wildfarn 214 c
wild fenchel 233 c
wild gartensaffran 66 b.
wild knoblauch 196 b
wildpappel 157 b
wildsawdistel 92 b
wild scharlach 122 a
wildschwartz Cotiander 80 d
wild sperwerbaum 50 d
wild weinreben 19 c
wild wicken 248 b
wilder balsam 113 c
wilder dactelbaum 18 b
wilder feldtsaffran 68 c
wildergalgen 77 b
wilder kürbs 211 b
wilder müntz 113 c
wilder ölbaum 21 a
wilderpoley 112 b
wilder salbey 112 b
winden 207 a
glatt winden 207 a
kleyn winden 207 b
zaun winden 207 b
stechend winde 207 c
windenkraut 207 a
wintergrün 186 b
winter violn 180 d
wisel 284 a
wisenblüm 88 c
wisenklee 104 d
wisenköl 70 a
wisen mangolt 186 a
wisenwollen 174 b
wisenzeitlosen 197 d
wiß kümmel 231 c
wolff 283 b
wolffs beer 147 a
wolffsmilch 98 a
wolffsstreel 66 d
wolffswurtz 147 b
wolgemut 118 c
wullkraut 139 d
wunderbaum 97 a
wundkraut 61 b
heydnisch wundkraut 241 d
wuntscherling 238 d
wurm 287 b
wurmsamen 149 d. 141 c
wütrich 238 d
wutzerling 238 d

Z.

Zapffenholtz 44 a
Zäpfflinkraut 169 d
Zaunkünglin 298 c
Zebasten 88 b
Zecke 97
Zeckenkörner 97 a
Zeitlosen 131 c
Zenkraut 103 b
Zeunling 210 c
Zeyßkraut 4 b
Zigelsteyn 321 a
Zimmetrinden 264 a
Zimmetröz 264 a
Ziser erbsen 244 d
Zitterwurtz 87 c
Zitwenwurtz 262 b
wilder Zitwen 210 a
Zucker 333 b
Zumpenkraut 61 d
Zunge 307 a
Zungenblatt 169 d
Zweyblat 241 b
Zwibel 192 b
acker Zwibel 193 a
feld Zwibel 193 a
Zwibelfisch 307 a
Zwibelsop 220 b
Zwitter 319 b
Zydern 256 d
Zige 277 d
Zigen kraut 238 d
Ziland 38 b
Zimmern 296 a

INDEX GALLICARUM uocum huius operis.


A.

Able 307 a
Absynse 149 c
Aguille de berger 152 b
Aigle 290 d
Aigremoine 217 d
Ail de iardin 195 c
Alose 307 b
Aloutte 297 b
Aluyne, oufort 149 c
Ameos 232 d
Ancolie 85 b
Aneth 234 a
Angelique 217 a
Anguille 302 b
Anis 234 c
Armoyse 151 a
Arreste beuf 72 a
Arroche 187 b
Artemise 151 a
Artichault 71 b
Artichault sauuage 70 c
Articocs 71 b
Auluee 132 d
Auoyne 254 b
Auronne 150 d
Autruche 291 d

B.

Bacile 257 d
Barbe de boue 65 d
Barbue 80 b
Baselic 116 c
Bassinet 162 c
Battemate 297 c
Beillen 139 d
Beree 298 b
Becle aquaticque 136 b
Betoine 138 a
Bette 186 c
Bistorte 102 d
Bourse à pasteur 139 b
Branche ursine 69 d
Broches 105 c
Bugraues 72 a

C.

Cabaret 127 b
Caille 295 a
Camomille 89 d
Carchofilos 71 b
Carline noire 67 d
Carui 232 c
Canard 290 b
Cane 290 b
Capriole 164 a
Cent teste 72 c
Cerfueil 238 a
Chanure 153 a
Chardon 72 c
Chardon à carder 72 c
Chardon neret 297 b
Chaßeboßt 135 b
Chathuane 293 d
Chauueſoris 297 d
Chelidoine 165 d
Cheruys 190 b
Chesnette 62 b
Chiche Sauuage 260 a
Choux 188 d
Cichoree 93 d
Cicotrin 200 a
Cocles 83 b
Cocou 294 c
Comin 232 a
Comin ſauuage 80 b
Conſyre 130 d. 145 a
Coquelicoc 81 b
Coquelourdes 83 b
Coqueretz 83 b
Corbeau 293 d
Coriandre 79 c
Corneille 294 a
Corneolle 135 b
Corrigiole 158 d
Courge 211 a
Crabes 302 c
Creſſon 159 d
Curage 162 a
Cygne 292 c
Cygoigne 293 a

D.

Domte uenin 134 d
Du ſeneſſon 96 c

E.

Erculiſſe 185 c
Ers 248 c
Eſperge 141 c
Eſpid' eau 175 b
Eſpinarts 103 b
Eſpreuier 291 d
Eſpurge 97 c
Eſteurneau 296 c
Eſtiere 165 d
Eſtrangle liepard 147 a
Euphraiſe 103 d

F.

Fenegrec 407 c
Fenoil 233 c
Ferraſa 301 c
Feue 246 c
Fiel de terre 86 b
Faugere 222 b
Fumeterre 166 d

G

Gelline 289 c
Ganteletz 73 d
Garance 243 d
Garderoble 150 d
Gay 294 b
Germandree 62 b
Glaieul 178 d
Gleteron 64 c
Gouuion 307 b
Goutte de lin 208 b
Gramphus 307 a
Grande cichoree 92 b
Graſſette 61 b
Gratteron 243 b
Gratteron tenant aux robbes 65 a
Gremil 222 d
Griue 295 d
Grue 292 d

H

Harondelle 296 d
Haſte royalle 204 b
Herbe à iaunir 208 b
Herbe à puces 132 a
Herbe au charpentier 102 b
Herbe de l'eſtoille 101 d
Heron 294 d
Hibon 293 d
Houblon 208 d
Huppe 296 c
Hyſoppe 120 d

I

Ioubarbe 59 b
Inſquiane 84 d
Iue 159 a

L

Lacteron 92 b
Lamproyie 304 d
Langue de ſerpent 103 a
Langue du boue 143 d
Latteron 91 b
Le herbe au poulx 147 d
L'herbe aux Ladres 63 c
Lentille 249 a
Leueſſe 227 d
Leupatoire 27 d
Lierre terreſtre 205 d
Lin 153 c
Lin iaulne ſauuage 154 d
Lunulette 104 d

M

Macres 65 d
Marguerite blanche 88 d
Marone 117 c
Marrochin 110 a
Maulue 156 a
Maulue ſauuage 157 d
Meliſſe 211 b
Merle 295 d
Merutille 75 d
Meſange 297 d
Mil 254 c
Milan 291 b
Mille fueille 239 b
Mille graine 73 c
Mille pertuis 129 c
Millet 254 c
Moineau 296 d
Morelle de iardin 100 a
Morelle marine 74 d
Morgeline 168 b
Mors de diable 164 c
Mourron 167 c

N

Napolier 64 c

O

Oeil de bœuf 89 b
Oignon 192 b
Orge 251 b
Ortie 108 d
Ortie puante 135 d
Orualle 122 a
Oſmunda regalis 223 b
Oye 290 a
Oztille 88 b

P

Pain de pource 259 c
Pain porcin 259 c
Palme dieu 97 a
Parietaire 237 b
Paſd'aſne 226 b
Paſſerage 161 b
Paſſeuelours 104 c
Paſtel 49 a
Patience 87 c
Pauot 81 d
Pauot cornu 82 c
Peaulte 251 d
Peluette 94 d
Perche 304 b
Perdix 295 a
Perſil d'aſne 238 c
Perroquet 79 a
Peruenche 269 b
Petoncles 301 b
Petroquet 296 b
Peucedane 73 a
Pic 296 b
Pied d'aloette 182 c
Pied de iars 101 c
Pied de pigeon 152 b
Pinert 296 b

Plantain 142 a
Plonget 296 a
Poiure 80 b
Poliot 119 a
Pommes d'ammours 75 b
Porreau 194 c
Pors 244 c
Pours rouges ibi. d
Pourchaille 60 d
Pourpier ibid.
Pulege 114 d
Putput 296 c.

Q.

Queue de pourceau 73 a.

R.

Racine sentant la rose 62 a
Ramier 294 d
Raue 190 d
Regalice 185 c
Resize ou galliot 127 c
Riebles 243 b
Rosage 78 a
Rosagne ibi.
Rosmarin 123 c
Rossignol 297 a
Roytelet 298 c
Rue de iardin 128 b

S.

Salette 88 b
Sanguinaire 164 a
Sanicle 216 d
Sarrasine 134 a
Saturon 120 b
Saulmoon 301 d
Scabicuse 146 a
Scariol 93 d
Seneue 160 c. 164 b
Serpolet 119 a
Signet de Salomon 170 c
Souchet 77 b
Soulsie 89 c
Sphatule Puante 64 b
Stichas 124 a
Stipoule 193 c
Stramonia 75 c

T.

Tithymale 98 a
Tormentille 215 c
Torpin 307 a
Tortoue 306 a
Treffle 104 d
Truitte 302 a
Turturelle 295 a

V.

Vaultour 291 b
Verdon 298 a
Veruaine 138 d
Vesse sauuage 247 d
Vinciboisse 210 d
Vinette 88 b
Vit de chien 200 a
Vne poulle 289 c
Vng coq 289 c.

Finis.

# INDEX MORBORVM, QVORVM REMEDIA hoc opere exponuntur.

A.

Abortum facientia. 26 c. 210 b & c. 224 a.

Album fluxum mulierum cohibentia. 63 a. 77 a. 105 b. 111 a. 123 d. 240 c.

Abscessuum remedia. 106 d. 107 d. 20 c. 46 c. 146 a. 157 a. 160 d. 180 b. 192 d. 210 c. 251 a.

Aculeos extrahentia. Vide Infixa corpori educentia.

Adstringentia. 13 c.

Adustiones. Vide ambusta.

Aegilops. 127 c. 156 d. 257 b.

Alarum uirus. 71 a.

Alopecias curantia. 30 c. 143 c. 187 a. 192 d. 196 a. 204 b & d. 222 d.

Alphos purgantia. 204 d. 205 c. 214 c.

Aluum mollientia. 20 c. 45 d. 47 d. 66 c. 79 b. 91 d. 96 b. 103 d. 109 a. 130 d. 141 d. 143 c. 172 a. 187 c. 191 d.

Aluum sistentia. 13 c. 14 c. 17 c. 20 c. 22 d. 24 a. 28 c. 31 b. 32 a & c. 45 b & d. 46 c. 51 d. 94 d. 107 a. 108 c. 129 a. 139 c. 141 b. 158 b. 169 b. 174 d. 177 b. 187 a. 202 d. 215 d. 225 a. 240 b c. 250 d. 251 a & c. 255 a. 264 a.

Aluum soluentia & purgantia. 12 d. 76 d. 121 b. 160 b. 187 a. 189 c. 210 b. 211 d.

Aluum turbantia. 188 a.

Ambustorum remedia. 17 c. 34 a. 37 b. 38 b. 43 a. 49 b. 69 a. 70 a. 115 b. 120 a. 130 b. 137 c. 154 a. 174 b. 197 c. 204 d. 205 b. 207 a. 224 a. 242 d.

Anginæ remedia. 13 a. 15 a. 39 d. 48 a. 102 a. 109 b. 115 a. 137 c. 150 a. 157 a. 170 c. 180 b. 214 d. 215 b. 216 d. 228 b. 250 d.

Anhelitus difficultas. Vide dyspnœam.

Animalia uentris. 15 a. 53 a. 59 d. 68 b. 80 a. 86 c. 112 c. 113 d. 121 b. 129 a. 150 d. 152 a. 192 c. 195 b & d. 223 d. 236 b. 247 c. 262 c. 265 d.

Animi defectus. 110 d. 115 b. 117 a. 123 d. 141 b. 194 b. 205 b.

Apertiua meatuum medicamenta. 28 c. 29 a. 94 b. 137 c.

Appetitum generantia. 19 b. 47 a. 150 b & c. 187 a. 188 c. 189 d. 190 b. 162 b.

Apum ictus remedia. 22 a. 114 d.

Aqua intercus. Vide hydrops.

Araneorum ictus. 25 b. 38 a. 91 d. 103 d. 115 b. 151 a.

Arborum remedia. 9. & 10.

Argemata. 122 b. 168 c.

Arquatus morbus. 22 c. 34 c. 39 a. 78 d. 79 b. 85 c. 86 a & c. 88 c. 89 b. 94 d. 95 c. 104 b. 121 b. 123 d. 125 c. 131 b. 138 b. 139 a. 141 d. 150 a & b. 155 b. 158 d. 163 b. 166 a. 167 a. 185 b. 187 c. 198 d. 199 d. 206 a. 208 c. 209 c. 212 b. 214 d. 215 b. 218 b & c. 220 d. 221 d. 222 d. 225 d. 237 a. 244 a.

Arteriam tracheam leuigantia. 87 a. 109 b. 123 d. 129 a. 145 d. 165 b. 185 d. 217 b. 250 d.

Articulorum morbi. 21 a. 37 c. 41 d. 75 b. 120 a. 132 c. 138 c. 141 b. 240 c.

Ascarides perimentia. 16 d.

Asthmaticorum remedia, Vide suspiriosos.

Auditus grauitas. 29 a. 69 a. 142 d.

Aures purulentæ. 20 d. 58 b. 134 c. 150 a. 194 b. 204 d.

Aurium dolor. 26 a. ibi. c. 73 b. 85 a. 88 c. 118 d. 129 a. 136 a. 137 c. 138 c. 169 b & c. 201 b. 214 c. 227 c. 243 b.

Aurium hulcera. Vide parotides.

Aurium tinnitus. 22 d. 29 d. 117 d. 192 d.
Aurium uermes. 41 a. 67 a. 85 c. 111 a. 112 d. 132 c. 153 c.

B.

Bestiarum uenenatarum morsus remedia, Vide Venenatorum ictus.
Bilem purgantia. 86 c. 96 b. 137 a. 160 d. 167 b. 182 b. 188 c. 214 c & d. 224 b. 263 a. 266 b.
Bilem sedantia. 113 d. 169 b. 221 d.
Bubones curantia. 102 a.
Bupresti remedia. 20 c.

C.

Cacoethe ulcera. 132 c. 173 a.
Calculum pellentia. 19 a. 22 d. 28 c. 34 c. 39 b. 45 d. 52 c. 64 a. 69 a & c. 72 b & d. 77 c. 78 d. 88 d. 101 b. 114 c. 131 b. 133 a. 136 b. 151 d. 153 a. 155 b. 157 a. 160 d. 168 c. 169 b. 170 d. 179 d. 182 d. 184 c. 185 b. 189 d. 194 b. 206 d. 207 c. 209 b. 220 c & d. 221 b & d. 222 b & d. 223 b. 225 d. 228 b. 237 a. 238 b. 262 d. 268 d.
Calidos dolores omnis generis iuuantia. 26 c. 49 b. 61 a. 180 b & c. 182 d. 219 d.
Calorem sedantia. 27 c. 168 a. 187 a. 226 d.
Callos tollentia. 120 a.
Canis rabidi morsus. 29 d. 109 b. 113 d. 133 d. 138 c. 143 c. 168 c. 184 c. 192 d. 195 d. 227 c. 228 b. 251 a.
Cantharidum remedia. 20 c. 32 d.
Canum morsus. 28 d. 29 d. 48 a. 248 a. 249 a.
Canum scabies. 57 b.
Capillos denigrantia. 32 d. 58 b. 123 a. 207 a.
Capillos denudantia. 19 b. 97 d. 99 d. 224 c.
Capillos flauos facientia. 22 d. 64 d. 65 b.
Capillos generantia. 30 a. 151 a.
Capillorum defluuium sanantia. 79 b. 107 d. 187 a. 221 a.
Caput purgantia, Vide Destillationes.
Capitis dolorem sedantia. 17 c. 19 b. 28 d. 58 d. 62 b. 69 a. 73 b. 78 d. 79 b. 102 c. 117 a. 125 d. 126 d. 132 c. 138 c. 150 a. 214 d. 264 a & b. 266 c.
Capitis feruorem sedantia. 20 d. 46 a. 211 d.
Capitis fluxus, Vide Destillationes.
Capitis malam scabiem curantia. 99 d. 107 d.
Cardiacam curantia. 110 d. 125 c.
Carbunculorum remedia. 19 c. 20 c & d. 24 a. 30 a. 49 b. 83 a. 143 a. 177 c. 205 c. 249 a.
Capitis ulcera. 107 a & d. 111 a. 129 a. 194 b. 205 c. 221 d. 244 d. 247 d.
Carcinomata. 69 c. 109 b. 120 d. 124 a. 143 a. 155 b. 164 c. 189 d. 201 b. 216 d.
Carnem excrescentem cohibentia. 97 d. 165 c. 200 c.
Carnem in ulceribus gignentia. 134 c. 227 c.
Carnem glutinantia. 24 a. 28 a. 86 b.
Cereuisiam dulcem conseruare. 179 b.
Choleram reprimentia, Vide bilem sedantia.
Cicatrices indurantia. 79 b. 134 d. 218 b.
Cicatrices nigras pellentia. 210 c. 214 c.
Cimices pellentia. 150 b.
Cittæ remedia. 19 a.
Clauos pellentia. 26 a. 250 d.
Cœliacis opem ferentia. 19 a. 58 b. 60 b. 70 d. 142 d. 164 b.
Colicos iuuantia. 22 a. 26 a. 34 a. 44 d. 87 a. 129 a & b. 154 a. 156 d. 212 b. 218 b. 224 b. 255 a.
Collectiones discutientia, Vide abscessuum remedia.
Comitialis morbus. 34 a. 55 d. 73 b. 90 c. 102 a. 110 d. 115 b. 121 b. 124 c. 131 b. 138 b. 148 d. 156 d. 172 d. 180 b. 182 a. 183 c. 184 c. 185 b. 203 d. 210 b. 220 d. 262 d.
Conceptum adiuuantia. 137 a.
Concoctionem iuuantia. 15 d. 113 d. 120 d. 133 a. 138 b 149 d. 188 c. 228 b. 261 d. 263 b. 264 a c & d. 265 a.
Condylomata. 19 c. 79 b.
Conuulsionem iuuantia. 24 c. 70 a & d. 71 a. 73 b. 85 c. 87 a. 110 d. 115 b. 118 c. 124 c. 127 b. 129 b. 134 d. 141 c. 145 d. 150 d. 152 a. 158 b. 181 a. 204 c. 262 d.
Cor confortantia. 144 c & d. 145 a. 180 b. 181 c. 183 c. 184 c. 185 b. 215 b. 219 a. 225 a & d. 243 c. 263 b.
Cordis dolor. 129 a.
Cordis tremor seu palpitatio. 110 d. 145 a. 265 a.
Corporis agilitatem facientia. 20 d.
Corporis malum habitum emendãtia. 12 d.
Corrosiua medicamenta. 29 a. 97 d. 163 d. 165 b.
Coxendicum dolor. 26 c. 70 d. 120 d. 229 a. 165 b. 206 a. 227 c. 240 c.
Cruditatem pellentia, Vide concoctionem iuuantia.
Crustas adimentia. 20 d.
Culices fugantia. 2 c. 24 a.
Cutem dealbantia. 107 a. 214 a. 244 d.
Cutis uitia tollentia. 28 d. 111 a. 114 c. 133 d. 139 a. 192 a. 196 a. 197 c. 200 c. 203 d. 205 c. 264 c.

D.

Delirantium remedia. 172 d.
Dentes dealbantia. 118 d. 123 d. 134 d.
Dentes extrahentia. 21 a.
Dentes firmantia. 20 d. 21 a. 61 a. 194 b.
Dentium dolorem mitigantia. 12 a. 13 a. 32 b. 35 a. 37 b. 38 b. 44 a. 58 b. 71 a. 72 b. 73 b. 85 a. 88 c. 118 d. 121 b. 125 c. 138 c. 142 d. 148 c. 150 b. 157 c. 160 b. 161 d. 163 d. 166 a. 173 a. 214 c. 227 c. 235 b.
Destillationes cohibentia. 24 d. 30 c. 55 a. 63 a. 82 a. 143 c. 155 b. 157 a. 163 b. 166 c. 171 a. 219 d. 261 d. 263 c.
Diarrhœa, Vide aluum sistentia.
Dorsi dolor. 111 a. 126 d.
Dolores intra corpus omnis generis. 151 a. 169 b. 117 b & d.
Dolor membrorum, Vide membrorum dolor.
Duritias mollientia. 20 d. 24 a. 197 c. 198 a & d. 247 d.
Dentium stuporem curantia. 61 a.
Dentitionem infantium iuuantia. 268 d.
Dysenteriæ remedia. 16 d. 18 a & d. 19 a. 24 a. 31 b. 32 c. 45 d. 51 d. 58 b. 61 a. 87 a. 122 d. 131 b. 132 c. 136 c. 141 d. 142 d. 143 c. 145 d. 157 c. 158 b. 174 d. 186 b. 206 a. 208 a. 240 b & c.
Dyspnœam iuuantia. 17 c. 21 d. 36 a. 73 d. 76 d. 90 c. 99 d. 109 b. 117 a. 123 d. 127 b. 133 a. 137 c. 138 c. 160 b. 180 a. 194 a & b. 200 c. 208 a. 210 d. 214 d. 220 a. 221 d. 224 b. 226 b.

E.

Ebrietatem pellentia. 28 d. 184 c. 189 b.
Elephantiæ remedia. 64 a. 120 a. 127 c.
Epinyctidis remedia. 19 c. 20 c. 28 d. 114 c. 189 d.
Equorum scabies. 136 c.
Equorum morbum curantia. 224 a.
Erodentia medicamenta, Vide Corrosiua.
Erucas pellentia. 2 d.
Erysipelatis remedia, Vide Ignis sacer.
Excreationes sanguinis. 14 d. 18 a & d. 19 a. 20 c. 24 a. 26 a. 28 d. 31 b. 34 a. 38 a. 45 d. 65 b. 70 d. 79 b. 108 c. 113 d. 119 c. 133 a. 142 d. 145 d. 169 b. 176 c. 217 b. 250 d. 251 a.
Excreationes purulentæ. 65 b. 74 a. 145 d.
Excoriationum remedia. 16 d. 29 a.
Excrescentias carnis cohibẽtia, Vide carnis excrescentias.
Exiccantes Medicinæ, Vide Siccantia.

F.

Faciei maculas tollentia. 20 d. 28 d. 29 a. 36 b. 92 d. 123 d. 136 c. 141 b. 155 b. 171 a. 192 a & d. 200 c. 201 b. 205 c. 210 c. 214 a & c. 215 b. 228 b. 244 d. 265 d.
Fastidium tollentia. 120 d.
Faucium morbi remedia. 102 c.
Febris. 19 a. 45 d. 47 a. 52 c. 53 a. 59 d. 63 d. 64 d. 86 c. 93 b. 138 c. 144 b & d. 150 c. 156 d. 177 b. 179 a. 180 b. 218 b. 226 b. 227 c. 261 d.
Febris quartana. 67 a. 69 a. 95 c. 105 d. 141 d. 144 d. 203 d. 209 c. 212 b. 224 b. 225 d.
Febris tertiana. 18 b. 105 d. 112 c. 140 d. 144 d. 212 d.
Fistulas sanantia. 21 a. 24 d. 48 a. 124 a. 143 a. 153 a. 155 b. 172 b. 173 a. 184 c. 189 d. 201 b. 202 d. 216 a & d.
Flatus discutientia, Vide inflationes.
Flatus generãtia, Vide inflationes facientia.
Fluxiones inhibentia. 14 c. 16 d. 20 d. 82 b. 134 d. 215 d. 266 c.
Fœminarum sterilitatem efficientia, uide sterilitatem.
Fœtus necantia, Vide partũ perimentia.
Fœtum educentia. 22 c. 136 c. 152 a. 210 c. 227 c.
Formicas pellentia. 9.
Fracturarum remedia. 60 d. 217 b.
Frigidos dolores omnis generis iuuantia. 22 a. 220 d.
Fungorum remedia. 54 d.
Furfures purgantia. 63 a. 107 d. 122 a. 146 c. 157 a. 160 b. 194 b. 221 d. 250 d.
Furunculos tollentia. 187 c. 204 d.

G.

Gallinaceam pituitam curantia. 22 d.
Gallica scabies, Vide scabies Gallica.
Gangrænæ remedia. 19 c. 58 b. 111 c. 158 a. 189 d. 210 c. 216 d. 247 d.
Genitalium morbi remedia. 21 a. 93 a. 129 a. 133 a. 139 a. 153 a. 250 d. 251 d.
Genituram augentia. 29 a. 33 c. 35 a. 79 b. 141 d. 154 c. 191 b. 192 d. 256 a.
Genituram extinguentia. 25 b. 129 a. 177 b.
Gingiuas firmantia. 32 d. 36 b.
Gingiuarum putredinis remedia. 16 d. 21 a. 44 a. 52 c. 169 b. 216 d.
Gingiuarum ulcera. 25 b. 79 b 144 d.
Glabros seu depiles facientia, Vide pilos denudantia.
Glutinantia medicamenta. 217 b. 239 c.
Gonorrhœæ remedia. 32 a. 45 d. 61 a. 143 c. 179 a.
Grauedinem curantia. 24 d. 184 c.

H.

Hæmorrhoides sistentia. 16 d. 72 b. 79 b. 122 b. 192 d.

Halitum oris emendantia. 15 d. 36 b. 123 d. 194 b. 262 b. 263 b. 264 a & d.
Hepaticorum remedia. Vide Iocinoro sorum remedia.
Herniam curantia. 24 a. 61 c. 95 c. 132 c. 145 d. 175 d. 241 a. 251 c.
Herpetem curantia. 43 c. 60 b. 149 b. 160 b. 166 a. 189 d. 201 b. 202 d. 216 a. 239 b.
Hominis morsus remedia. 30 d. 248 a. 249 a.
Hulcera manantia, Vide Manantia.
Hulcerum remedia. 13 a. 16 d. 20 c. & d. 24 a. 38 b. 43 b. 55 d. 65 d. 83 a. 86 c. 126 d. 135 a. 143 c. 157 a & c. 160 b. 188 b. 192 d. 197 c. 200 c. 202 d. 207 a. 210 c. 216 d.
Humores uiscosos educentia. 49 a. 73 b. 76 d. 86 c. 94 b. 105 b. 115 a. 119 c. 134 c. 137 a. 160 b. 166 c. 171 a. 179 a. 191 d. 212 b. 221 b. 235 b. 262 a. 264 a b & c.
Hydrops. 13 a. 21 a. 25 b. 33 c. 38 c & d. 39 a. 47 d. 55 b. 63 a. 68 b. 77 c. 94 b. 99 d. 117 c. 118 c. 127 b. 129 a. 135 a. 167 a. 168 c. 194 a & b. 195 d. 205 b. 208 c. 218 c. 221 b. 237 a. 264 c.

I.

Ictericorum remedia, Vide arquatum morbum.
Ignem sacrum restinguentia. 20 c. 21 a. 24 a. 43 b & c. 45 a. 60 b. 61 a. 75 b. 82 b. 126 d. 127 c. 132 c. 136 c. 137 c. 139 a. 141 b. 149 b. 153 c. 157 a. 173 c. 189 d. 205 c. 237 b. 239 b.
Iecur purgantia. 24 c. 218 b.
Impetigo. 165 b. 167 b. 214 c.
Infixa corpori extrahentia. 44 d. 72 d. 96 b. 116 a. 122 b. 134 d. 138 c. 157 a. 160 b. 168 c. 173 c. 197 c. 198 a. 224 a.
Inflammationes. 22 c. 25 b. 26 c. 33 b. 35 a. 37 b. 43 c. 45 a. 48 a. 60 b & d. 61 a. 89 b. 91 d. 92 a. 94 b. 95 c. 96 d. 97 b. 101 b & c. 102 c. 108 b. 117 a. 121 b. 130 d. 137 a & c. 141 b. 143 a. 145 d. 149 b. 153 c & d. 157 a. 168 a. 169 b. 173 c. 175 c. 177 b. 179 d. 180 b & c. 182 b & d. 183 b & c. 184 c. 186 b. 187 c. 189 d. 197 c. 202 d. 205 b. 207 d. 210 c & d. 211 d. 213 d. 215 b. 217 b. 219 a & d. 226 d. 239 b. 241 a. 250 d. 251 d. 254 c.
Inflationem facientia. 103 d. 191 b & d.
Inflationes discutientia. 24 c. 73 b. 25 b. 29 a. 109 a. 125 c. 150 b. 220 d. 237 a. 261 d. 264 a & d. 265 a.
Insaniam generantia. 75 a.
Insaniam pellentia. 145 a.
Intertrigo. 27 a. 35 a. 109 b. 124 a. 143 a. 184 c. 191 b. 200 c.
Iocinoris affecti remedia. 11 d. 22 a. 25 b. 28 c. 35 a. 36 c. 46 a. 54 d. 64 a. 72 d. 76 d. 86 c. 95 d. 134 c. 141 d. 144 d. 155 b. 157 a. 167 a. 175 d. 189 d. 194 a. 205 b. 215 b. 218 c & d. 219 b & d. 221 d. 225 a. 226 d. 264 c.
Ischias. 28 d. 39 d. 41 a. 64 d. 71 a. 73 b. 82 d. 120 a. 127 b. 130 a & c. 131 a. 133 a. 138 b. 141 d. 151 a. 160 d. 161 d. 194 b. 214 c. 217 b. 257 b. 262 d.
Iumentorum scabiem & ulcera curantia. 21 a. 33 b. 121 c. 162 b. 210 c. 224 a. 247 d.
Iumentorum tussis. 64 a. 141 b. 220 a.
Iumentorum argemata & nubeculæ. 83 a.
Iumentorum in hulceribus uermes pellentia. 136 a. 188 b.
Iumentorum pestis remedia. 172 b.

L.

Labiorum fissuræ. 117 a.
Lactis grumos in mammis discutientia. 237 b.
Lac augentia. 25 b. 80 d. 93 a. 108 a. 144 b. 156 d. 183 b. 210 b. 244 d. 251 c. 253 c.
Lac extinguentia. 239 b.
Lassitudinem pellentia. 27 c. 152 a. 181 c. 243 a.
Laterum dolor. 33 c. 44 d. 51 d. 71 a. 85 a. 95 d. 105 c. 126 d. 129 a. 133 a & d. 134 d. 146 b. 156 d. 180 b & c. 204 c. 210 b. 227 c. 228 b. 237 a. 251 d.
Lendes necantia. 38 b. 147 d. 173 a. 195 d.
Lentiginem pellentia. 114 c. 136 c. 210 c. 249 a. 264 c. 266 c.
Lepræ remedia. 19 b. 76 d. 120 a. 161 d. 165 b. 167 b. 189 d. 205 c. 214 c. 215 b. 260 a.
Lethargicos excitantia. 73 b & c. 75 a. 114 c. 115 b. 117 c. 120 d. 160 b.
Lethargum inducentia. 75 a.
Lichenas curantia. 14 a. 15 a. 52 c. 190. 143 a.
Lienem minuentia. 63 a. 225 a & c. 264 a.

Lienis affectiones tollentia. 25 b. 28 d. 38 a. 41 a. 54 d. 55 d. 59 d. 63 a. 64 a. 72 d. 76 d. 86 c. 101 b. 112 d. 116 a. 134 d. 149 b. 157 a. 161 d. 181 d. 189 d. 194 a. 206 d. 210 b & d. 221 d. 222 d.

Limaces fugantia. 2 c.

Linguæ inflammatio. 17 c. 61 a. 102 c. 117 a. 130 d. 132 c. 144 d. 157 a.

Linguæ paralysis, Vide paralysis linguæ.

Lippientes oculi. 136 a. 141 b.

Liuentia membra. 141 b.

Lumbricos pellentia, Vide animalia uētris.

Luscioſi, Vide Nyctalopes.

Lumborum affectiones. 72 d. 111 d. 144 b. 155 b. 173 c.

Luxatorum remedia. 21 a. 30 d. 64 d. 70 a. 117 d. 120 a. 132 c. 141 b. 142 a. 197 c. 205 c. 210 c. 218 b. 250 d. 251 c. 254 c.

M.

Maculas tollentia. 92 d. 112 d. 154 a. 181 d. 192 a. 197 c. 244 a. 249 a.

Mammę uirginum ne nimis grandes fiant. 239 b.

Mammillarum ulcera. 153 a.

Mammarum durities & tumor. 19 c. 113 d. 127 c. 165 b. 197 c. 204 c. 249 a.

Manantia hulcera. 14 c. 16 d. 101 c. 121 c. 168 c. 170 b. 186 b. 189 d. 244 d.

Mariscas tollentia. 111 a. 126 d. 129 a. 136 a. 139 a. 143 c. 166 c. 200 c.

Manuum tremorem pellentia. 216 d.

Matrix, Vide Vulua.

Matricem procidentem retrahentia. 17 c. 32 d.

Meatus aperientia, Vide apertiua, item obstructiones aperientia.

Melancholiæ remedia. 15 d. 38 a. 39 a. 111 c. 118 c. 144 b & d. 145 a. 172 d. 194 b. 208 c. 221 d. 224 b. 225 d. 244 a. 253 c. 266 b.

Melicerides. 107 a. 249 a. 258 d.

Membrorum dolor. 133 a. 153 d. 197 c. 198 a. 201 b.

Memoriam iuuantia. 69 a. 104 b. 113 d. 127 c. 183 c.

Menses ducentia. 24 a. 25 b. 69 b & c. 72 d. 74 a. 78 d. 89 d. 90 c. 110 d. 117 a. 126 d. 131 b. 134 c. 135 a. 136 c. 137 c. 151 d. 152 a. 170 a. 172 c. 181 d. 195 b. 196 a. 198 d. 200 c. 204 c. 206 a. 207 a. 221 d. 227 c. 228 b. 264 c. 265 d.

Menses cohibentia. 32 a & d. 38 a. 42 a. 46 c. 77 a. 86 c. 101 b. 107 a. 112 d. 135 c. 139 c. 145 d. 169 b. 174 d. 177 c. 186 b. 188 a. 207 a. 240 b.

Morbum incognitū deprehendere. 213 a.

Morbus regius, Vide Arquatus morbus.

Mortuos fœtus educentia. 22 c. 53 b. 56 d. 76 d. 86 c. 114 c. 116 a. 119 d. 131 d. 133 d. 151 d. 141 c. 244 a. 247 d. 270 b.

Mures perimentia. 148 c. 173 a.

Muscas necantia. 54 d. 173 a.

N.

Narium hulcera. 24 a.

Nauseam discutientia. 17 c. 47 a. 113 d. 114 a. 189 c.

Neruorum remedia. 29 a. 61 b. 73 b. 96 d. 129 b & d. 117 c. 152 a. 184 c. 197 c. 103 d. 205 c. 250 d.

Nomas curantia. 20 c. ibi. d. 22 c. 189 d. 202 d.

O.

Obstructiones aperientia. 28 c. 29 a. 38 a. 94 b & d. 109 b. 110 d. 119 c. 137 c. 138 b. 139 a. 141 b. 150 c. 153 d. 160 b. 167 b. 206 a. 208 d. 209 a. 218 b & & d. 22 d. 242 c. 244 a. 247 d.

Oculorum inflammationes curantia. 237 a.

Opisthotonus. 203 d.

Oculorum remedia. 20 d. 24 a. 26 a. 37 b & c. 67 b. 69 a. 76 d. 79 c. 85 a. 92 d. 94 b. 104 b. 107 a. 126 d. 129 a. 141 b. 142 d. 144 b. 147 d. 155 b. 182 d. 198 d. 207 d. 233 d. 251 a. 253 c.

Oculorum epiphoras tollentia. 24 d.

Oculorum hulcera. 185 d.

Oculorum caliginem pellentia. 24 b. 26 a & c. 67 b. 92 a. 94 b. 104 b. 115 a. 129 a. 150 a. 158 b. 165 b. 166 a. 167 b. 168 c. 181 d. 182 d. 216 a. 217 c. 253 c. 262 a. 263 b. 264 c.

Oris halitum emendātia, Vide Halitum oris.

Oris hulcerum remedia. 20 d. 21 a. 25 b. 34 c. 43 b. 49 b. 66 a. 67 a. 79 c. 102 c. 115 a. 125 c. 130 d. 138 a. 139 a. 143 a. 144 d. 153 a. 157 a. 167 a. 202 a. 206 a. 216 d. 218 b. 219 b. 242 b.

Orthopnœicorum remedia. 24 a. 93 b. 119 d. 121 b. 150 d. 226 d.

Ossa fracta consolidantia, Vide fracturas.

Ossa extrahentia. 210 c. 257 b.

Ouium pestis. 215 d.

P.

Palpebrarum remedia. 184. 79 b. 167 b.

Panos discutientia. 20 c. 68 b.

Papulas curantia. 15 a. 27 a. 64 d. 111 d. 137 c. 146 d. 189 d. 197 c. 216 a. 224 a. 247 d. 250 d.

Paralysis linguæ. 14 a. 125 c. 160 b.

Paralysis remedia. 35 a. 124 c. 125 d. 131 a. 138 b. 198 d.
Paronychiarum remedia. 20 c.
Parotidum remedia. 20 d. 55 d. 72 d. 109 b. 132 c. 165 c. 184 c. 200 c. 216 a.
Partum adiuuantia. 73 b. 93 b. 115 a. 136 c. 170 c. 220 d. 249 c.
Partum perimentia. 23 c. 160 b. 214 d.
Pectus iuuantia. 12 d. 28 c.
Pectus purgantia. 28 d. 64 a. 221 d. 69 a. 73 b. 148 d. 165 b. 179 a. 222 d. 185 d. 200 b & c. 208 a. 215 b.
Pediculos necantia. 38 b. 104 d. 121 c. 147 d. 148 c. 173 a. 195 d.
Pedum rimæ, Vide Rimæ.
Peripneumonia. 13 a. 28 d. 30 d. 36 a. 54 d. 64 a. 86 a. 119 d. 120 d. 221 b. 138 c. 151 d. 156 d. 160 d. 220 a.
Pernionum remedia. 21 a.
Pestis remedia. 15 d. 69 b. 166 a. 167 a. 168 c. 198 d. 215 d. 227 c. 262 b.
Phagadenæ remedia. 109 b. 205 c. 210 c.
Phrenesin sedantia. 59 d. 61 a. 67 a. 73 b. 101 b. 119 c. 129 a. 138 b. 139 a. 142 d. 177 c. 180 c. 207 a.
Phthisis. 21 d. 29 a. 35 a. 69 a. 70 a. 85 a. 110 d. 133 d. 138 c. 142 d. 156 d. 165 b. 168 a. 172 d. 248 a.
Pica morbus, Vide cita.
Pilos nudantia. Vide capillos denudantia.
Pituitæ remedia. 18 a. 19 a. 24 d. 28 a. 41 a. 83 d. 97 b. 214 c & d.
Pleuresis, Vide Laterum dolor.
Podagra. 19 c. 21 a. 26 a. 27 a. 37 c. 41 a. 48 a. 59 d. 61 b. 70 b. 94 b. 115 b. 131 a. 138 c. 141 b. 175 c. 181 d. 187 c. 189 d. 191 b. 197 c. 211 d. 227 c. 251 c. 250 d. 249 c. 257 b. 266 c.
Polypus. 24 a. 207 a.
Porcos à peste præseruantia. 68 b. 224 b.
Porcorum anginam curantia. 182 a.
Porcis lienosis quæ prosint. 38 a.
Præputij affectionis remedia. 79 b.
Pruritum sedantia. 182 a.
Psora. 64 a. 68 b. 111 a. 120 a. 129 a. 161 d. 167 b. 172 c. 205 c. 247 d.
Prerygia. 58 b. 107 a. 123 d.
Pubertatem prohibentia. 199 d.
Pudendorum exulceratio, Vide genitalium remedia.
Puerperis commodantia. 22 a. 124 b. 134 c. 184 c. 228 b. 241 a. 244 c.
Pulices necantia. 28 c.
Pulmonem iuuantia. 12 d. 27 c. 42 c. 80 d. 133 a. 1[illegible] c. 182 a. 208 a? 215 b. 219 d.
Pulmonem purgantia. 151 d. 156 d. 165 b. 179 a. 182 a. 217 b. 221 d. 227 c.
Purgantia medicamenta. 39 d. 40 c. 69 a. 75 a. 79 b. 82 d. 97 b & d. 107 d. 127 b. 148 b. 171 a. 211 d. 212 b. 214 c & d.
Pus ducentia. 151 a.
Putredines purgantia. 16 d. 43 b. 64 a. 124 a. 149 b. 150 b. 172 c. 174 d. 196 d. 210 c. 244 d.
Pustulæ. 129 a. 251 a.
Pustulæ pestilentiales. 69 b. 91 d.

R.

Ramicem curantia, Vide Hernia.
Raucedo. 13 a. 15 a.
Reduuias sanantia. 79 b.
Refrigerantia medicamenta.
Renes purgantia. 44 c. 151 d. 176 c. 219 a. 220 c.
Rimæ sedis. 25 b. 67 a. 79 b.
Rimæ manuum & pedum. 24 d. 191 b. 194 b. 224 c.
Ructum sedantia. 42 a. 63 a. 113 d. 138 b. 265 a.
Renum dolor. 73 b. 145 d. 213 d. 237 a. 266 c.
Renum obstructionem soluentia. 141 b & d.
Ructum acidum curantia. 108 c. 265 a.
Rupta. 24 c. 61 d. 70 a & d. 71 a. 73 c. 87 a. 118 c. 127 b. 133 d. 134 d. 141 b. 145 d. 150 d. 158 b. 200 c. 204 c. 210 b. 217 b. 227 c. 262 d.

S.

Scabies. 19 b. 28 a. 33 b. 36 b. 44 a. 64 a. 68 b. 99 d. 129 a. 136 a. 137 c. 141 b. 146 c & d. 148 c. 163 d. 167 b. 172 c. 182 a. 189 d. 206 a. 243 a. 247 d. 260 a. 261 d. 262 d.
Scabies Gallica. 58 c. 143 c. 167 a. 208 c.
Sagittas educentia, Vide Infixa corpori.
Sanguinis grumos discutientia. 34 a. 102 c. 117 d. 119 d. 120 a. 133 d. 170 d. 225 d. 238 b.
Sanguinem excreantibus quæ prosint. Vide excreationes sanguinis.
Sanguinem mingentes iuuantia. 139 c. 142 d. 176 c. 182 d.
Sanguinem purgantia. 69 a. 123 d. 144 b. 181 c. 208 c. 209 a.
Sanguinem sistentia. 20 d. 24 a & d. 32 d. 55 c. 61 c. 115 a. 135 c. 139 c. 149 b. 153 a. 176 c. 178 c. 215 d. 217 b. 240 b. 242 d. 243 b.
Scorpionum ictus. 22 a. 24 a. 30 c. 42 a. 69 b. 91 d. 93 b. 103 d. 115 b. 141 b. 151 a.
Secundas ducentia. 22 a. 76 d. 110 d. 115 a. 116 a. 134 c. 151 d. 152 a. 155 b. 181 c. 200 c. 210 c. 220 d. 244 a.

Sedes

Sedes prouocantia. 155 b.
Sedis inflammatio. 141 b.
Sedis procidentia. 17 a. 102 a. 152 a. 168 c. 200 c.
Sedis ulcera. 21 a.
Semen augentia & extinguentia, Vide genituram.
Serpentes fugantia. 24 d.
Serpentum morsus remedia. 37 c. 39 c. 42 a. 64 d. 69 b. 70 d. 115 b. 182 d. 188 c. 204 c. 225 a.
Serpiginis remedia. 28 d. 64 a & b. 97 b. 129 d. 137 c. 167 b. 172 c. 244 a. 250 d.
Singultum sedantia. 17 c. 53 b. 113 d. 114 a & c, 115 a. 134 c. 138 b. 150 b. 225 a & d. 264 d.
Sitim restinguentia. 16 d. 19 a. 46 a. 47 a. 51 d. 145 d. 177 b. 180 c. 185 d. 187 a. 189 d. 215 b. 219 b. 266 d.
Somnum conciliantia. 82 a. 85 a. 258 d.
Spasmum curãtia, Vide conuulsionem.
Spasmum cynicum iuuantia. 124 c.
Sterilitatem facientia. 223 d.
Sternutamenta prouocantia. 117 c & d. 122 b. 160 b. 163 d. 171 a. 172 d.
Stomachum confortantia, Vide uentriculum iuuantia.
Stomachicos iuuantia. 19 a. 70 d. 117 d.
Stranguria. 24 c. 26 c. 63 a. 73 b. 105 c. 114 c. 117 c. 119 c. 131 d. 153 a. 182 d. 207 c. 213 d. 220 d. 225 d. 227 c. 240 b. 248 b.
Strumas pellentia. 41 b. 72 d. 75 d. 111 d. 122 b. 131 d & b. 143 a. 166 c. 179 b. 200 c, 216 a. 221 d. 222 d. 241 a. 243 a. 243 c. 247 d. 251 c. 257 b. 260 a. 261 d.
Sudores prouocantia. 38 c. 69 a. 112 c. 123 d. 226 b.
Sudores reprimentia. 20 d.
Suffusionum remedia. 104 a. 178 b.
Sugillata tollentia. 29 d. 79 b. 117 d. 104. 162 b. 165 b. 171 a. 210 c. 218 b. 247 d.
Suppuratorum remedia. 151 a.
Suspiriosos quæ iuuent. 73 b. 110 d. 119 d. 121 b. 133 a. 134 c. 157 c. 176 c. 182 a. 204 & d. 221 d.

T.

Talpas fugantia. 3 d.
Tenasmum iuuantia. 107 d. 156 d. 248 b. 249 a.
Testium affectionis remedia. 19 c. 24 b. 20 d. 178 b. 204 c, 205 c.
Thoracis remedia. 24 c. 95 d. 120 d. 121 b.
Tibiarum ulcera sanantia. 72 d.
Tineæ capitis, Vide capitis ulcera.
Tonsillæ. 66 a. 79 b. 111 c, 118 d. 141 b. 165 b. 250 d.
Tormina. 21 d. 24 c. 29 d. 69 a. 73 b. 81 d. 114 c. 117 c. 119 c. 123 d. 129 a. 131 b. 135 c. 137 c. 150 a. 165 b. 176 c. 179 a. 183 c. 189 c. 192. 195 d. 217 b. 224 b. 226 b. 227 c. 237 a. 242 a. 261 d. 262 d.
Tubercula. 13 a. 75 b. 76 d. 132 c. 137 a. 149 b. 178 b. 179 b. 187 c. 197 c. 200 c. 204 d. 216 a. 247 d. 250 d. 260 a.
Tumores discutientia. 13 a. 27 c. 37 b. 65 b. 66 a. 81 a. 85 a. 105 b. 107 a & d. 109 d. 122 b. 129 a. 130 d. 131 b. 132 d. 136 c. 137 c. 143 a. 149 b. 154 a. 157 a & c. 162 b. 183 b. 192 d. 198 a. 201 b. 202 a. 204 a. 214 c. 238 b. 239 b. 244 d. 247 b. 249 c. 250 d. 260 a.
Tussim sedantia. 13 a. 14 a. 16 d. 21 d. 24 a & c. 28 d. 29 a. 30 c. 35 a. 36 a. 42 c. 47 d. 53 a. 62 c. 107 d. 109 b. 117 a. 118 c. 121 b. 127 b. 133 a. 137 c. 138 c. 141 a. 144 d. 151 d. 153 c & d. 156 d. 160 b. 165 b. 177 b. 179 a. 180 c. 185 d. 191 d. 194 b. 195 d. 204 c. 208 a. 210 b & d. 218 b. 220 a. 224 b. 226 d. 250 d. 251 a & c. 254 c. 261 d.

V.

Varos purgantia. 210 c.
Venarum spiracula aperientia, Vide obstructiones & apertiua meatuum.
Venerem infrenantia. 25 b. 61 a. 91 c. 249 c.
Venerem stimulantia. 19 b. 33 c. 103 a. 113 d. 120 d. 153 d. 165 b. 191 b. 202 a. 203 d. 262 a. 263 b. 265 d.
Venenatorum ictus remedia. 25 b. 32 a. 42 a. 116 a. 133 d. 144 b. 165 b. 194 b. 250 d.
Venenorum remedia. 12 d. 15 d. 20 c. 24 c. 29 d. 30 d. 31 b. 32 a. 36 a. 61 a. 63 a & b. 64 a. 67 a. 69 b. 72 b. 105 c. 116 a. 128 d. 133 a. 135 a. 138 b. 144 b. 155 b. 158 d. 200 c. 201 b. 209 a. 215 d. 227 b.
Ventriculum roborantia. 24 c. 42 c. 57 d. 61 a. 79 d. 106 d. 112 c. 114 a. 119 c. 124 c. 149 d. 150 b. 187 a. 263 a. 265 d. 263 b. 264 a.
Ventriculum calfacientia. 16 b. 262 a. 264 b.
Ventriculi æstum sedantia. 16 d. 19 b. 46 a. 96 d. 102 a. 103 d. 169 b. 175 a. 189 d. 210 d. 225 a. 237 b.
Ventriculi os confortantia. 20 c.
Vermes in uulneribus purgantia. 150 b.
Vermes uentris, Vide animalia uentris.
Verrucas tollentia. 27 a. 117 a. 120 a. 194 b. 244 d.
Verrucas pensiles curantia. 67 b. 163 d.
Vertiginem tollentia. 69 a. 73 b. 82 d. 119 c, 124 b, 125 d, 183 c, 210 b.

Vesicæ affectionum remedia. 29 a. 64 d. 73 b. 91 d. 107 a. 120 d. 129 d. 141 d. 151 d. 155 b. 156 d. 213 d. 219 a. 237 a. 257 a.
Vesparum ictus sanantia. 22 a. 114 a.
Vinum corruptum restituentia. 52 a. 111 d. 170 c. 179 d.
Vino bonum saporem generantia. 179 b.
Viperæ morsus curantia. 24 c. 66 a.
Vires roborantia. 68 b. 76 d. 113 d. 218 d.
Vitiliginem tollentia. 22 a. 26 a. 111 a. 133 d. 204 d. 261 d.
Vmbilici procidẽtis in pueris remedia. 61 b. 73 c. 132 a. 241 a.
Vngues mobiles dementia. 19 c.
Vngues scabros curantia. 24 a. 56 a. 83 d. 154 a. 163 d. 187 c.
Vocem restituentia. 125 b. 183 c. 205 b.
Vocem emendantia. 195 d.
Vomitum cientia. 48 c. 99 d. 103 d. 118 c. 121 b. 191 d. 197 c. 204 c. 214 d. 260 b.
Vomitum inhibentia. 17 c. 24 d. 46 c. 47 a. 55 b. 63 a. 108 c. 113 d. 114 a c. 115 a. 216 a.
Vrina cruenta. 32 a.
Vrinæ ardor. 61 a.
Vrinam frigidam iuuantia. 126 d.
Vrinæ difficultas, Vide urinã ducentia.
Vrinæ stillicidium, Vide stranguria.
Vrinam ducentia. 24 a & c. 28 c. 35 a. 41 a. 55 b. 57 d. 63 a. 64 d. 70 a. 72 b & d. 76 d. 78 d. 101 b. 105 c. 108 a. 110 d. 117 a. 125 c. 127 b. 136 c. 141 d. 151 a. 153 a. 155 b. 158 d. 160 b. 165 b. 181 a. 185 d. 188 c. 191 d. 195 b. 198 d. 204 b. 206 a. 209 b. 210 b. 213 d. 220 c. 221 d. 226 b. 228 b. 237 a. 262 c. 264 c. 265 d.
Vuæ remedia. 32 d. 48 a. 52 c. 170 b. 225 a.
Vulnerum medicamenta. 21 d. 24 a. 28 a. 30 d. 32 b. 63 b. 64 d. 73 c. 76 b. 79 b. 84 b. 86 c. 95 c. 102 c. 103 b. 109 a. 130 b & d. 133 d. 138 c. 139 a. 143 c. 144 b. 145 d. 148 d. 153 a. 157 a. 165 c. 168 c. 182 d. 186 b. 197 c. 208 a. 215 b. 216 a. 217 b & d. 226 b. 227 c. 239 c & d. 240 c. 241 c. 242 b & c.
Vuluæ remedia. 21 a. 22 a. 29 a. 48 a. 63 a. 77 c. 86 a. 106 d. 107 d. 111 c. 135 a. 138 b. 151 a & d. 153 a. 155 b. 157 a. 161 a. 169 c. 181 c. 205 c. 206 a. 209 b. 210 b & c. 226 b & d. 240 b.

FINIS.

IOANNES LONICERVS IVNIOR apud μακροχελιδονοβοσκεῖς LECTORI.

QVi cupis herbarũ cognoscere nomina, formas,
Naturam, uires, hîc ea uera uide.
Qui terris quæ sint animantia scire laboras,
Aëra quæq; secant, quæq; latent per aquas:
Qui per & occultos terræ cupis ire meatus,
Vnde Metalla, lapis, gemmaq; multa uenit:
Dehinc qui sudantes terra uel ab arbore succos,
Nosse uoles, oculos huc modò uerte tuos.
Hîc breuiter cernes quantum satis esse ualebit,
Ipsum ostendet opus me tibi uera loqui.

THRASYBVLVS LONICERVS fratri suo Adamo.

HIppocrates atri Plutonis limina clausit,
A terris morbos cunctaq; dira fugans:
Mœrebant furiæ, lugebat Persephoneq;
Ob Coum uacuam Ditis adesse domum.
Optamus similem fratres, ego, Theiophilusq;,
Fortunam studijs suauis Adame tuis.
Sic tibi Dij superi concedent omnia fausta,
Te Coum facientq; æquiparare senem.

HEYDERICVS THEOPHILVS LOnicerus, ad fratrem suum Adamum.

QVòd tua fœlici procedunt carbasa uento,
Atq; quòd Hippocratis dogmata sana colis:
Lætamur germane, parens lætatur & ipse,
Cui iam non aliud suauius esse potest.
Cernit Ioannem sacri mysteria uerbi
Pandere, te medicas uelle tenere uias.
Dij faueant cœptis, firmam tradantq; medendi
Ire uiam, poteris sic placuisse bonis.

DE

# DE HISTORIA, NATVRA AC VIRIBVS ARBORVM ET FRVTICVM, Et primo,

## DE HORTO ET IIS QVAE IN EO nascuntur, plantis, & arboribus.

B

## DE SOLI, FVNDI, AC TERRAE adparatione, pastinatione, stercoratione, atque cultu.

RINCIPIO igitur, quando de arboribus & cultu hortorum tradere propositum nobis est, etiam de soli conditione & qualitate aliquid præmittendum uidetur. Terra igitur ea, quæ in locis squalidis & siccis uasta incultaq; iacet, solis ardore plerunq; ita torretur & induratur, ut humorem transmittere facilè non possit, neque imbribus aut rore reficiatur. Deinde ut plurimum ita quoque consolidatur, ut neq; frumenta, neq; quicquid aliud in ea seritur aut plantatur, protuberare facilè, aut ad frugem peruenire possit. Quare si qua eiusmodi fuerit, ea principiò fodiendo, pastinando, aut etiam arando diligenter ac multum subigi præpariq; debet, ut hoc pacto duritiem ac feritatem illam pristinam exuat, cultuq; uelut mansuefacta mitescat.

Quod si quâ autem in tantum solida ac spissa erit, ut subinde in glebas maiores ac duriores concrescat, ea omnino surculis aut fustibus

comminuenda contundendaq; erit, cilyndrisq; deinde aut similibus in C
strumentis æquanda & complananda: idq; præcipuè ubi areæ, aut cã
pi natiores paulò erunt. Cuius rei imaginem quandam in subiecta figu-
ra uidere licet.

Terra igitur ipsa in hunc modum subigendo, atq; etiam stercoran-
do, iuxta quod res exiget, aliquandiu mitigata ac præparata, licebit
deinceps conuenientibus anni temporibus in ea serere atq; plantare,
quicquid cuiusq; loci ac soli conditio & qualitas postulare, aut ferre
uidebitur. Quod si tum fortè (ut sæpe fit) humoris ac pluuiæ penuria
aliqua incidat, areæq; iam consitæ aut plantæ ipsæ siti laborent, irriga-
tione ijsdem subueniendum erit, quæ in singulos dies uesperi facienda,



uase ad hoc adhibito, quale est, cuius hic typum ac for- D
mam iuxtà adiecimus, collo uidelicet angusto, fundo au-
tem latiore aliquanto & foraminoso, quod aqua reple-
tum, aquam ipsam tantisper retineat, dum aër pollice su
pernè impresso, in locum uacuum succedere prohibe-
tur. Sed hoc loco etiam illud uidendum ne aqua ea, quæ
ad irrigandum adhibetur, fontana, recens, aut etiam aliàs frigidior sit,
sed uel palustris, & è lacunis, ad hoc paratis, hausta, uel si alia quàm fon
tana haberi nequeat, diurno eadem calore ac sole biduo aut etiam tri-
duo tepefacta. Cui tum & simi aliquantulum admiscere non inutile fue
rit, quòd ea res & nutrimenti aliquid herbis ac plantulis tenuioribus
subministrare soleat.

## DE CVLTV HORTORVM.

IN hortorum apparatione principiò circumspiciendum est, ut libe-
rum ac temperatum locus habeat aërem: inutiles enim & steriles in
umbrosis locis nascuntur plantæ.

Terra erit non nimium crassa, nec plus æquo sicca, nec etiam lutosa:
inimica siquidem hortis sunt argilla & lutum. Fimum in summo horti,
ut eius humore infernæ reliquæq; partes stercorentur pinguenturq;,
collocare oportebit. Stercus asinorum, teste Palladio, primum est, ma-
xime

A ximè hortis: deinde ouillum & caprinum & iumentorum. porcinum uerò peſsimum, cineres optimi. Sed columbinum feruidiſsimum, cæterarumq; auium utile eſt, excepto paluſtriū. Stercus quod anno requieuerit ſegetibus utile eſt, nec herbas procreat: Si uetuſtius, minus proderit. Pratis uerò recentia ſtercora ſufficient. Limus etiam quem ſcaturiens aqua uel fluuij incrementa reſpuerint, uicem ſtercoris exhibebit. Hortorum aſperitas emendabitur ſi manibus aut ſarculo inutilia ſecuſlo runcaueris. Argillæ ſi nimium habuerit, arena aut fimo miſcens ſæpius repaſtinato: rurſus ſi harenoſus nimium fundus fuerit, argilla fimóue ſubiges.

## DE CONSITIONE HORTORVM.

B

IN conſitione uerò hortorum hoc obſeruabis, ut quam in autumno conſerere uoles partem, eam ueris tempore fimo ſubacto paſtines: quam uerò in uere, ut autumno: idq; cùm neq; humida neq; ſicca nimium terra fuerit: illo enim tempore à ſole, hoc uerò à frigore temperatur concoctio. Frigidioribus regionibus maturius in autumno, ſerius uerò in uerè fiet ſatio: diuerſum in locis calidioribus. Denſiora ſpargũtur ſemina ſi plantulæ poſtquàm ſuccreuerint euellantur, ſiue tranſplãtentur, ut reliquis nutrimentum ſit plenius. Rariora uerò, ſi tranſplantare eas nolueris. Semina eligenda ſunt, quæ trita albiora intrinſecus, item grauiora, & ea annuo tempore nata fuerint.

VTile etiam fuerit uaria commiſcere ſemina, quia ſæpenumero ob inimicam cœli influentiam quædam non emergunt: ſic his pereuntibus illa proueniẽt. Creſcente uerò luna conſitiones fieri debent, ſolis exceptis piſis, quæ decreſcente luna ſerũtur. Tranſplãtatio fiet cùm per

fectæ plantæ fuerint, ac mediocriter terra humida. C

## DE CVRA PLANTARVM.

IN nimio solis æstu irrigandę sunt plantulæ ob pluuiarum inopiam, aqua non fontana, ut frigida, nec recens lata, ut suprà dictum, sed piscinarum aut paludium stagnorúmue, fimo etiam admixto, ut nutrimentum simul plantulis præbeat: foueas itaq; in hortis, quibus pluuiæ aquæ excipiantur, uel aliunde importentur ut putrescant, esse conuenit.

## DE REMEDIIS HORTI VEL agri, ex Palladio.

### CONTRA NEBVLAS ET RVBIGINEM.

NE nebulę & rubigo officiant, purgamenta pluribus locis per hortū dispositā simul omnia, cùm nebulas uideris instare, combures.

### CONTRA CVLICES & limaces.

SPargito uel amurcā recentem, uel ex cameris fuliginem.

### CONTRA FORMICAS. D

SI foramen in horto habuerint, cor noctuæ admoueto: uel origanum & sulphur tritum foramini aspergito. Cùm uerò egressę foramen fuerint, omne horti spacium cinere aut creta signato. Vel cochlearum testas ustas foramini inculcato.

### CONTRA ERVCAS.

SEmina quæ serenda sunt semper uiui succo madefiant, uel erucarum sanguine. Cicer item intra olera, propter multa portenta, est serendum. Aliqui cinerem de fico super erucas spargunt. Squillam item uel in horto serunt uel suspendunt. Aliqui mulierem menstruantem, nusquam cinctam, solutis capillis, nudis pedibus, contra erucas & cætera, hortum faciunt circumire. Aliqui fluuiatiles cancros pluribus locis intra hortos clauis figunt.

### CONTRA MVRES.

SEmina, Apuleio scribente, felle bubulo maceranda sunt antequam spargas: nonnulli Rhododaphnes foliis aditus eorum claudunt, qui rosis his, dum in exitu nituntur, intereunt.

CONTRA

A

## CONTRA CANTHARIDES, VITIBVS nocentes.

NE Cantharides uitibus noceant, in cote qua falces putatoriæ acuuntur, ipsæ sunt conterendæ: uel Cantharides quæ in rosis inueniuntur oleo mersas in tabem resolui patieris, & cùm putandæ sunt nites, hoc oleo falces putatorias perunges.

## CONTRA PVLICES.

PVlices fugantur amurca per pauimentum frequenter aspersa, uel cimino agresti, cum aqua trito: uel si cucumeris agrestis semẽ aqua resolutum sæpe infundes.

## CONTRA TALPAS.

TAlpæ hoc modo capiuntur: Nucem aut aliud pomi genus, solidi-tatis eiusdem perforato, paleamq; & ceram cum sulphure includito: hinc omnes paruulos aditus & reliqua talparum spiramenta diligenter obstruito, uno foramine quod amplum sit, reseruato, in cuius aditu nucem intus incensam ponas, ut ab una parte flatus possit accipere, quos ab alia parte diffundat. Sic impletis fumo cuniculis, talpæ uel fugiunt protinus, uel necantur.

B

## DE HORTORVM REMEDIIS hisce uersibus scribit Columella.

*SEd cùm maturis flauebit messis aristis,*
*Atq; diem gemino Titan extenderit astro,*
*Hauserit & flammis Lernæi brachia cancri,*
*Allia cum cepis, cereale papauer aneto*
*Iungite, dumq; uirent nexos deferte maniplos,*
*Et celebres forti fortunæ dicite laudes,*
*Mercibus exactis, hilareisq; recurrite in hortos:*
*Tùm quoque prosciſso, riguoq; inspersa nouali*
*Ozyma comprimite, & grauibus densate cylindris.*
*Exurat sata ne resoluti pulueris æstus,*
*Paruulus aut pulex irrepens dente lacessat,*
*Neu formica rapax populari semina possit.*
*Nec solùm teneras audeat erodere frondes*
*Implicitus conchæ limax, hirsutaq; campe.*
*Sed cùm iam ualido turgescit lucida caule*
*Brassica, cumq; tument pallentia robora Betæ,*
*Mercibus atque olitor gaudet securus adultis,*
*Et iam maturis quærit supponere falcem*
*Sæpe ferus duros iaculatur Iuppiter imbres,*

Grandine dilapidans hominumq; boumq; labores,
Sæpe etiam grauidis irrorat pestifer undis,
Ex quibus infestæ Baccho glaucisq; salictis
Nascuntur uolucres, serpitq; eruca per hortos,
Quos super ingrediens exurit semina morsu,
Quæ capitis uiduata coma, spoliataq; nudo
Vertice, truncaiacent tristi consumpta ueneno.
Hæc ne ruricolæ paterentur monstra, salutis
Ipsa nouas arteis uaria experientia rerum
Et labor ostendit miseris, ususq; magister
Tradidit agricolis, uentos sedare furentes,
Et tempestatem Thuscis auertere sacris.
Hinc mala rubigo uirides ne torreat herbas,
Sanguine lactentis catuli placatur, & extis,
Hinc caput Arcadici nudum cute fertur aselli
Tyrrhenus fixisse teges in limite ruris.
Vtque Iouis magni prohiberet fulmina Tarchon,
Sæpe suas sedes percinxit uitibus albis.
Hinc Amythaonius docuit quæ plurima Chiron,
Nocturnas cruribus uolucres suspendit, & altis
Culminibus uetuit feralia carmina flere.
Sed ne dira nouas segetes animalia carpant,
Profuit interdum medicantem semina pingui
Palladia, sine frage, salis conspergere amurca
Innatáue laris nigra satiare fauilla.
Profuit & plantis latices infundere amaros
Marrubij, multoq; sedi contingere succo.
At si nulla ualet medicina repellere pestem,
Dardanæ ueniunt artes: nudataq; plantas
Fœmina, quæ iustis tum demum operata iuuentæ
Legibus, obscœno manat pudibunda cruore,
Sed resoluta sinus, resoluto mœsta capillo,
Ter circum areolas, & sepem ducitur horti.
Quæ cùm lustrauit gradiens (mirabile uisu)
Non aliter quám decussa pluit arbore nimbus,
Vel teretis mali, uel tectæ cortice glandis,
Voluitur ad terram distorto corpore campe.
Sic quondam magicis sopitum cantibus anguem
Vellere Phryxeo delapsum uidit Iolchos.

## DE COLLECTIONE SEMINVM, florum, herbarum, & radicum.

Semina

A SEmina colligentur quando omnis eorum cruditas humiditasq; concocta & exiccata probè fuerit. Radices ad usum, decidentibus foliis, euelluntur. Flos apertus, antequàm flaccescat aut decidat, decerpetur. Ipsæ plantæ seu herbæ, cùm in perfectione fuerint, recondentur. Fructus cùm ad plenam maturitatem, priusquàm decidant, peruenerint, reponi debent. Decrescente autem Luna & sereno liberoq; aëre omnia colligi reseruariq; conuenit. Durabiliora enim usuiq; commodiora fiunt.

## DE FRVCTVVM QVALITATE ac conseruatione.

NAtura fortiores, substãtia uerò inferiores domesticis, omnes sunt agrestes plantæ, flores ac radices. Inter agrestes rursus montanæ præstant. Inter omnes etiam plantas fortioris sunt naturæ, quæ saporis & odoris melioris fuerint. Biennio aut triennio plerunq; uires plantarum debilitantur. Reponentur autem plantæ, semina, nec non flores cùm exiccata bene fuerint, in locis siccis, siue tenebricosis, in sacculis constricta & compacta, ne uires earum aut odor euanescat. In subtili harena custodiuntur radices quas uirides conseruare uolueris. Aridæ uerò, eodem modo quo plantæ. Ceparum ac porri semina in capitulis suis incluſa quàm commodissimè asseruantur.

B Rosas nondum apertas si placebit seruare, in fissuram uiridis, loco adhuc suo stantis, arundinis eas inserito, colligataq; postea fissura, rosas cupiens, harundinem resecato. Nonnulli ollæ testaceæ non incrustatæ incluſas, terræ sub dio infodiunt.

## DE ARBORIBVS.

### DE INSITIONE ARBORVM.

TRia insitionum genera ab antiquis tradita refert Columella, & ex C
eo Palladius. Vnum sub cortice, quod uidelicet resecta inter librũ
& materiem arbore, recipit semina: alterum in trunco, quod resecta &
fissa arbore accipit insertos surculos: & utraq; genera sunt uerni tem-
poris. Tertium fit emplastro, quod ipsas gemmas cum exiguo cortice
in partem sui delibratam recipit, estq; æstatis. Quartum genus à se in-
uentum addit Columella: quæ ordine singula commemorabimus.

Omnes autem arbores simulatq; gemmas agere cœperint, Luna crescẽ
te inserito, Oliuam autem circa æquinoctium uernum, ad Idus usque
Aprilis. Ex qua arbore inserere uoles, & surculos ad insitionem sum-
pturus es, uideto ut sit tenera, ferax, nodisq; crebris: & cùm primum
germina tumebunt, de ramulis anniculis, qui solis ortum spectabunt,
& integri erunt, eos legito: crassitudine minimi digituli, surculi sint bi
sulci. Eidem porrò arbori seu trũco uarij generis surculi inseri possũt.

## PRIMVM GENVS INSITIONIS, sub cortice.

ARborem quam inserere uoles, serra diligenter execato, ea parte
quæ maximè nitida & sine cicatrice est: datoq; operam, ne librũ
lædas. Cùm uerò truncum recideris, acuto ferramento plagam leua-
to: deinde cuneum ferreum uel osseum, inter corticem & materiem,
nec minus tres digitos, sed leniter demittito, ne lędas aut rumpas corti
cem. Postea surculos quos inserere uoles, falce acuta ab una parte tra- D
dito, tã altè q̃ cuneum demisisti, sed ita ne medullã, néue alterius partis
corticem lædas. Vbi surculos paratos habueris, cuneum uellito, sta-
timq; surculos demittito in ea foramina, quæ cuneo adacto inter corti
cem & materiam, facta sunt. Ea autem parte qua surculos adraseris,
demittito ita, ut sex digitis de arbore extent. In una autem arbore duos
aut tres ramulos figito, dum ne minus quaternũm digitorum inter eos
sit spacium. Hæc pro arboris magnitudine & corticis bonitate facito.

Cùm oẽs surculos quos arbor patie
tur demiseris, libro ulmi, uel mini-
mè arborem adstringito. postea pa
leato luto bene subacto totã plagã
& spacium, quod est inter surculos,
usq; eò ut duobus digitis insita ex-
tent, oblinito: supra lutum muscum
imponito, & ita alligato ne pluuia
dilabatur.

## SECVNDVM INSITIONIS genus, in trunco.

REsectæ arboris truncum, leua-
tum, uinculis arctioribus stri-
ctum,

A ctum, in medio, scalpro acuto modicè findito, ita ut fissura trium sit digitorum, ibiq; surculos ex utraq; parte in modum cunei rasos, ut integra sit medulla, præmisso antè cuneolo, demergito, quo subducto depositus surculus, redeunte in plagam materia possit adstringi: hinc ut in priore modo dictum est, oblinito.

## TERTIVM GENVS INSITIONIS, quod emplastrationem uocant.

TErtium hoc insitionis genus cum sit subtilissimum, non omni generi idoneum est, ac ferè ijs conuenit quæ humidum succosumq; ac ualidum librum habent, sicuti ficus: nam & lactis plurimum remittit, & corticem robustum habet. Est autem insitio talis.

Ex qua arbore inserere uoles, in ea quærito nitidos & nouellos ramos, in his deinde gemmam obseruato: quæ bene apparebit, certamq; spem germinis habebit, eam duobus digitis quadratis circunsignato, ut media gemma sit, & ita acuto scalpello circuncidito, delibratoq; diligenter, ne gemmam lædas, deinde in qua arbore inserere uoles in ea nitidissimum ramum eligito, & eiusdem spatij corticem circuncidito, & materiem delibrato, inq; partem eam quam nudaueras, gemmam hanc, quam ex altera arbore sumpseras, aptato ita, ut emplastrum circuncisæ parti conueniat: quo facto, circa gemmam bene uincito, ita ne lædas: deinde commissuras, & uincula luto oblinito, spatio relicto,
B quò gemma germinet liberè. Materia quã inseueris, si sobolem, uel superiores ramos habebit, omnia præcidito, ne quid sit quo possit succus euocari, aut cui magis quàm insito seruiat. Post unum & uigesimũ diem soluito emplastrum: & hoc genere optimè etiam olea inseritur.

Tria hæc insitionum genera his uersibus describit Palladius:

*Aut noua discreto figuntur germina libro,*
*Aut aliud summo robore fissa capit.*
*Aut uirides oculos extremi gemma tumoris*
*Accipit, & lento stringitur uda sinu.*

## QVARTVM INSITIONIS GENVS, à Columella traditum.

GAllica terebra usque ad medullam arborem perforato, plaga interius leuiter inclinata, hinc educto omni scobe, uitem uel ramum ad modum foraminis impressi delibratum, succidum tamen & humentem, strictè unà imprimito, duabus gemmis foris relictis: quo facto, argilla & musco locum diligenter operito.

## QVINTVM GENVS INSITIONIS, QVOD AB Hispano se accepisse Palladius commemorat, inserendi mala Persica absq; nucleis.

Salicis

SAlicis ramum, brachij crassitudine, solidum, longum cubitos duos, C
aut amplius, in medio terebrato, & plantam Persici, in eodem loco,
in quo cõsistit, spoliatam ramis omnibus, solo capite relicto, per ipsum
salignimanubrij foramen inducito: tunc eundem salicis ramum terræ,
capite utroque demerso, in arcus similitudinem curuato, foramen luto,
musco & uinculis constringito: anno deinde elapso, cùm mali Persici
ramus salici unitus fuerit, plantam intercidito atque transferto, terra
aggesta, quæ arcum salicis cum Persici cacumine possit operire.

## DE PECVLIARI QVARVNDAM arborum insitione.

POmus salici & populo inseritur: Vitis ulmo & moro: amygdalus & persicus gemmis suis uniuntur, & pruno inseruntur: & ita caro ipsorum Persici, nucleus uerò Amygdali saporem referet.

## VT EX VNO STIPITE QVINQVE ROsarum genera nascantur.

ENascentibus rosarum capitulis, ramos seu caules ipsarum sub capitulis subula perforato, foraminibus his uarij generis colores immittito, uelut alteri rubricam, alteri uero uiridem, siue luteum aliúmue colorem: quo facto fimo bubulo & argilla foramina oblinito.

## RATIO INSERENDI VT FRVCTVS nucleis careat.

RAmum non resectum ad stipitem, seu truncum cui inserere uoles D
inclinato, ac trunco inserito, fimoq; oblinas, hinc ubi insita pars
trunco unita fuerit, ramum insitum intercidito: sic insita pars fructus
nucleis carentes feret.

## VT FRVCTVS VARIAS VIRES, SAporem ac colorem acquirat.

RAmo cerasi siue alterius arboris fisso ad medullam, Scamoneam,
uel Scamoneæ puluerem inserito, sic fructus uires ciendi aluum
adipiscentur. Muschum si inserueris, odorem ac saporem eius fructus
assumet. Eadem ratione si Lazurium aliúmue colorem imposueris, eundem fructus referet.

## VT PRIMO ANNO PLANTA fructum ferat.

SVperiorem rami corticem in arbore ad interiorem usque, spitamæ
longitudine abradito, idq; autumno decrescente Luna: locum abrasum recenti bubulo stercore oblinito, foraminolentamq; testaceam
ollam terra repletam superimponito: octiduo deinde transacto aquã
superinfundens radices ex ramo enasci uidebis: Mense hinc Martio
ramum resecato, olla confracta, ac in quemcunq; uolueris locum plantato.

DE

## DE OLIVA.

A OLiua satiua oleastro inseritur, de qua Palladius:

*Robora Palladij decorant syluestria rami,*
*Nobilitat partus bacca superba feros.*
*Fœcundat sterilis pingues oleaster oliuas,*
*Et quæ non nouit munera ferre iubet.*

## DE FICV.

FIcus inseritur Moro & Platano, ut hisce uersibus describit Palladius:

*Persuadet moris tetrum mutare colorem*
*Ficus & inuasis dat sua iura comis.*
*Se quoq; miratur pingui grandescere succo,*
*Et solitum gaudet uincere poma modum.*
*Insignes foliis Platanos fœlicia mensis*
*Brachia gaudentes uitis honore comas,*
*Ingrediens pingui se cortice maxima ficus*
*Seruat, & optatos implet adepta sinus.*

## FICVS VARII COLORIS.

SIuelis ficum uarij coloris fructus ferre, sumito alterum surculum de albis, alterum item de nigris, hos constrictos & colligatos, ut gemmis uniantur, terræ infodito, ut eius humore & pinguedine adunian-
B tur: enascentes deinde gemmas albis uiminibus colliga, sic unus ex utriusq; fiet stirps, optimumq; colorem fructus assument.

## DE MORO.

MOrus inseritur Fico, fraxino, fago, castaneo, & terebintho, Palladius:

*Mutua quinetiam moris commertia ficus*
*Præstat, & oblatum robore germen alit.*
*Fraxinus huic auidè confert sua membra sorori,*
*Et metuit fœtus sparsa cruore nouos.*
*Proceras fagos, & poma hirsuta uirentis*
*Castaneæ, duris aspera mala comis*
*Inficiens monstrat piceo nigrescere parta,*
*Et succo pascit turgida poma nouo.*
*Obsequitur moris blando terebinthus odore,*
*Et geminis ueniunt munera mista bonis.*

## DE CERASO.

CErasus in se, in lauro, in platano, in pruno, & populo inseritur. Palladius:

*Inseritur lauro cerasus, partuq; coacto*
*Tingit adoptiuus uirginis ora pudor.*

*Vmbrantes platanos & iniquam robore prunum* C
*Compellit gemmis pingere membra suis.*
*Populeasq; nouo distinguit munere frondes,*
*Sic blandus spargit brachia cana rubor.*

## CERASA ET PRVNVLA VT ABSQVE nucleis crescant.

ARborem ipsam adhuc tenellam, æquantem crassitudine digitum, resectam ad duorum pedum à terra altitudinem, ad radicem usq; findito: quo facto medullam ex utraq; parte ferreo instrumento eximito, uinculisq; utranq; denuo partem constringito, atq; fissuras utrinq; & in summo, bubulo stercore illinito: huic deinde surculos si inseueris, qui nullos antè fructus tulerunt, cerasa nucleo carentia producet.

## DE CASTANEIS.

CAstaneas nuces aquæ injciens, eas elige quæ fundum petunt, inq; foraminosam ollam, terra repletam, ne se contingant, imponito, sæpiusq; aqua humectans in calidum & apricum locum colloca, idq; in Decembri. In Martio deinde, prodeuntibus germinis, binas quouolueris loco plantato: singulæ enim positæ minus sunt fertiles. Pingue & humidum, siue etiam harenosum solum amant, argillam inimicam habent. Palladius:

*Flumineam salicem fœcundant ardua membra*
*Castaneæ, & multo pasta liquore uigent.* D

## DE PERSICO.

PErsicus in pruno & amygdalo inseritur. Nuci si inseras ac sæpius caprino lacte humectes nucem pro nucleo adipiscetur malum persicum. Palladius:

*Ipsa suos onerat meliori germine ramos*
*Persicus, & pruno scit sociare genus.*
*Imponitq; leues in stipite phyllidis umbras*
*Et tali discit fortior esse gradu.*

## DE MALO CYDONIA.

CYdonia malus in alias arbores inseri respuit. De hac Palladius.

*Cum præstet cunctis se fulua Cydonia pomis,*
*Alterius nullo creditur hospitio.*
*Roboris externi librum aspernata superbit,*
*Scit tantum nullo crescere posse decus.*
*Sed proprijs pandens cognata cubilia ramis,*
*Stat contenta suum nobilitare bonum.*

Si ingentis magnitudinis malum cydonium cupias, ramo adhuc adhærens malum cum ipso ramo attractum, ollæ inserens terræ infodito, sic excrescet in ipsius ollæ magnitudinem, interioremq; eius formã penitus

A penitus exprimet. Eadem est ratio cum cucurbitis & pomis terrestribus.

## DE PYRO.

PYrus inseritur pyro syluestri, malo, fraxino, amygdalo, spinis, ornis, cydoniis, castaneis, mespilis, & malis punicis, Palladius:

*Germine cana pyrus niueos haud inuida flores*
*Commodat, & uarium nectit amore nemus.*
*Nunc rapit hirsutis horrenda ſororibus arma,*
*Et docet indomitas ponere tela pyros.*
*Nunc teretem pingui producit acumine malum,*
*Fraxineasq; nouo flectit honore manus.*
*Phyllida quinetiam grandi mitescere fructu*
*Instituens, duræ dat sua membra cuti.*
*Et steriles spinos & inertem fœtibus ornum*
*Dotat, & ignotum cogit amare decus.*
*Huius & immissi uertere cydonia rami*
*Pomaq; confusus blanda creauit odor.*
*Castaneæ septos aspro uelamine fœtus*
*Exuit, & placido pondere mutat onus.*
*Mespilaq; exarmat pugnacibus horrida membris,*
*Et mala tranquillo cortice uota premit.*
*Creditur in libycis sua germina nectere ramis,*
*Lætaq; puniceo posse decore frui.*

## DE POMO,

POmus decem arboribus inseri possunt, uidelicet pyro, pomis syluestribus, pruno, sorbis, salici, platano, persico, populo, mespilo, castaneis. Palladius:

*Insita proceris pergit concrescere ramis,*
*Et sociam mutat malus amica pyrum.*
*Seq; feros syluis hortatur linquere mores,*
*Et partu gaudet nobiliore frui.*
*Spiniferas prunos, armataq; robora sentes*
*Leuigat, & pulchris uestit adulta comis,*
*Exiguam sorbum dulci distendere succo*
*Nouit, & ad cupidas flectere poma manus.*
*Stipitibus gaudet nomen mutare salignis,*
*Et gratum nymphis spargere flore nemus.*
*Robora thyrsigero platani concordia Baccho*
*Fœtibus instituit plena rubore nouis.*
*Illius insolitas miratur Persicus umbras,*
*Populeaq; ferunt candida dona comæ,*

*Mespilus huic paret lapidosaq; uiscera multum*
*Tenditur, & niueo plena liquore rubet.*
*Pro sudibus fœtis, & pro prægnantibus armis*
*Castaneæ fuluum dant noua mala decus.*

## DE MALO PVNICO.

MAlum punicum in se tantùm inseri potest. Palladius:

*Punica non alios unquam dignata sapores*
*Mala, nec externis associata comis.*
*Ipsa suas augent mutato semine gemmas,*
*Et sibi, cognato picta rubore, placent.*

## DE MESPILO.

MEspilus inseritur quercui & pyro. Palladius:

*Aemula dura pyri, despecti mala saporis*
*Mespilus admisso germine tuta subit.*
*Et geminis sese uiolentior inserit armis,*
*Atq; aridas terrent robora sæua manus.*

## DE MALO CITRIA.

MAlus citria moro inseritur. Palladius:

*Nec non & citrij patiuntur mutua rami*
*Pignora, quæ grauido cortice morus alit.*
*Pomaq; pasturi blando redolentia succo*
*Armatis mutant spicula nota pyris.*

## DE RRVNIS.

PRunus in seipsum & castaneam inseritur. Palladius:

*Pruna suis addunt felicia germina membris,*
*Donaq; cognato corpore læta ferunt.*
*Exarmat fœtus sed brachia roboris armat,*
*Castaneæ prunus iussa tenere latem.*

## DE AMYGDALO.

AMygdalum pruno, persico & castaneæ inseritur. Palladius:

*Phyllis odoratos primæuis floribus artus*
*Discissi pruni cortice fixa tegit.*
*Pomaq; permutat uelamine persica misto,*
*Duriciemq; docet tegminis esse loco.*
*In modicam tornat siliqua tendente figuram,*
*Et frondes pulchro ditat odore feras.*
*Castaneamq; trucem depulsis cogit echinis*
*Mirari fructus, leuia poma, sui.*

## VT FRVCTVS FIANT GRANDIORES.

SI multa in unum foramen semina iniecceris, in unam omnia substantiam coibunt, maioresq; fructus proferent. Veluti si plura porri aut ceparum capita uni imposueris foramini.

DE

A

## DE CVCVRBITIS.

CVcurbitæ agreſtes in cinerem humanorum oſſium plantatæ, ac oleo humectatæ, nono die fructus proferunt. Semina cucurbitarū in æditis locis nata producunt cucurbitas ſubtiliores & longiores: earum uerò quæ in locis mediſs creuerunt, craſſas ac denſas: quæ uerò in imo, latas.

Si florem cucurbitæ cauli adhærentem ollæ, ſicut etiam de malo cydonia dictum eſt, incluſeris, eiuſdem creſcens magnitudinem & formam exprimet.

## DE TRANSPLANTATIONE arborum.

B

PLantas triennio elapſo, ſi nihil ipſis damni acciderit, tranſplantare licebit cum radicibus effoſſas: tranſplantatas ſpinis circumſepies, ſi ob beſtiarum incurſum neceſſe fuerit. Melior eſt tranſplantatio quæ fit in autumno circa Diui Lamberti diem, quàm quæ uere, ob frigoris aduerſitatem. Foueam pro radicis ratione latis profundam & amplā apparato, plantasq; ſoli aduerſus & cœlo, eodem pacto quo poſitæ fuerunt antea, infigito: Radicis fractas partes diligenter reſecato. Amygdala, ceraſa, pruna in autumno pingui ſolo, aqua mulſa triduum primùm mollita, inſerito, hinc uere pro libito tranſplantato. Si ob neceſſitatem, terræ uel aridæ uel molli nimium inſerere plantas cogaris, aliunde, foueam apparatam, ſumpta fertili & pingui terra, expleto.

## DE CVRA ARBORVM.

PRincipiò rationẽ habere oportet terræ, ne nimium uel argilloſa, uel lutoſa, aut humida, ſiue etiam ſit arida. Si itaq; lutoſa terra fuerit, ſimo & harena (aridioribus locis plus, pinguioribus minus ſimi plantis admiſcens) eam cõmiſceto. Fimum non de porcis, ſed alijs animantibus, eumq; bene maturum ſumes. Arborem fouea circundabis, ut æſtiuo tempore pluuiæ in ea congregari poſſint, quæ nimiã ariditatem temperent. Plantis uerò quas autumnali tempore inſeueris, terram aggeres & accumulabis, ne à ſuperflua hyemis humiditate lædantur, earumq; impediatur digeſtio. C

Autumnali tempore ſuffodienda eſt ad radicem uſq; arboris terra, ſimusq; apponendus: ſi harenoſa nimium terra fuerit, recenti argilla cõmiſceto: ſin argillæ nimium circa radices fuerit, harena loco ſimi apponetur, idq; ab omni parte ad quinque pedum latitudinem: ſic enim arbor nutrimentum recipit, uiresq; eius nouantur: hinc eſt quòd iuxta ripas & aquas ſtantes arbores longiore tempore uires ſuas habeant, fertilioresq; ſint reliquis, ac corticis ſubtilioris. D

Mala cydonia ſolo gaudent pingui: Tranſplantatæ nuces, magnę, fertilesq; fiunt, fructus item tenuem adipiſcitur membranã, loca amant alta & ſicca.

Nuclei amygdalorum, ceraſorum, perſicorum, prunorum, nucum auellanarum, & iuglandium in decreſcente Septembri in ollam foraminolentam pingui terræ inſerti, ac cellæ impoſiti, uel terrę infoſſi, ſimoq; contra frigoris uim contecti, ita tamen ne ſuffocentur, ſępiusq; aqua mulſa humectati, tranſplantatiq;, poſtquàm germinauerint, fructus ferent dulces.

## VT FRVCTVS AROMATVM SAPOrem habeant.

ARborem ad medullam uſq; utrinq; findito, & ligni parte execta, aromata quæ uolueris inſerito, fiſſuram argilla ſeu ſimo oblinito.

## VT CORALLIA, GEMMAE, CARYOPHILla, idq; genus in fructibus naſcantur.

POſtquam floruerit arbor, fructibus incipientibus ſeſe oſtendere, præcidas ijs ſpecies inſerito, ſic fiet ut à fructu occultentur.

ACIDIS

A

## ACIDIS ARBORIBVS DVLCEM gustum indere.

CIrcunfossæ radici suillum appone stercus, uel deorsum stipitem ad interiora perfodito, fauo mellis infuso: foramen cynosbato, cui primus cortex demptus fuerit, occludito.

## DE QVALITATE AERIS IN QVA-rundam arborum plantatione obseruanda.

ARborum nonnullę amant loca calida, uelut piper, palma: aliæ frigida, ut Castaneæ: aliæ temperatum expetunt aërem: aliæ rursus omnibus locis plantari possunt, ut pomus, pyrus, idq; genus nõnullæ: rursus aliæ pingui solo sunt plantandæ, uelut morus: aliæ arido & harenoso, ut palma ac pinus.

## DE ARBORVM REMEDIIS.

### CONTRA FORMICAS ALIAQVE NOXIA.

POrtulacæ succo, mixto aceto, stipitem perfunde, siue rubrica aut pice modicè illinito. Vel fictile satis magnum & amplum uas capito, perofratum in medio, perq; foramen plantam terræ inserito, hinc foramen circa stipitem, ut aquam continere possit, occludito, sic aqua formicarum ascensum impediet: Vel uisco stipitem circumline. Pla-
B cet nonnullis ut sericum oleo intinctum filum, circũligetur stipiti, per quod ascensus formicis occludatur.

### CONTRA VERMICVLOS.

DEorsum ad medullam arborem perforabis, foraminiq; piper, baccas lauri & rutam aceto mixto infundes, atq; cuneolo cynosbati foramen obfirmabis, Februario autem mense insitas arbores, carumq; fructus, nulli uermiculi corrodunt.

### CONTRA CAPRARVM MORSVM.

Lotio caprino arborem perfunde.

### CONTRA LEPORES.

Sputo surculos inserendos perunge.

### CONTRA VENTORVM IMPETVM.

SIngulis plantis fulcra, quibus innitantur quibusq; alligentur, apponi debent: Idem faciendum est si arbor fissa inseratur: aut si insitio fiat sub cortice, triennium fulcris sustentabuntur alligati surculi.

Cauendum etiam est ne stolones, hoc est, nothi adnascantur ex stipite rami, néue quid circa radices enascatur: per hæc enim alimentum et succus reliquis ramis adimitur.

Arida omnia, ne uicina membra inficiant, sunt resecanda continuò.

### CONTRA VITIOSOS ARBORVM HVMORES.

CONtingit sæpenumero superfluas in arboribus humiditates ad ex- C
terna, sicut idem in hominibus intra cutem & carnem fieri uidemus, prorumpere, ex quarum putrefactione uermiculi noxij nascuntur: Intumescere igitur si quam corticis partem uidebis, eam suffodito ut humores uitiosi effluant. Sin uermes natos iam inueneris, adurito, aut ferreo scalpro extrahito. Quòd si multis in partibus arboris hoc uitij inueneris, corticem à summo ad imum usq; aliquoties circa arborē findito: ut putredo ista uel effluat uel consumatur.

## CONTRA MORBVM ARBORVM, VIPERAM seu Ceraſten, à serpentum similitudine dictum.

MAlum est arbores infestans, ab imo ad summum serpens, cortex nigro colore inficitur & arescit: Cui malo ut medearis corticem quoad uiride lignum uideris abscindito, hinc recenti bubulo stercore obline, ac contra tempestatem & imbres circumligato.

## CONTRA FISSVRAS AVT RVPTVras arborum.

FImum bubulum tertia parte terræ mixtum circumliga, ac cōtra imbres obfirmato.

## CONTRA VERMICVLOS ARBORVM, aliud remedium.

D

ARbori ad medullam perforatæ puluerem myrobalani citrini infundito, cynosbati deinde ligno foramen includito. Vel antequā inserantur surculi, puluerem thuris intra corticem misceto.

## SI ARBORES FLORENTES NVLlos fructus proferant.

AD medullam usq; arbore perforata, argentum uiuum cum limo infundes, corticeq; cynosbati foramen occludes.

## PRO INFOECVNDIS AVT STERIlibus arboribus.

SI arbor aliqua lapidosos aut uermibus infectos fructus, ob uitium fortasse aliquod humoris uel loci, proferat, terra circa radices effodienda & purganda ueniet, recensq; melior ac fœcundior apponenda, perforanda item circa radices erit prope terram, foraminiq; quernus infigendus cuneus. Idem fiet si superfluum nutrimentum, ita ut naturalis earum calor succum cōcoquere nequeat, arboribus fuerit: hinc enim est quòd ob nimiam fœcunditatem superfluus humor insuperabundans nutrimentum effunditur, in folia nimirum & surculos nouos in summitate arborum, non autem in fructus.

## CONTRA PRVINAM.

Radicem

A RAdicem arboris mense Martio circunfodito, foueæ aquam donec defloruerit perpetuò infundito.

## VT LIGNA ARBORIS INCREMENtum sumant.

MEnse Decembri, seu Februario foueæ circa radicem factæ, aquã, ut gelu constringatur, infundito, glaciei deinde terram superimponito: mense hinc Martio priore terra remota recentem bonam addito: flores sic arbor copiosos proferet, nec mediocre ligna incrementum sument.

## VT ANNOSAE ARBORES IVVENIlem formam resumant.

TErram à radicibus remoueto, grandioresq; cynosbati radices resectas arbori suffigito, porcorum deinde fimo appositò terram denuò aggerito.

## NE ERVCAE ARBORES PERDANT.

OVa erucarum, quæ uelut in reti aut aranearum tela inclusa condũtur, mensibus Decembri, Ianuario & Februario diligenter sunt demenda à foliis, ac igni cremanda, antequam erucæ enascantur.

## DE PYRORVM NATVRA.

B EVenire plerunq; solet pyris postquàm senuerint, ut ob corticis circa radices duritiem sufficiens nutrimentum, ad ramos fructusq; alendos, attrahere nequeant: quæ causa est quòd alternis uicibus fructus proferunt: Radices proinde findi, silicesq; ne coire denuò possint, ut humor per fissuras istas ingrediatur, infigi conueniet. Vtile etiã erit ramos nonnullos ob senium, ut plenius reliquis ministretur alimentũ, resecare.

## GENERALIA DE ARBORIBVS.

SOlum exterius siccum, interius uerò humidum omnes expetunt arbores.

Autumnali tempore fimus nudatis radicibus apponatur.

Plantas non nisi trium annorum fuerint, resecabis: triennio uerò exacto omnes adnascentes surculos, superflua & arida abscindes, idq; uere, & quàm diu foliis nudatæ erunt arbores: nisi frigus intensum remoretur.

Nimia terræ humiditas uermes in fructibus generat, cauendũ itaq; ne plus æquo terra humoris habeat: Quod si facilè fieri nequeat, circa radices maiores perforanda erit arbor, ut humor superfluus per foramina effluat, fructusq; fiant incolumes.

Nimia uerò terræ ariditas spinosas, & asperas arbores producit, fructusq; gignit minores.

# DE ARBORIBVS ET FRVTICIBVS.

## MALVS.

### NOMINA ET DESCRIPTIO.

MALVS Græcis Melea, Latinis Pomus. Germanicè ỏpffelbaum. Fructus eius Græcis Μῆλον, Latinis Malum & Pomum. Genera differentiasq; malorũ enumerare laboris fuerit infiniti. Iisdem enim locis plurima eorum est, & forma fructus, & sapore differentia, inuenire genera. Sunt enim alia dulcia, alia acida, D alia uinosa, alia amara, alia rotunda, alia turbinata, alia callosa, alia purpureo colore fulgentia, alia luteo, alia uiridi, alia candido, alia coloribus distincta, alia magna, alia parua, quorum singulas explicare species immensi negocij foret. Sunt item syluestria, quæ Germani Holtzỏpffel nominant, acida prorsus & adstringentia. Omnibus tamen malis, quod ad arborem attinet, forma ferè est eadem. Relicta igitur speciali, quantum ad fructuum diuersitatem, descriptione, generalem omnium formam exhibebo. Quod tamen ipsum minimè necessarium & superuacuum, ob nemini non cognitam arboris communem formam, uidetur. Nascitur uno caudice, in ramos confestim se spargens, cortice læui, & crasso, canoq; extrinsecus, interiore uerò parte flauo, ex quo flauus color, alumine addito, coquitur: folio oblongo, Color flauus. neq; non mucronato, carnosoq; : flore foliato, in plerisq; candido, in nonnullis tamen Ostrino, supra fructum insidente, radicibus paucis summæ telluri cohærentibus. Fructuum plurima diuersitas, ex magna tamen parte sunt rotundi & calloſi, quaq; solem spectant punicei, semi nibus intus discretis, continente tunica uestitis.

De ratione inserendi suprà initio historiæ plantarum est dictum.

### TEMPERAMENTVM.

In malis, inquit Simeon Sethi, multa est diuersitas. Quæcũq; adstrin

gunt,

A gunt, frigidum habent & terreum ſuccum. Quæ uerò acria ſunt, frigidum quidem, uerùm tenuem illum habent. Medij autem temperamenti ſunt dulcia, quæ ad caliditatem magis uergunt.

VIRES INTRINSECVS.

Adſtringentibus malis, ut Simeon Sethi ſcribit, uti conuenit, quoties ob diſtemperantiam calidam uel humidam, malè affectus eſt uentriculus: huiuſcemodi enim mala uentriculum compeſcunt. Acria uerò exhibenda ſunt quoties in uentriculo humor craſſus, non tamen ualde frigidus fuerit collectus: Incidunt enim hæc, & infrà ſubducunt. Dulcia autem his danda, qui frigidum uentriculum habent: his enim cõueniunt, & ſimul his qui à uenenatis morſi fuere. Mala certè omnia peculiari quadam proprietate neruis nocent: nocent & quæ non matura ſunt. Dicuntur & lapidem ſeu calculum gignere ijs, qui ad ſatietatem his utuntur. Verùm ſunt utilia ad lipothymias & cordis debilitates. Electuarium ad ardentes febres gratiſſimum ex uinoſis malis, ſicut ex Cydonijs quoq;, conficitur: ſitim enim idipſum ſedat, cibi appetitũ reſtituit. Acida uentriculum conſtipant, urinam cient, & uomitiones cohibent. Dulcia aluum laxant, & uermes feruntur expellere.

# PYRVS.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

B

PYrus Latinis, Græcis ἄπιος, Germani. Byrbaum. Huius quoq;, ſicut & pomi, ſpecies ſunt plurimę, ex fructus diuerſitate: alijs enim fructus caducus & æſtiuus, putredinem confeſtim ſentiens: alijs ſerotinus & annuus: utriuſq; multiplex eſt differentia. Sua uitate & bonitate præ reliquis commendantur, quæ Germani Alandtsbyren & Meſbyren uocant, putredinem tamen confeſtim ſentientia. Sunt & ſylueſtria pyra, Germanicè Sawbyren. Forma foliorum & corticis omnibus tamen penè eſt communis, cuiuis cognita. Caudice aſſurgit uno in multos, ſicut pomus, ramos ſe ſpargente: cortex trunco criſpus & aſper, inciſuris totus diuiſus: Flos omnibus albus, foliatus: fructus figura turbinata, ſeminibus tunica contentis. De inſitione Pyri arboris, aliarumq;, initio ante plantarum deſcriptiones eſt actum. Conſule etiam Reiruſticæ ſcriptores, & Ruellium li. 1. cap. 114.

TEMPERAMENTVM.

Pyra, referente Simeone Sethi, frigida ſunt in primo, ſicca uerò in ſecundo ordine.

Quæ uerò dulciora & maturiora ſunt, nonnullius caliditatis & humiditatis participant: Quæ uerò compoſita, ſiue ſint dulcis & adſtringentis

gentis qualitatis, siue acidæ, (quoniam eiusmodi quædam sunt) sunt C alicuius caliditatis, sed modicæ, & siccitatis: iccircoq; uentrem sistunt ante cibum sumpta.

VIRES INTRINSECVS.

Pyra crebrius sumpta, uentriculos calidos iuuant, sed colicos affectus suscitant. Grana quæ in ipsis inueniuntur, peculiari quadam proprietate pulmonis uitijs medentur, sed renibus officiunt.

EXTRINSECVS.

Ex folijs Pyri, item ex syluestribus pyris, fomenta & desessiones ad uersus procidentem uterum utiliter conficiuntur.

## MORVS. Maulbeer.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

MOrus Græcis Μόρεα, Germa. Maulbeerbaum. Fructus eius Morum, Germanicè Maulbeer. Morus floret inter nouissima, fructus eius matureſcit inter prima, foliaq; etiam amittit. Folia habet rotunda, aspera, & nigricantia. Flos ei uitiginei modo lanugineus, fructui toti, nec postremis tãtùm insidet, in medijs inculcatus, neq; singulas partes ambit, fallens interdum propter lanuginem, ut con cerni nequeat. Fructu cartilagineo, ab ortu statim candido, cùm pubescit rubro, ubi maturuit atro, sanguineo colore manus inficiente. Similis est fructus fructui Rubi, ac ex utroq; Confectio Diamoron apparatur. D

TEMPERAMENTVM.

Sicut triplex fructus est forma, ita triplex est succi in moris natura. Primum acerbus & aquosus: mox lenior & lentè rubens: deniq; uinosus & sanguineus. Maturus fructus aluum laxat & mollit: arefactus immaturus aluum constipat.

VIRES INTRINSECVS.

Ventriculum neq; iuuant neq; offendũt mora, Æstuanti iecori per se, aut succus eorum, aqua item stillatitia, aut confectiones ex ijsdẽ, prosunt. Radix eiusq; cortex in aqua decocta sumpta fortè Aconito sunt remedio. Viridibus mori folijs Bombyces instituant.

EXTRINSECVS.

Conficitur ex moris eclegma, quod Diamoron uocant, exulceratio

ni

Ani colli utiliſſimum. Expreſſus ex fructu ſuccus, in deſpumato melle coctus, fluxus colli, & eiuſdem ulcera, gargarizatu ſiſtit. Efficacius autẽ fit gargariſma, additis alumine, galla, myrrha, thure, croco & radice iridis, ſingulorum exigua quantitate tuſa admixta.

Folia cum aceto impoſita, aduſtionibus medentur. In aqua pluuia cocta folia, capillos, ſi caput decocto abluatur, colorant: ad quẽ uſum ficus nigra folia, & Pampinos nonnulli addunt. Cum cortice in uino decocta folia, dentium dolorem tepida collutione mitigant.

Radicem mori in terra fiſſam gummi ſudare ferunt, cuius non exiguus ad dentium dolorem fit uſus.

## FICVS. Συκή. Feigbaum.

B

NOMINA

NOMINA ET DESCTIPTIO. C

Syce. FIcus Græcis συκάμερος, id est, Ficus satiua, Germanicè **Feigen**. Multa ficuum scriptores numerant genera, ex locorum diuersitate. Duo tamen sunt præcipua, satiua & syluestris, seu maior & minor. Fructus Græcis συκὸν, Latinis itidem ficus dicitur. Est & morbi genus quod ficus dicitur, à fructus istius similitudine. Loca amat calidiora & aprica, frigus auersatur, unde etsi nonnullis Germaniæ locis plantatur, paucis tamen fructum profert. Arbor est non admodum procera, quanquã amplissimæ etiam quædam inueniuntur, pyri arboris æmulantes magnitudinem. Caudice breui, corticeleui, medulla carnosa, folio perq̃ magno umbrosoq;, profundè admodum laciniato, sine flore, Pomo quod supra folij pediculum nascitur, turbinato, molli, intus granoso, succo, cùm maturescit, lacteo, postea melleo: radicibus multis, obliquis, ac longis. Tenera folia, germinaq̃; tenella, lacteum liquorem decerpta emittunt. Siccatas ficus caricas nonnulli uocant, Græci ἰσχάδας. Caricæ. Caprificus. Syluestris Ficus, Latinis Caprificus, Græcis ἐρινεός uocatur. Nobis Germanis incognita.

Adfertur ad nos triplex hodie ficuum differentia. Aliæ enim flauę, in sparteis corbibus compactæ: quas **Korbfeigen** nominant: Aliæ in cistis, laurinis folijs commixtæ, Germani. **Laubfeigen**.

Tertium paruum est genus, sed summa dulcedine præditum, in minutis & turbinatis sparteis corbibus inclusum, quod ex Massilienſi D prouincia affertur, Germanicè **Marsilische Feigen**.

Immaturæ ficus Grossi dicuntur. Et hoc addendum, Quòd syluestrem bouem fico arbori alligatum, mansuescere aiunt.

TEMPERAMENTVM.

Liquor fici arboris, & foliorum succus uehementer est calidus. Ficus recentes & aridæ calfaciunt primo ordine completo, aut secundo incipiente: siccant in medio primi.

VIRES INTRINSECVS.

Ficus aridæ amygdalis stipatæ non solùm gulæ luxui sunt uoluptati, sed uenenis etiam sunt medicamento, si singulis diebus quis ieiunus eas sumat. Pectus etiam & pulmonem iuuant. Galenus in senecta se ficubus potissimùm, & uuis usum fuisse scribit. Cùm enim frequentius ob poma, ut ipse refert, langueret, ab octauo & uicesimo anno ad senectam usq; ab his abstinuit, ficus tantùm uuasq; mensæ adhibens, nec sine mensura tamen: aitq;, quòd quicunq; amicorum, admonitioni suæ paruerint, uti à pomis abstinerent, eos sine morbis fuisse. Ficus recentes laxant & aluum molliunt, sitim & internum calorem sedant, stomacho tamen non usq; adeò sunt salubres.

Aridæ conditæ ficus corpus calfaciunt, naturam confortant, renibus & uesicæ conferunt, malum corporis habitum emendãt. Cum hyſ

sopo

A ſopo coctæ potęq; ficus, pectus purgant, antiquam tuſſim ſedant, diuturnæ peripneumoniæ auxiliantur: hydropicis & comitialibus ſunt ſalutares. Frequens autem ficuum uſus ſanguinem malum, et pediculos multos gignit.

EXTRINSECVS.

Ficuum decoctum anginæ & raucedini gargarizatu auxiliatur. Ficus cum fœnugræci ſemine & farina hordeacea, aut ſucco impoſitæ, ſcirrhos omnisq; generis tubercula, matricisq; præſertim tumores diſcutiunt. Cum fermento & ſale temperatæ peſtem aliaq; ulcera emolliunt & aperiunt. Cum chalcantho tuſæ manantem ſcabiem & maligna ulcera ſanant. Cum abſinthio & farina hordeacea coctæ & impoſitæ, hydropicorum tumorem componunt. Succus ficuum cum ſucco ſinapi auribus infuſus, ſuſurrum earum & tinnitum prohibet. Lacteus ficus arboris liquor, lacti uaccino infuſus, idipſum coagulat: Coagulato uerò lacti infuſus, illud diſcutit. Inutile autem corpori lac eſt ficuum, nimium enim aperit & cõſumit. Extrinſecus tamen uerrucis, papulis, pſoræ, & omnis generis ſcabiei illini poteſt. Idem lac cauo denti infuſum, dolorem ſedare fertur.

## MESPILVS.

Aronia. Meſpel. Neſpel.

B

NOMINA ET DESCRIPTIO.

MEſpilus Græcis & Latinis. Item Aronia Dioſcori. Germani. Meſpel/ Neſpel. Dioſcorides duplicem facit. Prima quæ tricoccos, à tribus granis, quæ malo eius inſunt, dicitur, & propriè meſpilus. In Germania incognita. Altera quam Epimelida uocat, quòd iuxta malum naſcatur, quæ hodie in hortis Germaniæ inſeritur. Arbor eſt mali uulgaris altitudine inferior, ramis in gyrum comoſis aculeatisq;, folio promiſſo, tenui, & longo pediculo, flore ſubherbaceo, amygdalæ forma, fructu, dum pubeſcit, uiridi & duro, ubi maturuit fuluo ac molli, circa uerticem criſtato, tribus quatuórue intus, imò quinis plerunque nucleis lapideis: Vnde uulgatum dictum: Kein Jungkfraw ward nie ſo rein/ aß ſie drei Neſpeln/ geb ſie von jhr fünff zehen ſtein. Meſpilus. Aronia.

Radix numeroſa, materie dura, ſolida, cariei minimum obnoxia. Fructum huius Vnedonem quoq; Itali uocant, quòd uidelicet præter unicum, antequam molleſcat, nemo comedere poſſit, ob nimiam eius adſtrictionem. Vnedo tamen alias fructus appellatur Arbuti.

C

Mespila sicut & sorba frigidæ & siccæ sunt naturæ. Vis ipsis adstrictoria. Vis eis potissimũm ad alui ruentis coërcendum impetum. Condiuntur etiam utiliter in melle ad calidos alui, æstate potissimùm, fluxus. Ligni ad uenabula & aurigarum flagella plurimus est usus. Reliquas cum sorbis uires possidet.

## CERASVS. Kirsen. Amarellen.

### NOMINA ET DESCRIPTIO.

CErasus, Germa. Kirsen. Tria habet præcipua ex fructu genera.

Primum fructũ fert pediculis lõgis, rotundum, sanguineum, gustu adstringentem, German. Amarellen uocant. Atq; hæc reliquis præstant, & insolata asseruantur: reliqua minimè.

Secundum fructum fert pedi culis breuibus, auellanæ nucis quantitate, minus adstringentem, mem- D brana extrinsecus rubentẽ, intrinsecus minimè. German. Weichsel. kirsen/Weielkirsen.

Tertium genus secundo forma est simile, sed multò minus, & pedi culo etiam longiore dependet, gustu dulce, Germa. Süß kirsen.

Quartum prædicto per omnia forma & gustu simile, nisi quòd ma turum nigricat, ac sanguineũ pr or sus humorem continet, Germanis Schwartz kirsen. Posteriora hęc duo, facilè, in arbore etiam adhuc pendentia, uermes sentiunt. Ad hæc uaria Cerasorum uarijs locis & sapore & forma distincta est inuenire genera. Nos his contenti communem omnium formam describemus. Nascitur nusquam non: folia ferè habet Mespili, dura & latiora, per ambitum serrata, cortice læuo, in candido nigricante, flore albo, racematim congesto, fructu rubro aut nigro, magnitudine fabæ. Omnia genera Iunio & Iulio mensibus ad maturitatem perueniunt.

TEMPE.

A

TEMPERAMENTVM.

Gustus diuersum Cerasis esse temperamentum docet. Quædam enim adstringunt & acerba sunt, quædam dulcia. Omnium tamen temperamentum frigidum & humidum Simeon Sethi tradit. Dulcia magis laxant: Acerba recentia minus laxant. Parum autem nutriunt, bonumq; sanguinem generant.

VIRES INTRINSECVS.

Acida Cerasa bonum sanguinem generant, appetentiam ciborum generant, phlegmata & uiscosos humores discutiunt, calculum pellũt. Cum saccharo eadem ad ægrotantium confortationem condiuntur. Arefacta tostáue cerasa aluum sistunt.

Ex nigris quarti generis, cerasis, aquam stillatitiam ustam, linguę Paralysin adiuuare ferunt. Gummi arboris in uino dissolutum & potum, antiquam tussim sedare aiunt.

EXTRINSECVS.

Gummi cerasi arboris in aceto dissolutum, infantium lichenas sanat.

# CORNVS.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

B

Cornus à cornuum simili duritie, Græcis Grania, Germ. Kornlebaum/Cornelbaum/Kurberbaum/Dierlen/Thierlenbaum/Welsch kirsen. Et fructus eius Latinis Corna, Germ. Welsch kirsen/Hornkirsen/Kornlen/Herlitzen. Duum est genus, sylueſtris & satiua. Vtraq; in Germania nascens. Cornus. Grania.

Theophrasto in marem & fœminã diuiditur. Cornus mas arbor est duodecim sæpe cubitorum, cortice neruoso, tenui, caudice haud ita crasso, neq; semper recto, atq; etiam nodoso, sed ita solido, ut cornibus spissitate non absimilis respondeat, folio amygdalæ, sed crassiori pinguioriq; : flore & fructu oleæ, dulci, grato odoratu, pluribus cornis singulari pediculo dependentibus.

Fœmina Theophrasto θηλυκρανία dicitur, Latinè Fœmini cornus, caudice fungoso, & inutili, uirgulis instar amerinæ fruticat, autumnalibus baccis perquàm acerbis, & cunctis animantibus gustu intactis. Radices utriusq; firmæ & emori contumaces, nulliq; perniciei opportunę. Fructum fert cornus circa solstitia, primùm candidum, postea sanguineum, succo intus cruẽto. Summa ligno est durities: ad radios rotarum, ob exilitatem potissimùm expetitur: Cuneorum & clauorum ferreorum uicem præbet.

TEMPERAMENTVM. C

Corno tam in foliis quàm fructu adstringendi est facultas. Exiccat & constipat.

VIRES INTRINSECVS.

Fructus corni ad omnes alui fluxus sunt efficaces, uehementer enim, pari cum mespilis & syluestribus prunis natura, constipant. Condiuntur etiam fructus hi sicut oliua, ut est uidere apud Columellam. In saccharo & melle ad dysenteriam nonnulli condiunt.

EXTRINSECVS.

Folia aut fastigia ramorum in uino cocta, aut per se imposita, manãtia uulnera, & uitia exiccant sanantq;. Sudor uirgarum lamina candente exceptus ferruginem contrahit, quæ illita incipientes lichenas sanat.

## PERSICA ARBOR. Pfersingbaum.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

Trecacina.

PErsica malus, Germanis Pfersingbaum/ quòd fortasse ex Persia primùm sit aduecta. Quatuor huius distinctæ inueniuntur species: Prima est tota candida, quam Popularem uocant. Secunda lutea, quam Duracinam: Tertia rubens seu tota sanguinea, quam Sabiniam: Quarta minima, totaq; flaua, Germ. Summer pfersing/ S. Joannes Pfersing/ Amarellen/ Goldpfersing/ Möllelin/ Molleten: quam Latini Trecacinam, Dioscorides Armeniaca uocat, & præcocia hæc mala. Gaudet malus persica locis aquosis, folia fert amygdalæ, sed maiora: floret primo statim uere cũ amygdalis, flore subpuniceo, Pomũ producit carnosum, succulentum, foris lanugino sum, dura intus & scabra nuce, in qua nucleus qualis in amygdalis. D

TEMPERAMENTVM.

Flos, folia & nucleus calidæ & siccæ sunt naturæ. Fructus uerò frigidus & humidus in secundo statuitur ordine; ob quod fructus maturus subitò putrescit.

VIRES INTRINSECVS.

Persica mala in ardentibus febribus sumi possunt. Frequens aliàs eorum usus multum phlegmatis gignit, corpus refrigerat, & putridas febres excitat. Præstant reliquis Trecacina, quæ Germani Möllelin uocant. Flores cum saccharo conditi, sicut rosæ, stomacho conferunt. Gummi arboris in uino dissolutũ potumq;, mirè prodest sanguinem

ex-

A excreantibus, obstructos enim pectoris & pulmonis meatus & uenulas purgat: Calculum quoq; uesicæ pellit: Raucedinem croco admixto pellit: arteriam siquidem lenit, & colli exulcerationem discutit. Foliorum succus potus, uermes uentris perimit. Idem posse succum eundem umbilico alligatum, Galenus affirmat. Nuclei nucis Persicæ tormina sedant.

EXTRINSECVS.

Tusi nuclei cum aceto rosaceo applicati, capitis dolorem sedant. Gummi arboris in aceto dissolutum & illitum, lichenas & papulas sanat.

## MALVS CITRIA, MEDICA, PERSICA.
### Citrinatöpffel. Judenöpffel.

B 

NOMINA ET DESCRIPTIO.

MAlus Citria, aliàs Medica & Persica à regionibus. Fructum eius Mala uocant Citria & Medica. Item Mala Assyria & Citræa, & Citrinata, & Cedromala, non tamen de Cedro arbore intelligendum. German. Citrinaten/Sicut & Latinis, à cortice uidelicet qui Citrinũ colorem refert, & Judenöpffel, à superstitione quadam Iudæorum, apud quos singulæ familiæ eiusmodi quotannis malum coguntur habere. Amat loca calida, quæ causa est cur rarior sit in nostra Germania hæc arbor. In quibusdam tamen locis cura & diligentia plantari est cœpta. De his Pentameter extat ænigmaticus: Medica mala quidem nec mala nec medica. Folium ferè fert lauri, perpetua frondens coma, intercursantibus in ramulis spinis, fructu perenni: Arbor omnibus horis est pomifera, alijs cadentibus, alijs matureſcentibus, alijs uerò subnaſcentibus pomis. Pomi effigies caperata rugis, prælonga, interdum rotundior, color aureus, odor gratus, sapor acidus, amara intus pirj grana. Meminit huius Mali secundo Georg. Vergil, inquiens:

*Media fert tristes succos, tardumq; saporem*
*Felicis mali: quo non præsentius ullum*

*Pocula si quando sæuæ infecere nouercæ,* C
*Miscuerunt́q; herbas, & non innoxia uerba,*
*Auxilium uenit, ac membris agit atra uenena,*
*Etsi non alium late iactaret odorem*
*Laurus erat: folia haud ullis labentia uentis,*
*Flos apprimè tenax: animas & olentia Medi*
*Ora fouent illo: & senibus medicantur anhelis.*

Itali quatuor eius faciunt genera, quæ cultu uarietatem aliquam nacta sunt: Quæ auri colore lucent, Aurengia uocant: quæ ex uiridi in luteum langueſcunt, Citreola, & tandem Citrula nominant: Quæ ouata ſpecie turbinantur, ſi luteo colore nitent, Citrangula, & priuatim Citria appellant: Si herbaceo colore uirent, Limones priuatim dicũt: Si pregrandia, modo melonum, orbiculata facie turgent, Ponceria uocant. Omnia tamen à Citro nomina ſunt deducta. De huius arboris cura, inſitione, aliſq;, conſule copioſè Ruellium, lib. 1. cap. 69.

*Limones.*
*Põceria.*

TEMPERAMENTVM.

Cortex excalfacit & exiccat Aëtio, tertio ordine. Caro autem refrigerat & humectat primo. Acida pars tertiam frigidorum ſedem tenet. Semen quidam calidum & ſiccum in tertio, aliſ in ſecundo ſtatuunt.

VIRES INTRINSECVS.

Aſſumptum Citrium malum cuiuslibet ueneni præſentiſſimum eſſe Remedium, Athenæus aliſq; teſtantur, ac hiſtoriſs idipſum euidentiſſimis comprobant. De hoc Dioſcorides: In uino potum malum uenenis reſiſtit, aluum mouet, Oris ſuauitatem commendat, decocto eius colluto, aut ſucco expreſſo. Eduntur efficaciſſimè in malacia pregnantibus, ut quæ huiuſcemodi faſtidium tollant. Caro difficulter concoquitur, craſſaḿq; creat pituitam, ob quod in melle eſtur commodiſſimè. Cortex ciborum concoctionem adiuuat. Aduerſus atram bilem & triſtitiã, quam excitat, eſt auxilio. Stomachum mediocri uſu bene afficit, immoderato coctionem uitiat. Melle conditus uentrem calfacit, & humorem concretum expurgat, ciboruḿq; coctionem adiuuat. Semen omnibus uenenis aduerſatur, priuatim morſibus ſcorpionum, & potu & appoſitu. Menſes ciet, ſed abortu partus elidit. Acida pars flauam reſtinguit bilem, arcet́q; peſtilentiæ contagia. D

EXTRINSECVS.

Veſtiariſs Malum citrium impoſitum, eroſionum noxas arcere creditur. Oculum integram noctem ſucco eius illitum, in obliquum torqueri ferunt.

## MALA NERANTIA.

Poma Arangiæ. Pomerantzen.

NOMINA

NOMINA ET DESCRIPTIO.



MAla Nerantia, seu Poma Nerãtia, Germanis, inde deducto uocabulo, **Pomerantzen**. Sunt ex generibus fructuum Medicæ arboris: Eadem enim arboris horum pomorum cum Medica, seu Citria, de qua præcedenti capite est dictum, est forma. Fructus uerò nonnihil differt, qui totus est orbiculatus, absq; omni callo, immaturus uiridis, maturus uerò, aureo totus cõlore fulget. Atq; hunc per aurea Hesperidum mala poëtæ intellexisse uidentur. Mala autem Nerantia hæc appellata esse à Nicandri interprete in Alexipharmacis uidetur, cùm inquit, τὸ μῆδον μῆλον ὅτι τὸ μηδικὸν τὸ νεράντζιον, hoc est, Medum malum est Medicum, quod Nerantzium uocãt. Et Germanica appellatio **Pomerantzen**/pulchrè cum Pomo Nerantziæ per compositionem conuenit. Pomum item uocant Arangiæ. Cortex fructui durus & densus, odoratus, gustu amarus, qui recens siccatus præstantissimum præbet oleũ. Caro intrinsecus mollis, gustu partim dulcis, partim uinosa, albis & amaris nucleis expleta, qui plantati fœtus producunt. *Pomum Arangiæ.*

B TEMPERAMENTVM ET VIRES.

Temperamentum & uires cum Malis Citrijs seu Medicæ arboris, similes præsens fructus obtinet. Est enim ex eorundem genere, & gustu pari præditus. Cortex naturæ est calidæ, quod in gustu amaritudo satis declarat. Caro, Semen & acida seu uinosa eius pars qualitatem Citrinorum habent. Cortex præsentium pomorum in saccharo conditus, frigidis uentriculi uitijs auxiliatur: frigidum enim phlegma discutit & educit. Reliquas in præcedenti capite uires require.

## PVNICA MALVS. Granatõpffel.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

PVnica malus, ῥόα Græcis. Vulgo malum granatum. German. **Granatõpffel**, à cõtentis nimirum in ipsis granis seu acinis. Arbor est haud ita procera, folio angusto, nitidiq; uiroris, flore puniceo, oblongo, calathi effigie. Pomo quod corio & membrana tegitur, numerosis intus acinorum granis farcto, unde granatum est appellatum. Punicum à Carthagine dictum est, quòd ibisit pomum illud laudatissimum. Differentia huius mali est ex sapore triplex. Quædam enim huius generis poma sunt dulcia, quædam uinosa, quædam prorsus acida. *Malum granatũ.*

*Cytinus. Balauſtia.* Florem Punicæ ſatiuæ Cytinum uocat Dioſcorides. Sylueſtris ue- C rò mali punicę florem Balauſtia idem appellat. Faciunt autem hoc diſcrimen inter ſatiuæ & ſylueſtris punicæ flores, ſeu inter Cytinos & Balauſtia, quòd Cytini ſunt Punicę tenelli fructus, qui ſtatim poſt flores, ut in omnibus malis, decidunt. Balauſtia uerò eſt flos ſylueſtris punicæ, qui decidit ſponte, quoniam inter pediculum & floris folia nõ habet caput, ex quo fructus fiat. Poſſunt itaq; tam in ſatiua quàm ſylueſtri punica & Balauſtia & Cytini generari, Pharmacopolę utrunque confundunt.

*Sidion. Malicorium. Sida.* Corticem Punici mali Sidion uel Sidia pluraliter Græci uocant. Latini Malicorium. Sidam enim Malum punicam ueteres Græci nominabant. Eſt tamen etiam herba paluſtris, quę Sida dicitur, huic ſimilem ferens fructum.

TEMPERAMENTVM.

Malum punicum omne boni ſucci eſt, inquit Dioſco. ſtomacho utile, perexiguum prębens nutrimentum.

Dulcia ſtomacho utiliora habentur, ſed áliquãtulum in eo calorem gignunt, inflationesq; pariunt: in febri igitur abdicantur.

Acida adſtringunt, ęſtuanti ſtomacho auxiliantur, ac multò magis contrahunt, & urinam cient, ora gingiuasq; lędunt.

Vinoſa mediam ſortiuntur naturam.

Cytini adſtringunt, cohibent, ſiccant, ſanguinolenta glutinant. D

Sidon ſeu Malicorium ſpiſſandi uim habet. Eoſdem quos Cytini præbet uſus.

Balauſtia adſtringendi facultatem tenent.

VIRES INTRINSECVS.

Succus & nuclei mali punici in ardentibus febribus maximè proſunt, os enim arefactum recreant, ſitim & æſtum uentriculi ſedant.

Ad eoſdem effectus ualent Syrupi ex ſucco confecti. Nuclei ex acidis malis punicis arefacti & triti, in cibo ſumpti, dyſenteriam alioſq; alui & matricis fluxus ſiſtunt. Ex aqua pluuia cocti & poti, proſunt ſanguinem excreantibus. Idem præſtant Cytini & Balauſtia, Malicoriũ item tuſum & illitum. Malicorium in uino coctum potumq; Aſcarides interficit. Flores & cortex ſimul tuſa & ieiuno ſtomacho ſumpta, tuſſi antiquæ medentur. A lepore marino morſis malum punicum prodeſſe, Nicander eſt autor.

EXTRINSECVS.

Succus mali punici cum melle temperatus, oris & gingiuarum putredines, omnia manantia & depaſcentia narium, aurium, occultarumq; partium hulcera, tam in uiris quàm fœminis, ſanat. Excoriatis etiam tibijs eſt remedio. Cortex acidi mali punici tritus & cum aceto illitus, aureę uenæ fluxum ſiſtit. Flores mali punici triti, & cataplaſmatis

modo

A modo illiti, ſedem procidentem repellũt: Efficacius autem fit idem medicamentum Gallis adiectis.

## CYDONIA MALVS.

Cotonea malus. Quittenbaum/ Küttenbaum.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

B

CYdonia malus à Cydone Cretæ oppido dicta. Cato Cotoneam primus uocauit, quòd nimirũ mala eius tenera lanugine, quę Coton dicitur, tegãtur, ut quorundam eſt ſententia. Officinis Citonia, Germ. Kutten baum/Quittenbaum. Huius mala intellexit Ecloga ſecũda Poëta, cũm inquit: Ipſe ego cana legã tenera lanugine mala. Naſcit hodie in hortis paſſim Germaniæ, locis potiſſimùm frigidis & humidis. Arbor eſt, Ruellio deſcribente, malo uulgari haud abſimilis, niſi quòd infra magnitudinem illius ſubſidet, fructu ſcilicet incuruatos deprimente ramos, prohibenteq; parẽtem creſcere. Ad hæc & folium anguſtius à terra albicat. Poma tenui lanugine pubeſcũt, et in ciſuris criſpantur, colore ad aurũ inclinato. Hęc nonnulli putant aurea poëtarũ mala, Græcis Chryſimela dicta eſſe: quæ tamẽ Poma Nerãtia potius eſſe aliis placet. Duo ex pomorum magnitudine faciunt genera Dioſcorides & Galenus: Alia enim minora, rotũda, odoratioraq; ſunt, quæ uera Cydonia ſeu Cotonea appellantur. Alia maiora, dulciora, & minus acerba, Galeno Struthea dicta.

*Cydonia malus.*

*Cotonea malus.*

*Struthea.*

TEMPERAMENTVM.

Frigidam & adſtringentem habent naturam; Frigida ſunt in primo, & ſicca in ſecundo ordine.

VIRES

VIRES INTRINSECVS. C

Antè cibum ſumpta mala cydonia aluum conſtipare, poſt alios uerò cibos contrarium efficere, Simeon Sethi teſtatur.

Toſtum malum cydonium, aut eiuſdem eclegma, utile eſt ijs qui ex uini immodico potu capitis dolorem uerentur. Toſta mala cydonia bene nutriunt, uentriculo non ſunt inutilia, nam cient, ſingultus, uomitum & nauſeam reprimunt, præſertim ſi poſt cibum ſumantur. Succus ex crudis malis cydonijs prodeſt difficulter ſpirantibus, & qui cibos non bene continent. Conficiuntur autem ex cydonijs malis, ſyrupi, eclegmata, olea: in uſu quoq; ſunt flores, ſuccus, folia. Omnia ſummo ægrotis auxilio.

EXTRINSECVS.

Cataplaſma ex crudis cydonijs uentriculo illitum, fluxus alui, ſingultus & uomitus cohibet: æſtum uētriculi, pectoris & iecoris reſtinguit. Procidentem matricem folia in deſeſſu repellunt. Prodeſt ad idem, ſi decocto foliorum locus ipſe prius bene lauetur. Nuclei mali cydonij in aqua roſacea mollefacti, aduſtionibus & linguæ inflammationi utiliter illinuntur.

## PALMA. PHOENIX.
## Palmbaum. Dactelbaum.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

Palma. Phœnix. Caryotæ. Carotides.



D PAlma Græcis Phœnix, Germa. Dactelbaum. Fructus eius Caryotæ & Carotides, item dactyli. Palmulæ Latinis, Germanis Dacteln. Hinc medicamentum conficitur, quod uocant Diaphœniconis. Multa ſunt huius genera: ſunt enim quæ dicuntur Nicolai, item quæ ſorores, tertium genus quod patetton dicitur. Pręterea eunuchi Ariſtoteli. Margarides quoq; Plinio. A loco etiam Thebaides, Arabicæ, Siculæ, Aethyopicæ. Arbor Germaniæ incognita, fructus tamen aliunde affertur. Trunco naſcitur tereti ac procero, ſed denſis gradatisq; corticum pollicibus ſalebroſo potius quàm ſcabro, quibus, ut orbibus, facilem ſe ad ſcādendum Orientis populis præbet. Ramosà cacumine tantùm ſpargit, folio arundinaceo, duplici, ſatis ad gladioli formā accedente, niſi minus eſſet & tenuius, Vnde Spathen Græci nominant. Fructu qui Græcis dactylus, Latinis Palmula dicitur, aliàs candido, aliàs nigro, aliàs herbaceo, aliàs purpureo, oblongo, carnoſo, ramis ſuis racematim dependente. Non alibi niſi locis calidis prouenit: Nec fructum niſi feruidis locis profert. Terra gau-

Spathe. Dactylus Palmula.

det

A det leui & fabulosa, plurimum & nitrosa. Maximè enim salsis fabulosisq; lætatur. Maturos palmæ fructus Galenus Phœnicobalanos, q. d. Palmæ glandem uocat: Maturos uerò φοίνικας. Mira palmæ natura: non cedit oneri quamlibet ingenti, nec intrà flectitur, pan ditúrue, sed contra pondus insurgit. Vnde uictoriæ apud ueteres fuit signum dextra gesta: Nec aliud ferè in coronarijs certaminibus uictoriæ dabatur præmium, quàm palma. Et hinc prouerbium: Palmã obtinere, hoc est, uictoriam.

TEMPERAMENTVM.

Palmulas siccas in secundo, & calidas in ordine primo, Simeon Sethi tradit.

VIRES INTRINSECVS.

Fructus aridi, Dioscoride teste, prosunt sanguinem excreantibus. stomachicis & dysentericis. Frequens autem usus aluum inflat. Concoctionis sunt difficilis, capiti & uentriculo, Galeno teste, obsunt, iecur & lienem constipant: Diuturnas febres, ut Simeon Sethi est autor, pariunt. Eclegma quod Diaphœniconis appellatur, pituitam & bilem mirè educit.

EXTRINSECVS.

Nuclei eius in fictili nouo in cineres usti, & in uino extincti, palpebrarum defluuia illitu cohibent.

B

## OXYPHOENIX.

Palma sylueſtris. Wilder Dactelbaum.

OXyphœnix Græcis, Latinis Sylueſtris palma. De hac parum apud scriptores proditum inuenitur, nisi quòd fructus eius creduntur esse, qui Oxyphœnica, à saporis acrimonia uocantur, Barbaris uerò et Officinis Thamarindi. In India copiosissimè nascitur, unde ad nos fructus ij afferuntur, ac inde Thamarindum, quasi Palmulam Indicam, cognominarunt. Fronde uiret saligna, pomo pruni, osse duro, nucleo intus exili, carne foris copiosa, colore in luteum è nigro languescente. Thamarindi.

TEMPERAMENTVM.

Oxyphœnica seu Thamarindi, Actuario autore, humectant & refrigerant in abscessu secundo.

VIRES INTRINSECVS.

Cum mentha & apio unciæ pondere potum oxyphœnicon, lasserũ inflammationibus medetur: Animum itidem exhilarat, & tristitiam discutit. Noxas omnes à calore cõceptas mitigat. Destillationes ex feruore bilis ortas sedat. Cum Rheo & Casia nigra à tertianis febribus prorsus liberat: ardentibus quoq; & incandescentibus medetur. Arquatis auxiliatur. Sitim restinguit. Doloribus capitis est remedio. Noxios humores, qui in uentre coierunt, deijcit, appetentiam inuitat, cibi fastidiũ abigit: nauseas & uomitiones sedat.

VITIS

# VITIS VINIFERA. C

## NOMINA ET DESCRIPTIO.

VItis uinifera, Græcis ἄμπελος οἰνοφόρος. ἄμπελος q. d. ἔμπηλος, ἡ ἐν αὐτῇ ἔχουσα τὸν πηλόν. hoc est, quòd in se uinum contineat, πηλὸς enim est οἶνος, id est, uinum. Vnde κάπηλις, id est, caupo, παρὰ τὸ κακύνειν τὸν πηλόν, id est, quòd uinum adulteret & corrũpat. Genera uitium à natalibus sunt plurima, sicut & plurima uini genera. Melior locis calidis & Orientalib. quàm frigidis & Occidentalibus. Floret solstitio æstiuo, uuas maturas autumno profert. Forma nemini nõ est nota, adeoq; superuacua fuerit eius descriptio. A radice enim caudex unus continuus exit, qui in ramos frequentes scinditur, cortice multiplici, rimoso, flagellis longè lateq; uagãtibus, quibus se suis ueluti manibus erigit, & quicquid nacta est cõplectitur. Sarmentis, foliis latis, & in extremitatibus incisis, lasciuientibus. Floribus fructum ambientibus lanugineis, uua quàm plurimis acinis aceruata, qui interdum purpureo, nonnunquam roseo, nõnunquam uiridi colore fulgent. Semen acinis clauditur. De insitione, cura & cultura uitium, abundè rei rusticæ scriptores, Columella, Palladius, & Varro, quos, qui plura de his uolet, consulere poterit. Libet nomina uitis eiusq; partium adijcere. Vitis Græcis ἄμπελος, **der Weinstock.** D

Palmes German. **die Reben/Weinreben.** Gemmæ German. **die augen am Weinstock.** Pampinus, **Rebenblat,** folium dicitur uitis. Capreoli, **die gäblin oder häfftlin.** Racemus Germa. **die Traub.** Scopium uel Botrychum Galeno, **der Kam.** Staphyle seu uua, **die Weinbeer.** Hymen seu membrana est cuticula seu pellicula ipsa, in qua succus uinosus continetur. Caro, **das dick in der hülsen.** Humiditas, **der safft,** est succus seu humor in uua. Acinus, γίγαρτον, seu nucleus, **der kern.** Ipes sunt uermes uites erodentes. Vitis uerò uocabulum deductũ uolunt à uito, as, are, uerbo, quòd inuitetur ad uuas pariendas. Posset etiam à nomine uita deduci, quòd uitæ hominum maximo sit præsidio & commodo, quodq; uitam hominis exhilaret, & cõfortet mediocriter sumptum, ut uitam ipsi præbere uideatur.

## TEMPERAMENTVM.

Vuæ maturæ sunt calidæ & humidæ in gradu primo. Immaturæ uerò sunt acerbæ, frigidæ, & siccæ.

## VIRES INTRINSECVS.

Succus foliorum potus, dysentericis, sanguinem excreantibus, stomachicis,

A machicis, & citta laborantibus mulieribus prodeſt. Madefacti in aqua capreoli idem efficiunt. Lachryma uerò eius, quæ ueluti gummi in caudicibus creſcit, pota cum uino calculos pellit. Vua recens quæuis, aluum turbat, & ſtomachum inflat. Minus horum particeps, quæ aliquando decerpta pependit, quòd in ea copia humoris inaruerit. Stomacho accommodata eſt, appetentiamq; cibi excitat, & imbecillis conuenit. Quæ autem in uinaceis, aut uinario uaſe ſeruatæ ſunt, ori & ſtomacho ſunt gratæ, aluum ſiſtunt. Veſicã tamen & caput tentant. Sanguinem excreantibus profunt. Similes iſs ſunt quæ in muſtũ ſunt coniectæ. Quæ uerò ſapa aut muſto ſunt conditæ, ſtomachum magis infeſtant. Reponuntur, & cœleſti cum aqua prius paſſæ factę, minuq; uinoſæ ſunt: ſticuloſis, ardentibus, & longis febribus utiles. Vinaceorum decoctum dyſentericis, cœliacis, & fluxui muliebri infuſum confert. Ad inſeſſiones quoq; & clyſteres aſſumitur. Nuclei acinorũ adſtringunt, ſtomacho grati. Vua autem alba paſſa magis extenuat. Caro illarum comeſta, arteriæ, tuſſi, renibus & ueſicæ confert. In dyſenteria per ſe cum nucleis editur. Admixta miliꝭ & hordei farina, & ouo, ac cũ melle frixa, & per ſe quoq; ſumpta, atq; cum pipere commanducata, ad capitis pituitam purgandam ualet. Caro uuis laxa eſt & flaccida, quæ non facilè concoquitur, ſed malum gignit & crudum humorem, qui non facilè in ſanguinem tranſmutetur. Nucleorum natura ſicca & B quodammodo adſtringens eſt. Pertranſeunt igitur omnia inteſtina non alterati. Penſiles uerò uuæ neq; ſiſtunt uentrem, neq; proritant, cæteris autem facilius concoquuntur. Differentia item uuarum in dulcedine, auſteritate & aciditate non eſt exigua. Dulces quidem ſuccum habent calidiorem: auſteræ uerò & acidæ frigidiorem. Omnium itaque tutiſſimus eſt uſus, quando carnoſæ fuerint & maturæ, & mediocriter aſſumptæ. Albæ magis ſubducunt aluum quàm nigræ. Omnes uerò ciborum appetentiam excitant, & Venerem. Conuenit cùm eduntur membranam & nucleos expuere, quòd difficulter conficiantur. Oportet autem non ſolùm uuas, ſed omnes etiam fructus molli cortice præditos, humidos, ante cibum aſſumere. Citta.

## EXTRINSECVS.

Folia & capreoli trita & illita, capitis dolores ſtomachiq; inflammationes & ardorem, cum polenta mitigant: folia etiam per ſe impoſita, utpote quæ refrigerent & adſtringant. Lachryma uitis, quæ uelut gummi in caudicibus concreſcit, illita, lichenas, ſcabiem, & lepram ſanat. Oportet tamen locum antè nitro confricuiſſe. Eadem cum oleo frequenter inuncta, pilos denudat: potiſſimùm uerò ἰχῶρ, hoc eſt, ſanies, aquoſus humor qui ex accenſis uiridibus ſarmentis exudat. Idẽ myrmecias inunctus eiicit. Cinis ſarmentorum & uinaceorum, con-

dylomata & thymia circa ſedem, quæ antè ablata amputatáue ſunt, C cum aceto illitus ſanat. Cõfert luxatis & uiperarum morſibus. Lienis inflammationibus cum roſaceo & ruta & aceto illitus, prodeſt. Vinacei uuarum reconditi, inflammatis, duris, turgentibusq; mammis cum ſale illinuntur. Nuclei acinorum toſti & triti, & pro farina illiti, dyſenthericis, cœliacis, & ſtomacho reſolutis proſunt. Caro uuarum cum fabarum & cumini farina illita, teſtium inflammationes ſedat. Epinyctidas, carbunculos, fauos, & in articulis putredines & gangrænas, ſine nucleis trita, & cum ruta impoſita, ſanat. Podagræ cum Opopanace illinitur. Mobiles ungues, illita, celeriter adimit.

## LABRVSCA.

LAbruſcam Latini uocant Vitem ſylueſtrem, Græcis ἄμπελος ἀγρία, hoc eſt, Vitis ſylueſtris. Meminit huius Vergilius in Ecl. cũm inquit: . Aſpice ut antrum Sylueſtris raris ſparſit labruſca racemis. Germ. Wilde Weinrebẽ. Naſcitur in incultis, circa uineas quoq; earumq; ſepes, palmite, flore & pampinis ſatiuæ uiti ſimilis. Vuas quoq; fert multò minores, easq; nunquam matureſcentes: Vt plurimum tamen nullum fructum proferunt. Vuas ſeu fructus huius immaturos Oenanthen uocant.

### TEMPERAMENTVM ET VIRES.

D

Succus ex immaturis labruſcæ uuis expreſſus, calidus in tertio ſtatuitur gradu: adſtringit efficaciter. Vires cum Pampinis uitis uiniferæ penè pares habet: aluum conſtipat, omnisq; generis ecabiem ſanat.

## OLEA. OLIVA.
## Oelbaum: Oliuenbaum.

### NOMINA ET DESCRIPTIO.

OLea uel Oliua, Græcis ἐλαία, German. Oelbaum/ Oliuenbaum. Fructum eius Latini Oliuam uocant. Germa. Oliuen, ex quo succus ſeu oleum exprimitur, quod Latini Oleum oliuarum uocant, Germa. Baumöl. In duo diuiditur genera, Satiuam & ſylueſtrem. Satiua ſimpliciter Olea dicitur: de ſylueſtri infrà.

Plures quoque ſunt ſatiuæ ex fructu differentiæ. Columella decem Oliuarum genera numerat, pauſia, algiana, liciniana, ſergia, neuia, culminia, orchis, regia, circites, murtea. Bacca iucundiſſima eſt pauſiæ, ſpecioſiſſima regiæ. Feruido ſqualidoq; ſtatu cœli gaudet. Arida loca depreſſaq;, ſed longè magis mediocres cliuos amat. In iſs enim excellens ſolis ardor uentorum proflatu refrigeratur: quare optimum exhibent oleum. Saligneis ferè uiret frondibus, anguſtis, quæ tam breui innituntur

innituntur pediculo, ut quaſi defixæ cohæreant, floribus puſillis quidem, ſed foliatis fructum ambientibus, qui cadiui, ſi perforati ſpectentur, probæ floſculorum iacturæ præbent augurium: baccis maturitate nigricantibus, quæ carnis callo & nucleo (quem ſanſam antiqui uocant) interiacente conſtant. Radice unica, paruaq;, & uelut lacinia ex medio tendente, firmatur. Cæteris grandioribus, & cancrorum ſimilitudine contortis, alijs craſſioribus, alijs obliquis & inæqualibus, ſummo ceſpite cohærentibus, nodoſis, uilloſis. Medulla huic tam incerta, ut non in medio ligno haberi, ſed per totum lignum ſpargi uideatur. Ideo quidam omnino medulla carere crediderunt. Viuit ex urbanis perpetuò.

Amurca dicitur ſanies oliuæ amara, quæ fit ratione aquarum: ſiccitatibus igitur minima, riguis copioſa: Nihil in ſumma eſt aliud niſi fæx olei, ex oleæ fructu expreſſi.

Viuax eſt, & diutiſſimè durat, & caudice & laterali germine, nepotumq; procreatione, atq; etiam ſtirpe incorrupta. Theophraſtus uitam ducentos annos longiſſimam eſſe, eſt autor, additq; aliquantò longiorem oleaſtro. Odit maximè quercum. De ratione uarietatis prouentus olearum, earumq; cura, uide Rei ruſticæ ſcriptores, & copioſiſſimè Ruellium. Summa oleæ cum uite eſt concordia, adeò ut ſi uiti inſeratur, non uuas modò, ſed & oliuas quoq; pariat.

## TEMPERAMENTVM.

Folia olearum uehementer adſtringunt, purgant, ſiſtunt. Maturæ oliuæ mediocriter calfaciunt, teſte Simeone Sethi, facilè autem ſunt corruptibiles, uentriculiq; & oculis noxiæ, & ueſicæ. Immaturæ naturæ ſunt frigidæ, ſtipticæ, & ſiccæ, gulæ magis, quàm medicinæ dicatæ: Ventrem roborant, aluumq; ſiſtunt: pulmoni uerò ſunt noxiæ. Conditæ oliuæ, quæ Colymbades dicuntur, frigidæ ſunt & ſiccæ, quæ ſi cum garo ante cibum ſumantur, aluum proritant. Colymbades.

De oleo uerò ſic ſcribit idem autor: Oleum mediocriter eſt cali-

Omotribes oleū. dum,& magis humefaciens: Omotribes uerò, hoc eſt crudum,& de C non maturis oliuis expreſſum,quò magis adſtringit,eò magis frigefacit:quod autem elutum eſt,minus mordicat. Vetuſtum quoque,quo uetuſtius eſt, tantò calidius eſt & magis diſcutit, eoq; inprimis, ſi à principiò tenuium partium fuerit, quod dijudicatur, ſi purum eſt & perſpicuum, & ſi eius modica pars maximam corporis partem perunget,& facilè ab eo ebibatur. Dinoſcetur uerò caliditatis & frigiditatis olei quantitas guſtu: quod enim dulce eſt, modicam mediocrẽmue habet caliditatem: quod aũt eſt acerbum,& adſtringit, frigidum eſt,tale autem ſtomacho eſt utile. Fex uerò olei calida eſt & ſicca, & utilis eſt inflationibus & uentoſitatibus ſplenis,ſed pulmoni noxia.

VIRES, INTRINSECVS.

Oliuæ maturæ ſumptæ aluum ſiſtunt, & orificium uentriculi confortant,oleum calfacit,uentrem emollit,aluum mouet lenitq;. Venena omnia cohibet, hebetatq;, crebrò potum redditumq; uomitionibus. Laudatiſſimum præſertim contra ceruſſam & Gypſum ex aqua mulſa,aut ficorum ſiccarum decocto potum,item contra meconium, cantharidas,bupreſtim,ſalamandras,pityocampas. Folia ex melle decocta dantur utiliter cochlearibus,ad ſanguinis excreationes.

EXTRINSECVS.

Trita folia,igni ſacro,ulceribus ſerpentibus & epinyctidi adhibentur. Carbũculos,nomas, paronychia cohibent: panos collectionesq; D cum melle diſcutiunt. Cruſtas reſoluunt ex melle impoſita. Cutem à capite mulſam conglutinant: Commanducata, priuatim oris ulceribus medentur. Eadem præſtant expreſſus ſuccus & decoctum. Proluuiem ſanguinis & abundãtiam fœminarum coërcent,ſucco appoſito. Vuas quoq; oculorũ,ulcera & ueteres fluxiones ſuccus ſanat: collyriſs itaq; admiſcetur. Excipitur autem ſuccus affuſo uino uel aqua, ſiccatusq; in paſtillos cogitur. Sed lõgè ualidior & diuturnior eſt, qui cum uino ſuccus eſt expreſſus,quàm qui cum aqua. Idem auribus purulentis uel exulceratis utiliter infunditur. Cauliculi decocti & cum melle impoſiti,cutem in capite ab oſſibus recedentem comprimunt. Fructus toſti & cũ melle triti nomas purgant, & carbunculos rũpunt. Oleum tamen acrius atq; efficacius. Os quoq; contra dentium infirmitatem eo colluitur. Corpus tepefacit & contra algores munit: Feruores aũt capitis refrigerat. Corpus à perfrictionibus uindicat,& gerendis rebus habilius prõptiusq; reddit,Democritus ergò, ut Diophanes tradit,interrogatus, qua ratione homines inoffenſa ualetudine degerent,reſpõdiſſe fertur: Si externa corporis oleo,interna melle linirentur. Medicamentis exulcerãtibus iunctum acrimoniam eorum domat. Emplaſtris uulnerariſs eſt utile,faciem expurgat. Bubus per nares infuſum,donec eructent, inflationes ſedat. Vetus magis calfacit corpora, magis diſcutit ſudores, duritias q; magis diffundit. Oculorum claritati ſublitum prodeſt.

Amurca

A Amurca gingiuis & oris ulceribus, dentiumq; firmitati utiliſſimè ſubuenit: infuſa quoq; ignibus ſacris, & iſs quæ ſerpũt, pernionibus. Nigræ oliuæ amurca utilior, item infantibus fouendis. Oliuæ uerò albæ amurca mulierum uuluæ in lana adhibetur. Multò autem omnis amurca inueterata efficacior, exulcerationibus uuluæ, uirilitatis & ſedis infunditur. Si uerò decoquatur ad mellis craſſitudinem, carie uitiatos dẽtes extrahit. Iumentorum ſcabiem cum decocto Lupini & Chamæleontis illitu ſanat. Cruda & recenti, podagras & articularios mõrbos, calida foueri eſt utiliſſimum. In cupreo uaſe ad mellis craſſitiem decocta, longè maiorem adſtringendi facultatem acquirit. Vſus eius cũ aceto, autumno uetere, aut mulſo, ut quæq; cauſa exigit: uulneribus in linteolis, luxatis in lana imponitur. Ingens hinc uſus inueterato medicamento, tale enim fiſtulas ſanat. Podagris incipientibus illinitur. In corio illita & impoſita, reprimit hydropicorum tumores.

## OLEASTER.

Κότινος, ἀγριελάια. **Wilder ölbaum.**

OLeaſter, Græcis κότινος, uel ἀγριελάια, hoc eſt, ſylueſtris olea, German. **Wilder ölbaum.** Naſcitur ex ſatiuæ nucleo, ſatiua fœcundior: Vita ei longior quàm oleæ. Satiuæ non multum eſt diſſimilis. Locis gaudet calidioribus. Calliſtephanon in Olympia naſcentem, O-
B leaſtrum dictam, autor eſt Stephanus: quia Olympiæ uictores ea coronarentur. Caudex eius peculiaribus quibuſdam auernulis dehiſcit, quod in olea quoq; deprehenditur. Oleũ ex fructu oleaſtri expreſſum, oleum oleaſtri dicitur, ad nos tamen haud quaquam affertur.

### TEMPERAMENTVM.

Folia Oleaſtri ſicut & oleæ adſtringendi naturam habent. De Oliuarum & olei temperamento, in præcedenti quoq; capite eſt dictum.

### VIRES INTRINSECVS.

Quæ de olea dicta ſunt, eadem huc refer. Oleum oleaſtri roſacei uice in doloribus capitis expetitur: ſudores cohibet: capillorum defluuia compeſcit. Vlcera in capite manantia, furfures, ſcabiem, leprasq; ſanat. Tardius caniciem ſentiunt qui eo quotidie perunguntur. Gingiuę uligine laborantes utiliter eo imbuuntur: Inuoluta autem ſtylo lana intingitur oleo, & gingiuis, uſq; dum albeſcant, admouetur. Ad ſtabiliendam dentium mobilitatem os colluitur: Defluxiones gingiuarum eo foueri utiliſſimum.

## LAVRVS.

Δάφνη. **Lorbeerbaum.**

NOMINA ET DESCRIPTIO. C

LAurus, Græcis Daphne, Germa. Lorbeerbaum. Fructus seu baccę eius Græcis Daphnides, Latinis Baccæ lauri, Germa. Lorbeer dicuntur. Non attinet de fabula Daphnes & Apollinis, item de honore & superstitione huius apud ueteres multa dicere. Et uictoriæ enim fuit symbolum, & plebs magistratui lauri folią & ficus, Xenñ uice offerebat. Vates quoq; huius folijs coronati sunt: Atq; hinc etiam Laureati dicti sunt Poëtæ. Iã ad descriptionem et uires eius. Plura sunt eius genera: Delphica, seu triumphalis, Cypria: Tinus, quam syluestrem putant: Mustax dicta, folio maximo flaccidoq; albicans. Taxa seu Baccalia, quæ uulgatissima & baccarum fertilissima. Primaria duo faciunt eius genera: Ste D rilem, quam marem uocant: & fœcundam quam fœminam. Cortice leui uestitur & tenui, radices spargit obliquas, inæquales, quæ suapte natura non recto tramite progrediuntur. Coma frõdet perpetua, caudice procero, pingui succo scatente, nodis perquàm paucis. Fert uuã, tam fœcunda quàm sterilis: sed copiosius sterilis, quam marem aliqui uocant. Fœcunda baccifera, carne in nucleo concepta. Aiunt si lauro teratur hedera, laurumq; terat eadem, ignem excuti, flammam enim attritu concipi, excipiente materia aridi fomitis, fungi, uel foliorum, facillimè conceptum. Quod primùm exploratores in castris & pastores inuenerunt. De Laurouide copiosè Ruell. lib. 1. cap. 92. Conficitur etiam ex lauri baccis oleum, quod Laurinum dicitur, Germa. Lorõl.

TEMPERAMENTVM.

Lauro excalfactoria molliensq; est natura. Baccæ magis quàm folia calfaciunt.

VIRES, INTRINSECVS.

Baccæ lauri, cortice detracto, tusæ & cum melle aut dulci uino eclegmatis modo temperatæ, præstãtissimum sunt remedium Phthisicis, graui item tussi & difficili spiratione laborantibus, nec non destillationibus capitis ad pectus defluentibus: & torminibus. Cum uino potæ,

tusæ

A tusæ baccæ lauri, ictibus scorpionum auxiliantur. Tusus lauri cortex, tertia drachmæ parte in uino potus calculum frangit, iocinorosis prodest. Vinum in quo decorticatæ lauri baccæ maceratæ fuerint, potum prodest puerperis, post partū alui dolorem aut tormina sentientibus: ac reliquias partus expellit.

EXTRINSECVS.

Doloribus & tumoribus matricis lauri folia in desessionibus auxiliantur. Viridium foliorum succus illitus, apum, crabronum & uesparū ictus sanat. Vitiligines idem extergit. Aurium tinnitum infusus pellit, modico uino admixto. Lauri frondes in arua fixas, à robigine fruges tutas conseruare antiquitas tradidit.

## OLEVM LAVRINVM.

OLeum laurinum calidum est & apertiuum, mitigat colicam & frigidos dolores uentris, stomachi, capitis, hepatis, splenis, renum, neruorum, matricis, iuncturarum, deniq; omnibus ægritudinibus ex frigida humiditate ortis confert.

## LAVRVS ACVLEIFOLIA.

### Walddistel/ Stechpalmen.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

B

QVo Latinis apto & cōmodo possit appellari nomine, & quomodo ueteribus Græcis & Latinis hæc arbor appellata sit non cōstat, Germ. Walddistel & Stechpalmen uocant. Hieronymus Tragus ex sylue stris lauri speciebus esse censet, & à foliorum aculeis laurum spineam seu aculeigeram uocat. Placet itaque aliorum de hac potius iudicium exactius audire, quàm certi quicquam statuere. Nascitur in sylvis nonnullis, utpote quam Idar uocant, ad Mosellam. Arbor est procera & ampla: quibusdam tamen locis humilior conspicitur. Cortice rami uestiuntur uiridi: caudex uerò cinereo: folia aculeata, tenera, inæqualia, lauri penè foliorum forma: fronde uiret perpetua. Autumno baccas fert rubras, singulares, fructuum cynosbati magnitudine, sapore iniucundo & ingrato. Consecratos huius ramos à foribus suspensos contra fulmina pollere persuasum sibi uulgus habet. Decoctum foliorum contra laterum puncturas utiliter bibi ferunt.

Viscum ex cortice eius hunc in modum conficiunt: Detractus ramis C cortex foliis inuolutus in humidum locum ad duodecim dies infoditur: Putrefactus sic cortex tunditur, & in aqua pura abluitur: quod lentum & uiscosum remanet, pro uisco assumitur.

## BVXVS. πύξος. Buchßbaum.

### NOMINA ET DESCRIPTIO.

BVxus, Græcis πύξος, Germa. Buchßbaum. Nomini incognita buxus, frigido apricoq; solo gaudens. Nascitur mali proceritate, folio myrti, exiguo, concauo, subrotundo, fronde perpetua. Flore herbaceo, semine ruffo & rotũdo, omnibus animantibus inuiso: ligno pallido atq; duro. Ex omni materie spississima, atq; densissima, eademq; grauissima, ideoq; in aquis non fluitat, neq; cariem, neq; uetustatem sentit. Ligno quæ ferro est duricies: Nec igni nec carbonibus est utilis, põderosa & densa, ac nec carefacta quidem leuis redditur. Sculptoribus potissimum ligni est usus. Pyxides quoq; ex ea fiunt, quibus etiam nomen dedit. Odor eius naturę prorsus aduersatur: Vnde crebrò sub buxo somnum capere, cerebro uehementer incommodat. I)

### TEMPERAMENTVM.

Natura Buxo est adstringens & exiccans. Estq; exiguus eius in medicina usus.

### VIRES INTRINSECVS.

Scobem eius in aqua decoctam, alui profluuium sanare tradunt. Serpentes uulneratos eius radice degustata sanitatem recuperare ferunt.

### EXTRINSECVS.

Folia & ramuli eius in lixiuio decocti, capillos rufant aut flauescere faciunt.

## TAXVS.

### Smilax, Milos. Eibenbaum.

Taxus. Smilax. Milos.

### NOMINA ET DESCRIPTIO.

TAxus, Græcis Smilax dicitur, aliquibus Milos, Germa. Eibenbaum. Diligenter in autoribus aduertendum, ne Smilacis uocabulum errorem inducat: Sunt enim Plantæ etiam duæ quæ Smilacis nomine ueniunt, uidelicet Dolichos & Ciliſſa hedera, quorum altera Smilax lenis, altera aspera dicitur, de quibus

A bus inter plantas ſuprà eſt actum. Eſt autem uenenata arbor, ac proinde non inter arbores apud Dioſcoridem primo libro, ſed inter reliqua uenenata, libro 4. deſcribitur. Arbor eſt procera, ſimilis abieti, minus excelſa, ſed alis crebrioribus ſinuata, folio abietis, pinguioriq; ligno: augeſcit facillimè ac fronde uiret perpetua, foliis indeciduis. Cortex cedro ſcabritia & colore ſimilis, quo detracto totum ſubeſſe cor cernitur: radices graciles, per ſumma ceſpitum, breues. In Arcadia tam præſentis eſſe ueneni ferunt, ut ſi qui dormiant ſub ea, cibúmue capiant, moriantur: quod dum in flore eſt, potiſſimùm accidit. Vnde taxica uolunt dicta uenena, quæ toxica nunc uocant, quibus ſagittæ tinguntur. Pecora etiam guſtatis rubris baccis eius, mori eſt compertum.

VIRES, INTRINSECVS.

Taxus ex uenenorum eſt cenſura, nec ullus alius in medicina eius habetur uſus: niſi quòd ſuffitu eius mures necantur. Sunt qui tradant eius baccis aluum reſolui, & altiles cohortales ſq; gallinas ſaginari. Ex ligno eius arcus & ſcorpiones elegantes conficiunt.

## BRATHYS.

Sabina. Seuenbaum.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

B

Sabina ſylueſtris.

BRathys Græcis, Sabina Latinis communi nomine, uel Sauina, Germa. Seuenbaum. Duorũ eſt genera. Altera foliis cupreſſi, ſpinis horridior, grauiter olens, acris & feruens, coactæ breuitatis arbor, in latitudinem magis ſeſe fundens, coma uirens perpetua. Florem puniceum abſq; fructu profert. In hortis ſicut Buxus plantatur. Colligitur potiſſimùm autumno, dum ſemine eſt prægnans.

Altera uerò Tamarici folio eſt ſimilis. Eſt & herba quæ Sabina dicitur, de qua inter plantas infrà.

TEM.

TEMPERAMENTVM. C

Calida est & sicca tertio ordine, ac tenuium maximè partium. Amaritudinis & adstrictionis est obscurioris quàm cupressus. Extenuat & digerit, Galeno teste.

VIRES, INTRINSECVS.

Folia cum uino pota sanguinem per urinam ducunt. Fœtum uiuentem, ut tradit Galenus, interficit, & mortuum eijcit. Cum melle & uino pota regio morbo medetur.

EXTRINSECVS.

Folia inflammationes illita mitigant, nomas sistunt. Cum melle nigritias repurgãt, sordes & carbunculos abstergunt. Apposita & suffita, sanguinem per urinam ducunt, & fœtum excutiunt. Vnguentis excalfacientibus, priuatim uerò Gleucino, miscentur: multis item antidotis adijciuntur. Nonnulli cinnamomi uice, duplum Sabinæ addũt. Pro suffitu multi foliis eius, maximè uerò prioris, utuntur. Gallinacei generis pituitas fumo eius herbæ sanari, scribit Plinius.

## CVPRESSVS, Cypressenbaum.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

CYparissus seu Cupressus Latinis, Græcis κυπάρισσος, Germa. Cipressenbaum. Nominis id accepit, ut Didymus est autor, ἀπὸ κύμβου πάρεσις, D hoc est, quòd ex æquo & ramos & fructus creet. Charita idem dici testatur, quòd scilicet nobis oblectamento sit. De Cypariſſo Telephi filio, & cur luctui sit hæc arbor dicata multa fabulantur poëtæ. Duplex est, mas & fœmina. Gaudet locis potissimùm humidis et protectis. Arbor est procera, caudice oblongo ac tereti, folio pini, sed carnosiore & amaro, neq; ita pũgenti. Fronde indecidua, odore uehementi. Semen conis innascitur prætenue, exile, & quasi laricis fructui proximum, quod pilula sua fatiscente labitur: rara materie & macilenta: radice per summa cespitum uagante. Summa ei fœcũditas: est enim trifera: Ianuario enim, Maio, et Septembri baccę eius colliguntur. Materies cupressi æterna & carieiexpers, cuius rei caussa est succus qui ineſt amarus, qui propter acredinem non patitur penetrare cariem, neq; nocentes bestiolas. Sunt itaq; æterna quæ ex eo conficiuntur opera. Fructus eius coni uocantur, unde Vergilius, coniferas appellat Cypariſſos. Officinæ Nuces cypressi uel pilulas uocant,

Germa.

A Germa. Cypreſſen nuß. Afferuntur hi fructus ad nos ex Italia, ubi copioſè naſcitur, & ex calidiore Galliæ parte. Nuſquam enim in Germania ſponte naſcitur. Eſt & uulgaris notitiæ herba, quæ Cipreſſen dicitur, Plinio Chamæcyparíſſus, de qua ſuprà eſt dictum.

TEMPERAMENTVM.

Cupreſſus, Dioſcoride teſte, adſtringit & refrigerat.

VIRES, INTRINSECVS.

Folia ex paſſo & exiguo myrrhæ pota, ueſicæ rheumatiſmis, & urinæ difficultati auxiliantur. Pilulæ eius ex uino tuſæ, in dyſenteria, aluifluxione, tuſſi & orthopnœa, ſanguinisq; reiectione, commodiſſimè bibuntur. Decoctum earum eoſdem præbet effectus. Ramenta pota menſes ciunt, ſcorpionum ictibus aduerſantur.

EXTRINSECVS.

Pilulæ eius tuſæ cum ficubus, duritias emolliunt, nariũ polypo medentur: In aceto coctæ, & cum lupinis detritæ, ſcabros ungues eſficiunt, hernias inteſtinorum prolapſu erumpentes illitu reprimũt. Folia eadem præſtant. Pilulæ cum arboris coma ſuffitæ, culices abigere exiſtimantur. Folia trita & impoſita, uulnera conglutinant: ſanguinem ſupprimunt: Capillum ex aceto tingunt: Ignibus ſacris per ſe aut cum polenta illinuntur: ulceribus item ſerpentibus, carbunculis & oculo-
B rum inflammationibus. Admota cum cerato ſtomachum roborant. Succus cum oleo illitus, oculorũ caliginem aufert: idem cũ fico, demptis granis illitus, uitia teſtium ſanat.

## IVNIPERVS.

### Wachholderbaum/ Krametbaum.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

Ἀρκεύθου ἢ ἀρκεύθις. Latinè Iuniperus. Germa. Weckholder/ Krametbaum/ quòd nimirũ turdi eius granis ueſcantur. Ἄρκευθος uerò διὰ τὸ ἀρὰν κεύθειν, hoc eſt, quòd noxium aliquid in ſe occultet: odorem enim eius reptilia auerſantur. Iuniperus uerò, ut aliquibus placet, quòd iuniores & nouellos fructus pariat: Sola enim ferè arborum fœtus ſuos in biennium prorogat, qui ne matureſcunt quidem nouis ſuperuenientibus. Duo ſunt eius genera apud Dioſc. Maior & minor. Vtriſq; coma eſt ſpinoſa, uirens perpetuò. Minor eſt humilis, ſeſſilibus in terra ramulis, baccis minoribus, primùm uirentibus, altero primùm anno matureſcentibus,

turescentibus,& assumentibus nigrorem: radices in summitate terræ C
sunt fusæ: corticem habet membraneum,fragilem,nec difficulter fa-
thiscentem,subfuluum, qui accensus gratissimum spirat odorem,qui
suauitate sua pestilentiæ contagia pellit, aëremq; infectum repurgat:
ex cortice æstiuo tempore lachryma,odorem & colorem thuris refe-
rens, exudat,quæ in gummi induratur, Arabibus Sandaracha,sed ma
lè,dicta. Officinis & uulgò Vernix,quòd rore uerno magis cõcrescat.
Maior in iustã arboris magnitudinem assurgit,caudice procero, cor-
tice fragili,ligno fuluo, odorato, latioribus ramulis, acu'eorum acer-
uo stipatis,baccis alteri similibus, maioribus tamen. Gaudet montibus
& locis maritimis. In locis cultis & planis rarò proueniunt. Fructus in
autumno atri,& ad biennium prorogati carpuntur.

TEMPERAMENTVM.

Calida est & sicca ordine tertio: fructus uerò in primo: modice cal
facit & adstringit,& ob hoc stomacho est utilis. Vernix in recessu se-
cundo.

VIRES, INTRINSECVS.

Fructus potus,ad uitia thoracis,tusses,inflationes, tormina & ue-
nenata prodest,lecur renesq; purgat. Vrinam cit. Conuulsis,ruptis,&
urinæ strangulationibus confert. Folia seu aculei, aut succus eorum ex
uino contra uiperarum morsus bibuntur,& illinuntur. Affatim sum-
ptus fructus,stomachum mordicat,caput calfacit,& dolore quãdoq; D
diuexat. Alui excrementa nec retinet,nec propellit, Galeno teste. Ver-
nix,hoc est,gummi Iuniperi,uomitionem ex polline thuris, & oui al-
bo excepta, supprimit. Stomachum in bilioso effusum uomitus, deuo
rata in ouo sorbili polenta eius,cohibet,dysentericisq; prodest.

EXTRINSECVS.

Incensæ Iuniperi suffitu serpentes fugantur. Cortex crematus &
cum aqua illitus,lepras eximit. Illitæ baccæ tumores sistunt,& oculo-
rum epiphoras tollunt. Vernix profluentem ẽ naribus sanguinem si-
stit,si ex candido oui liquore trita temporibus & fronti illinatur. Pro-
fluentem item aluum,cum thuris polline,& oui albo excepta,illita fir-
mat. Destillationes suspendit suffitæ nidor, arcetq;, ne præcipites ad
ima decumbant. Pituitam,quę in stomacho aut intestinis coĩt,dige-
rit. Humorem etiam quià cerebro repentè deuoluitur,coërcet. Vligino
sos fistularum sinus indita Vernix reficcat. Grauedini suffitus eius au-
xiliatur. Hiantibus manuum & pedum rimis illinitur. Easdem in sum-
ma cum succino uires habet,in cuius defectu duplici hęc pondere loco
eius sumitur.

## VITEX.

Agnus castus. Schaffmülle/ Keuschlamp.

NOMINA

A

## NOMINA ET DESCRIPTIO.

B

VItex, Græcis ἄγνος, hoc est, Castus, quòd nimirum, Galeno autore, castitatem ijs, quibus aut estur aut bibitur, aut substernitur, conseruet. Vnde Athenienſium matronæ castitati ſtudentes, huius foliis toros ſibi ſternebant. Lygos quoq; Græcis dicitur, ob ſurculorū firmitatem. Officinis & uulgò Agnus castus, ex linguarū imperitia, cùm utraq; uox idem ſignificet: altera Græca, altera Latina. Germa. Schaffmülle & Keuſchlamp/eodē uocabulorum errore Agnos pro Latino uocabulo accipiētibus. Salix quoq; Amerina Dioſcoridi dicitur, nonnullis uerò Piper agreſte. Duo ſunt eius genera, Maior & minor.

Maior arboreſcit ſalicis modo, uel foliorum aſpectu, niſi quòd gratiorem ſpirant odorem, & perpetuò uirent: ramis frangi contumacibus, flore ex purpura candido. Vnde candida quoq; dicitur, piperis ſemine: Minor ramoſior eſt, foliiſq; candidioribus & lanuginoſis, flore purpureo, quam Nigram uocant. Naſcitur utraq; iuxta flumina, Cauchi, ut Valerius Cordus tradit, huius arbuſculę frondes & ſemina, quoniam lupulo carent, cereuiſiæ ſuæ incoquunt: eaq; ſomnum conciliat, & facilè inebriat: Vocaturq; ab illis hæc arbuſcula Altſeim/ & Bozſt.

### TEMPERAMENTVM.

Vis uitici, Dioſcoridis teſtimonio, ineſt calfactoria & adſtrictoria.

### VIRES, INTRINSECVS.

Baccæ ſeu ſemina Viticis drachmæ pondere ex uino tuſa & pota, menſes cient, uentoſitates diſcutiunt, appetitus Venereos cohibet. Proſunt etiam ijs qui à uenenatis ſunt demorſi. Lac etiam nutricibus augent: lienoſis, iocinoroſis & hydropem metuentibus conferunt. Nimius uſus caput grauat, & ſomnum conciliat.

### EXTRINSECVS.

Succus foliorum araneorum morſibus illinitur. Folia cum melle in uino decocta, oris & gingiuarum ulcera collutione ſanāt. Rimas ſedis ex aqua decocta folia ſanant, ſi decocto locus abluatur. Inſeſſu proſunt inflammationibus mulierum, in occultis partibus ortis. Frondes Viticis ſi Viatores manu geſtent, à lupis tutos fore ſcribit Dioſcorides.

# SALIX. ITEA. C

## Weiden. Felbinger.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

SAlix Latinis, quòd saliat, surgatq; citò, ut Festus habet. Græcis Itea. German. **Weiden/ Felbinger**. Tres faciunt eius Plinius, Theophrastus & Columella species. Prima puniceo cortice uestita. Theophrasto Salix nigra aut punicea: Plinio Viminalis, Columellæ Sabina & Amerina dicitur, Germa. **Rott weidē/ & Banweiden**/ quòd lentę sint, & ad ligandū utiles: Et hæc censetur optima. Secunda species Theophrasto candida, Plinio uitellina, Columellæ Græca uocatur, cortice flauo seu pallido. Germa. **Geel weiden/Bach weiden**/quòd circa ripas nascantur. Tertia Theophrasto Helix, seu Pumila, Plinio & Columellę Gallica, Germa. **Kleinweiden**. Quatuor hodie cognoscuntur Salicū genera, quę hoc modo distinguūtur Germanicis nomenclaturis. Primum, quod reliquis pręstat, uirgulas fert tenues, & puniceas. Germ. **Rot weiden**/& **Banweiden**/hoc idem est cum prima Theophrasti, Plinij & Columellæ specie. Secunda uirgulas habet albas, ad ligamenta inutilis, quoniam facilè frangitur. Vnde Germa. **Weiß weiden**/& **Bruchweiden**. Tertium genus ripis gaudet amnium, uirgas ferens flauas seu uitellinas: secundo genere melius: German. **Geel weiden/ Bachweiden**. Hoc idem est cum Theophr. Plinij & Colum. secunda specie. Quartum genus uirgas & folia fert cinerei coloris, ac primùm paniculis suis in uere conspicitur: cuius præcipuus ad sepes muniendas est usus. Germa. **Seil weiden/ & Sellen**. Caudice consurgit breui, ramis longis, è trunco extremo uelut à capite prodeuntibus, lentis, flexilibus: foliis longis, subtus incanis, supernè uirentibus, flore seu nucamento squamatim compactili, laguinoso, propendente, fructu q facilè ante maturitatem euanescat. Maxima eius fœcunditas, ac quantumuis antiqua fuerit, germina tamen noua assiduè producit. Seritur mense Martio, humidis maximè locis gaudens.

D

TEM-

A

TEMPERAMENTVM.

Vim habet exiccandi & spissandi, modiceq; adstringendi, præcipuè uerò folia & cortex.

VIRES, INTRINSECVS.

Salicis folia cum modico piperis in uino cocta, colicæ medentur. Semina, quæ lanuginis modo uillosa dependent, trita & cum uino pota, sanguinem excreantibus auxiliantur. Eadem uis est cortici: si cum uino decoctus bibatur.

EXTRINSECVS.

Succus salicum, dum in flore sunt, oculis rubentibus, & caliginantibus illinitur. Foliorum & corticis succus, cum rosaceo temperatus, & in mali punici cortice calefactus, aurium dolorem, infusus, sistit. Vitiligines exterit. Decocto foliorum podagrica membra utiliter fouentur. Vstus cortex cum aceto temperatus, clauos & callos illitus tollit. Aduentsilia opera & uarios hominum labores, plurimus salicum, perinde ut Germanica de Buxo & Salice cantio testatur, est usus.

## POPVLVS ALBA.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

B

POpulus alba, Græcis λευκή. Germa. Bellen oder Pappelbaum / Weiß Alberbaum/ Weiß Popelweiden/ Sarbaum. Loca amat aquosa & palustria, lætiorq; circa amnes nasci solet, stagnis gaudet, auctu perquàm facilis. Herculi sacra arbor, Caudice procero erectoq; assurgit, cortice læui & carnoso, foliis tremulis. Vnde Gallis Trambula, quasi tremula est appellata, circinatæ in iuuenta rotunditatis, in senecta angulosis, semper uerò infernè herbaceis, supernè candicantibus, lanuginosis, & inter se crepitantibus, sine flore, uua exigua populi. In foliis Populi guttam ferunt, ex qua apes suam propolim faciunt. Exigua è populo est Resina, ex cauis eius humor effluit. Ex uua eius unguentum conficitur, quod populneum seu ægirinum, Officinis Vnguentum Populeonis dicitur, item myracopium. Fit hoc uerno tempore, cùm plurimum est grauis & resina prægnans. Vitibus est amicissima, quarum causa in uineis etiam seritur. Lignum eius accensum multum fumum exhalat. Trãbula.

TEMPERAMENTVM.

Populus alba mediocri est temperamento: humido nimirùm terreno q;, magis tamen frigido quàm calido. Vuæ tamen eius magis sunt calidæ.

VIRES. INTRINSECVS. C

Corticem unciæ pondere potum, coxendicum dolori mederi, & ſtillicidio urinæ auxiliari, tradit Dioſcorides. Cum muli rene ſi bibatur abortum facere addit: Idem præſtare folia cum uino poſt purgationes pota.

EXTRINSECVS.

Succus foliorum tepidus auribus inſtillatus, dolorem earum mitigat. Pilulæ quæ primo foliorum partu exiliunt, cum melle illitæ, oculorũ hebetudini medentur. Aduerſus inflammationes, & dolores ex calore natos, eiuſmodi unguentum conficitur: Recipe capitula populi antequam in folia exeant, macerentur in adipe porcino, aſſeruenturq; dõnec aliæ herbæ prodeant: hinc addantur, Aizoum, Sedum ſylueſtre, Craſſula maior, folia bryoniæ albæ: rubi utriuſq; umbellæ, folia Perſonatæ, & Solani. Omnibus tuſis, exprimatur ſuccus, & cum populi capitulis in adipe maceratis in unguenti formam coquantur.

## POPVLVS NIGRA.

Aſpen. Poppelweiden.

NOMINA ET DESCRIPTIO.



Succinũ.

POpulus nigra, Græcis Αἴγειρος dicitur, German. Aſpen/Poppelweiden. D Parum ab alba antè deſcripta differt, niſi quòd hæc procerior & leuior eſt, folio bicolor: folio præterea eſt anguſtiore, & ſcabriore cortice, in totum ſtrigoſior. Folia ſicut in alba ſunt circinatæ rotunditatis in iuuenta, uetuſtiora in angulos exeunt, infernè herbacea, ſupernè candicantia, pediculo tremulo, inter ſe crepitantia, Vnde trambula quoque quaſi tremula Gallis uocatur. Vtriq; etiam denſa lanugo, quæ ut lulus euolat. Ligno utriq; par candor, neutra putatur florere, ſed alba numeroſiore folio, quæ etiam uuas fert unguentis, brya uocatas. Amnes amat, lachrymam eius quæ iuxta amnem Eridanum in aquam deſtillat, in ſuccinum durari & coire produnt.

Tertiũ Populi genus addit Theophraſt. quã Alpinam, nõnulli uerò Tibycã cognominant: ceteris altitudine ſimilẽ, cortice pyri ſyluestris, ſcabro,

A scabro, ramis candicantibus, folio hederæ, hincinde exaturato uirore nigro, sed parte una hebete, altera angulosa, pediculo tenui, oblongo, colore parte supina pronaq; ferè consimili.

TEMPERAMENTVM.

Populo nigræ calida siccaq; qualitas tribuitur. Ligni eius ad sumptuosos toros & mensas, ob aqueos in eo ductus, est potissimùm usus. Succino suæ sunt & peculiares uires, de quo inter Gemmas.

VIRES, INTRINSECVS.

Qui uirgam eius manu tenuerint, eos intertriginem sentire negant. Folia eius, cum aceto, Dioscoride teste, Podagricis utiliter illinuntur. Humor è cauis populi nigræ effluens, uerrucas papulasq; & attrita corporis tollit.

Corticem tam albæ quàm nigræ populi, minutim cæsum, & sulcis stercoratis mandatum, omni anni tempore fungos qui edendo sint, proferre tradit Dioscorides.

Lachryma eius, quam succinū appellant, trita potaq;, stomachi uenerisq; fluxiones sistit.

## ALNVS. Erlen/ Ellerbaum.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

B

ALnus, Græcis κλήθρα. Arbor est sterilis, caudice recto, ligno medullaq; molli, adeò ut graciliores uirgæ concauentur. Folio pyri, sed ampliore ac neruosiore, quadantenus orbiculato uirgatoq;, cortice squaroso, foris albicante, intus rufo, quo coria tingūtur, fructu nullo, cùm nihilominus floreat. Radice summa, nec ita laurus maiore, tenui. Aquosis potissimùm gaudet, nec ferè alibi facilè nascitur: ad naualia, & fundamenta ædium hac de causa, materies eius maximè commendatur: messores quoq; lignum eius pro aqua ad cotes madefaciendas excauant. Fabulantur poëtæ, Alnos sorores fuisse Phaëtontis, quæ ob nimium luctum, quo ob fratrem affligebantur, in Alnos arbores conuersæ sint. Vnde Verg. in Sileno:

*Tum Phaëthontiadas musco circundat amaræ*
*Corticis, atq; solo proceras erigit alnos.*

TEMPERAMENTVM.

Plurimam aëream & igneam temperaturam obtinet, terrenam exi-

quam,& humorem paucum. Vnde extra terram non multum durat: C sed in humore obruta ad diuturnitatem permanet. Et in paluſtribus locis infra ædificiorum palationes crebrò fixa,permanet immortalis ad æternitatem,immaniaq; pondera ſuſtinet,& ſine uitijs cõſeruat. Proinde multa ædificia ſub fundamento eius generis palos habent. In medicina aliàs exiguus eius uſus.

VIRES, INTRINSECVS.

Viridia folia alni,tumores diſcutiunt & calorem reſtinguunt. Folia pedibus ſuppoſita,laſſitudinem ex itinere contractam & calorem extrahunt. Viridia rore madentia folia in cubiculum,aduerſus pulices ſpargũtur,& mox antequam ſicceſcant expurgantur; Pulices enim foliijs ob lentorem adhęrent. Cortex ad nigrum colorem à Pilearijs & Sutoribus aſſumitur.

## VLMVS. Vlmenbaum/ Ylmen/ Rystholtz/ Lindbast/ Yffenholtz/

NOMINA ET DESCRIPTIO.

VLmus Latinis, Græcis πτελέα. German. Rüſtholtz/Rüſtbaum/Vlmenbaum/Ylmẽ/Ryſterbaum/Ryſtern/Lindbaſt/Yffenholtz. Theophraſtus duo D facit Vlmi genera. Montanam, quam Otipteleam uocat,& campeſtrem. Columella itidem facit duo: Alteram Gallicã,quam Attiniam nominat: alteram Vernaculã, quam noſtratem. Quatuor enumerat Plinius. Prima eſt montana, Altera Campeſtris, Germa. Feldryſter,fructum ferens. Tertia Attinia,procera. Quarta ſylueſtris. Locis aquoſis gaudet. Germinat inter primas,ante æquinoctiũ paulò. Arbor eſt procera,folio indiuiduo,lentè crenato,ſcabro,oblongiore quàm pyrus,ſemen racemoſum,in foliolis & petiolis gummi producit,& quoddam beſtiolarum genus,quod Cnipes dicunt. Materie flaua,robuſta,neruoſa,deformi,& quæ nihil præter cor habeat. Viridis cæſu facilis,ſicca difficilis. Vtuntur ea ad fores lautiores,ad cardines, aſſamenta portarum,& prela,torcularia q;,& ſontium caucas,& carpentariũ quando q; opus.

Cnipes.

TEM-

A TEMPERAMENTVM.

Vlmi folia, cortex, rami, uim habent ſpiſſandi & uulnera contrahẽdi, Galeno teſte.

VIRES, INTRINSECVS.

Corticem ulmi exteriorem unciæ unius pondere ex uino aut aqua frigida potum, pituitam educere Dioſcorides refert. Apibus florem ulmi noxium eſſe ait Columella, citam enim aluum, ſicut Eſulam, ipſe facere. Vnde cõtingit breuiorem Apibus ijs locis, ubi frequentes ſunt Vlmi, uelut in Italia, uitam eſſe.

EXTRINSECVS.

Viridia ulmi folia, interior item cortex, uulneribus glutinandis ualent. In aceto uiridia cocta folia manantem corporis ſcabiem ſanant. Ad pedum fracturas & conſumpta membra, ſalubria ex cortice & radice ulmi fomenta conficiuntur.

## AMYGDALVS. Mandelbaum.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

B

AMygdalus Græcis dicta eſt, Herodiano teſte, q̃ poſt uiride putamen, multos ſcarificatus oſtendat, & in rimulas dehiſcat, quas Amychas uocant, German. Mandelbaum. Fructus eius Amygdalum uel Amygdala dicitur, Germa. Mandel/ Mandelkern. Nucem Græcam Cato uocat, & arborem & fructum eius. Thaſias alĳ nuces appellari uolunt. Duplicis eſt differentię: alia enim dulces fert amygdalas, alia amaras. Radice firmatur ſingulari, prę grandi, alteq̃; defixa, Caudice procero, ſummatim compluribus ramis brachiato, foliĳs ſalignea ſpecie, prælongis: flore foliato, candido, quanquam & amygdalorum quarundam foliatus exeat. Arbos ſucco pingui turget, lachrymamq̃; rimoſa plorat, quæ ſtatim concreſcit in gummi. Verùm ne ad ulla quidem, utpote inutilis expetitur. Huius nuces gemino protectæ operimento, puluinati, primùm calycis, mox ligneĳ putaminis, cui ſolidus ſubeſt nucleus, acriore etiamnum obductus callo. Cœlo gaudet calidiore, quapropter in inſulis uberior adoleſcit. Pangitur auulſo ramulo, uiui radice & ſeminio. Nuces quæ ſeri debent, pridiè liquido fimo macerantur: alĳ aqua mulſa madefaciunt, in eaq̃; noctem ſolam eſſe patiuntur, ne germen extinguat

mellis mordacitas. Cacumina in terram rectè figuntur, sic ut lignosior C pars sursum spectet. Surculos autem qui uel arbori uel terræ credãtur, è media arbore legendos præcipiunt. Ab autumno ad brumam, Græcorum opinione, facilius seritur: Verno satu difficilius comprehendit, quòd arbos ea præcoci partu germinet. Si parum ferax amygdalus fuerit, forata arbore lapidem adigito, & ita librum inolescere sinito.

TEMPERAMENTVM.

Temperamentum amygdalis est calidum: magis tamen amaris, ob oleosam friatu naturam. Diocles ea tradit alere, uentrem bene habere. Recentia tamen minus aridis sunt noxia, macerataq; multò minus ijs quæ nullum experta sunt humorem. Torrida quoq; minus crudis offi ciunt. Diphilus tradit extenuare, urinas & aluum ciere, paucum suppe ditare nutrimentum.

Gummi quod ex arbore stillat, spissandi uim obtinet. Oleum amygdalinum modicè & temperatè est calidum, uim discutiendi & aperien di habet. Vnde ad iecoris sepimenta, pectoris & pulmonis uitia est utile. Quod uerò de amygdalis amaris exprimitur, magis aperit, lotiumq; & menses ducit, calculos renum, & ueficæ, frangit.

VIRES, INTRINSECVS.

Amygdalarum iusculum aut decoctum, in quo Chalybs fuerit extinctus, laxam aluum cohibet.

Amygdalæ amaræ purulentum pectus mirè purgãt, sanguinem excreantibus prosunt. In cibis sumptę, pectus, pulmonem, iecur, lienem, renes & ueficam aperiunt. Prosunt itaq; tussientibus, difficulter spirantibus, pulmoni, iecori, lieni.

Ad bellaria quoq; ex Amygdalis & Amylo, placentæ, quas Marcipan Pharmacopolæ uocant, conficiuntur. Humido uentriculo, intestinorum passionibus & calculo cibus amygdalarum est utilis.

Succus est amaris amygdalis ischiadicis prodest.

Gummi arboris sanguinem excreantibus datur.

Sex aut septem nucleos manè ieiuno stomacho sumptos, temulentiam eius diei auertere ferunt.

Vulpes amygdalarum esu mori, tradit antiquitas: Quod in fele in Italia obseruatum esse, quæ amaris amygdalis sumptis miserè sit mortua, Vergilius Marcellus annotat.

EXTRINSECVS.

Tusæ amygdalæ cum oleo rosaceo, temporibus illitæ, capitis sedãt dolorem. Maculis item & pustulis faciei illinuntur. Cum uino temperatæ epinyctidas & manantia capitis ulcera sanant.

Cum melle morsui canis medentur. Gummi arboris cum aceto papulas, sepiginem, & id genus cutis uitia curat.

Radix

A Radix amygdalarum amararū in uino cocta & illita, maculas faciei extergit. Lixiuium ex cinere ligni & corticis amygdalarum apparatū corrodendi facultate maxima est præditum.

## OLEVM AMYGDALARVM DVLCIVM.

Lenit asperitates pectoris, gutturis, & pulmonis, duritiem & siccitatem iuncturarum, est suaue in cibis, & confert hecticis & phthisicis, impinguat, auget sperma, sedat tussim & ardorem urinæ, uesicæ & uuluæ excoriatæ, cum fistula iniectum.

## OLEVM AMYGDALARVM AMARARVM.

Aperit oppilationes, & discutit uentositates & uapores, sed potissimùm medetur surditati, sibilo & dolori aurium: lenit duritiem neruorum, & delet maculas faciei.

# IVGLANS. NVX REGIA.

Nußbaum. Welschnußbaum.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

B

IVglans quasi Iouis glans. Græcis Κάρυον βασιλικόν, hoc est, Nux regia. Nux etiam Persica à regione, unde primùm est aduecta. Vulgò simpliciter Nux dicitur, Κάρυον, à capitis grauedine, quam folia eius afferunt, est dicta. Grauis enim foliorū eius est halitus, qui cubantibus sub ea arbore graue dinem capitis, in cerebrum penetrās, inducit. Germ. **Welschnuß & Nußbaum.** Fructus eius itidem iuglans & nux iuglans cum arbore appellatur. Nota est nemini non arbor. Fructus est triplex cognita differentia: maior, media, & minima. Maiores German. **Roßnuß & Pferdsnuß**/à magnitudine uocant, Latinè Nuces equinæ, hæ decennis plerunq; pueri pugnum æquant. Mediæ sunt uulgares, & simpliciter **Welschnuß** nominantur, & hæ sunt optimæ. Minimæ, Germa. **Steinnuß**/à duritie uocantur. Arbor ipsa est, ut Ruellius describit, prægrandis, multis prælongisq; nixa radicibus, procero caudice, multis summatim ramis ingētibus brachiato, binûm ternúmue sæpe cubitorum crassitie, cortice albo, glabro, in rimas altas plerunq; dehiscente, frondibus latis, oblongis, è iucundo

cundo grauiter subolentibus, patulamq; iaculantibus umbram, & in. C
salubrem, per autumnum deciduis. Verni temporis initio paniculam fert prælongam, callo squamatim compactili protractam, ordine nucis pinææ protuberat & dehiscit. Flauescens statim quàm frondem facere cœpit, nutans caducaq; prolabitur. Tum super ramenti huius pediculum flos erumpit, totidemq; calyculacea tegumenta, quot flores petiolo contrahuntur, singulisq; his singulæ includuntur nuces, uario protectę munimento, calloso primùm herbaceoq; cortice, hinc ligneo, bifido carinarum modo compactili loculo, seu putamine. Mox tenui
Nauci. tunica, quæ nauci, ut quidam uolunt, nominetur. Crispi intus nuclei quadripartitò digerũtur, lignosa intercedente membrana. Hac de causa fluptris religiosas factas putant, quòd nimirum tot modis etiam partus inuoluatur in parente. Vtero nimirum uentreq;. Frigidis gaudent locis, aquas odere. Montibus quoq; lætantur. Seruntur nuces porrectæ, commissuris iacentibus, à Calendis Martijs ad Idus easdem. Tantum quercui & iuglandi ferunt dissidium, ut iuxta nucem iuglandem depacta moriatur. Lignum eius mensis & utensilibus lautis dicatur, ususq; ad tectorium opus. Mirum refert Tragus de iuglande, quæ ad Rhenum crescens non ante Cal. Iul. folia uel fructum ostendat. Ad Calendas uerò Iulias & folia & fructus cum reliquis arboribus pariter habere.

TEMPERAMENTVM. D

Nuces recentes, Simeone Sethi autore, calidæ sunt ordine primo, siccæ uerò secundo. Aridæ uerò sunt calidiores.

VIRES, INTRINSECVS.

Iuglandium usus non omnibus est salutaris: uentriculum enim grauant, difficulter concoquuntur, bilem in uentriculo augent, tussim & uomitus excitant.

Plinius lib. 23. cap. 8. hunc in modum scribit: In sanctuarijs Mithridatis maximi regis deuicti, Cn. Pompeius inuenit in peculiari commentario, ipsius manu scriptam cõpositionem antidoti. Duabus nucibus siccis, item ficis totidem, & rutæ foliis uiginti simul tritis, addito salis grano: & qui hoc ieiunus sumat, nullum uenenum nociturũ illo die. Commanducatus nucleus rabidi canis morsibus illitus, omnia uulneris symptomata & mala arcet, ieiuno prius stomacho nucibus ijsdem sumptis. Cortex nucum iuglandium piperis uicem in cibis inuenit.

EXTRINSECVS.

Nucleus cum melle & ruta inflãmationes pectoris eiusq; dolorem sedat: luxatis pari modo prodest. Idẽ potest liquor stillatitius ex nucibus immaturis circa Cal. Iulias ustus. Cum cepis, sale & melle nuces tusæ, morsibus hominum, simiarum & canum auxiliantur. Sugillata eadem ratione tollunt. Corticis nucum cinis umbilico impositus, tormi-

na

A na ſedare fertur. Idem cinis cum oleo capiti illitus, capillos gignit. Vſti nuclei cum uino illiti, carbunculos ſanant.

## CORYLVS.

Nux auellana. Nux pontica.
Haſelbaum. Haſelſtrauch.

### NOMINA ET DESCRIPTIO.

B

Corylus & Nux auellana, Latinis, Germa. Haſelſtrauch/ Haſelnuß-baum. Fructus huius Græcis dicuntur κάρυα ποντικά, hoc eſt, Nuces ponticæ, quod è Ponto uenerunt. Item λεπτοκάρυα, hoc eſt, nuces paruæ. Latinis Nuces auellanæ, primùm auellinæ. Item Præneſtinæ, Heracleoticę. Germa. Haſelnuß. Duo ſunt eius genera: Syluestris, quæ ſponte ubiq; naſcitur, quæ in nemoribus etiam frequens, quæ priuatim Haſelnuß dicitur. Et ſatiua, quæ fructum fert oblongiorem, & totum, ceu barba to putamine tectum, & ueſtitum, cuius nucleus ruffa membrana cingitur. Germa. Rotnuß/ & Rürnuß, Lampertiſche nuß. Corylus, ut Ruellius deſcribit, radice eſt tenui, altiſſima, uiuaci & robuſta, caudice multis infernè ſtolonibus fruticante, ſupernè ramis brachiato, uirgis breuibus, ſine alarum ſinu enodibus, craſſiſq; nonnullis, foliis alni, ſed latioribus, per ambitum ſerratis, materie admodum lenta, cortice ſummo tenui, pingui, maculis albis uario: medulla tenui & flaua, quæ demi poſſit. Florere hanc aliqui negant: ſed floris uice quoſdam in eo peculiares Iulos erumpere. Siquidem fructu iam caduco, callus uuę modo, magnitudine uermis grandiuſculi, pinguis emergit, ſingulari pediculo, quem uocant Iulum. Dehiſcit ineunte uere, ac defluit cùm folia proſiliunt, callo ſquamatim compactili, propendente, tum calyculacea tegumenta totidem, quot Iuli ſupra pediculum exeunt, eorumq; ſingulis nuces ſingulæ inſunt. Aiunt ruſtici ſerpentem, quæ coryli caudicę uel ſurculo fuerit icta, obtorpeſcere & tandem emori. Iuli.

### TEMPERAMENTVM.

Calidas & humidas auellanas nuces Simeon Sethi tradit. Stomacho & inteſtinis gracilibus minus ſunt ſalubres, Vnde Macer: Ex minimis nucibus nulli datur eſca ſalubris. Dyſenteriam, ſi non ſatis maturæ fuerint, facilè gignunt, præſertim quibus rubrum eſt tegumentū. Vnde nonnullis Rürnuß eędem appellantur.

VIRES

VIRES, INTRINSECVS. C

Aridæ maturæ auellanæ nuces tusæ, & cum uino potæ, diuturnæ tussi medentur. Tostæ nuces cum modico piperis sumptæ, destillationes ex capite ad pectus, è quibus tussis oritur, prohibent.

EXTRINSECVS.

In cineres ustæ nuces, & cum adipe ursino illitæ, alopecias sanare traduntur. Suspensas auellanas nuces, scorpiones ex eo loco arcere Plutarchus refert, Vnde scorpionum morsibus easdem mederi aiunt.

## PISTACIA. Pimpernuß.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

Staphylodēdros.

PRæsens hæc arbor, quam Germani Pimpernuß uocant, etiam si uera Pistacia non sit, ex eius tamen est genere. Folia ferè fert Sambuci, sed uiridiora & teneriora. Florem Maio mense, fert candidum, rotundum, plenum, ex quo uesicæ seu folliculi fiunt candidi & caui, in quibus nuces paruæ, puniceæ, & dulces, binæ ferè iunctæ inueniuntur. Matureſcunt in autumno. A fructu arborem Vesicariam seu folliculare licebit uocitare. D Putatur hæc Staphylodendros esse Plinij, quã siliquas ferre dicit, in quibus nuclei nucis auellanæ. Vera autem Pistacia est, cuius fructus in Officinis Fistica & Fisticorum grana uocant. Nascitur ea in Syria & in Parisiensi quoq; agro, in ædibus sacris Diuæ Mariæ, ut Ruellius testatur.

TEMPERAMENTVM.

Pistaciæ ueræ nuces calidæ & siccæ complexionis esse feruntur, iecoris, pulmonis, & pectoris obstructiones soluunt. Sanguinem purgant & attenuant.

VIRES, INTRINSECVS.

Fructus peregrini, quos Fisticos & Pistacia nominant, Phlegmaticis prosunt: humores enim lentos discutiunt & attenuant: Conducunt itaq; iecori, pulmoni, & renibus.

In cibis aut potu sumptas nuces Pistacias stomacho esse utiles, omnibusq; uenenis aduersari, scribit Dioscorides.

## CASTANEA.

NOMINA

A

## NOMINA ET DESCRIPTIO.

CAstanea à Castano Magnesiæ oppido, unde primùm aduectæ. Glans Sardiana à loco similiter, & Iouis glans. German. **Castanienbaum**. Fructus eius Nux dicitur Castanea, German. **Kesten/Castani**. Multa harum enumerantur genera. Tarentinæ, faciles nec operoso cibo, planæ figura, sed minus tractabiles. Balanitides, rotundiores, purgabiles, maximè & sponte prosilientes. Salarianæ, puræ ac planæ. Corellianæ laudatiores, & Meteranæ ex Corellianis factæ, rubenti cortice. Triangulæ, & populares nigræ, quæ coctiuæ uocantur, minima laude. Cæteræ suum pabulo nascũtur, scrupulosæ corticis intra nucleos quoque rumination e. Arbor est notitiæ uulgaris, Puram & resolutam teram desiderat, cliuo lætatur opaco & septentrionali. Spissum & rubricosum solum reformidat. Iuglandi, describente Ruellio, non est dissimilis, folio tantùm uenosiore & fimbriato. Nuce intus solida, & quàmplurimum plana, triplici tegminis ambitu septa, Membrana primùm amara, mox lento cortice,
B demum echynato calyce. Seritur uiui radice & nuce. Eliguntur autem castaneæ quæ sulcis destinantur, grandes & maturæ, quæ si recentes serantur melius proueniunt. Sed ut ad ueris initium serantur illibatæ, in umbra siccari debent expansæ, dein in siccum locum translatæ in cumulum redigi, & arena diligenter operiri. Integrarum probatio est, ut in frigidam aquam mittantur: siquidem quæ sanę sunt, mergun tur: quę uexatę aut corruptę sunt, supernatant.

### TEMPERAMENTVM.

Calida & sicca est in primo ordine. Adstringit & exiccat sicut & alię glandes.

### VIRES, INTRINSECVS.

Castaneę nuces prosunt ijs, qui Ephemeron aut Colchicum hauserunt, teste Dioscoride.

Difficilis aliàs sunt concoctionis, crassos humores pariunt, capiti obsunt, aluũ inflant & constipant. Vtiliores tamen crudis esse tostas & arefactas, Simeon Sethi scribit. Aquam, in qua Castaneæ cum membrana decoctæ fuerint, omnibus alui fluxibus, dysenteriæ, & sanguinis excreationi aiunt conferre.

## QVERCVS.

NOMINA ET DESCRIPTIO. C

Robur.

Ilex.

QVercus, Græcis Δρῦς, Germa. ein Eych/ Eychbaum. Multæ sunt huius speciei, quas omnes enumerare foret difficile. In syluis alijsq; locis nascitur. Arbor est procera, crassiore & asperiore caudice, ramosa, folijs profundè laciniatis. Glandes producit optimas & grandissimas, Gallas item & uiscum. Radix eius latissimè circumiacentem terram amplectitur. Fructus Latini glandes, Germa. Eycheln appellant. Ex quercuum generibus sunt. Robora, à duritie sic appellata, Germa. Hageychen. Item Ilex, quæ roboris magnitudine & folio nascitur, uerùm minori aculeatoq;, cortice etiã læuiori, materia spissa & robusta, glandoso fructu & pusillo, perpetua frondens coma, fructumq; tardissima perficiens, & ueterem fructum nouus excipit & præuenit. Vnde bifera à nonnullis existimatur. Præter glandem etiam granum quoddã puniceum fert: præterea hyphear & uiscum, sicut reliquæ quercus.

Cerrus ægilops.

Tertia numeratur Theophrasto species Cerrus ægilops, populo similis, caudice recto, excelso, læui, & per longitudinem robustissimo, materie alioqui improba, nec nisi ærariorum Officinis, carbone dota D
ta. Glandem fert tristem, horridam, echinato calyce castaneæ modo, unde à nullo prætercp à sue mãditur, nec nisi aliorũ inopia, cùm alioqui solidã durãq; gignat carnem. Galli herrum & hedrũ uocãt, teste Ruel.

Esculus. Platyphyllos.

Quarta species Esculus, Platyphyllos Græcis, ut quibusdam placet, & quibusdã latifolia, quòd inter arbores glandiferas, folij amplitudine præstet. Fagopceritate & glande inferior. Galla uisu qdem querne nõ dissimili, nisi cp lenior, sed ad rem nullam utili: sed alteram nigram habet, qua lanę inficiũtur. Glandem fert quę hispido calyce contineat, grandem, bonam, qua fungosam carnem fieri tradũt. Foliũ graue, carnosum, pcerum, sinuosum lateribus. Greci quatuor numerant genera, Hemeris. Haliphlæos. hemerin, ægilopa, haliphlæum, platyphyllõ. Quæ ad iam descripta genera referũt, ut quercus sit hemeris quasi placida: Robur haliphlæos, Esculus Platyphyllos. Cerrus uerò sit ægilops. Summum quercus cum iuglande est dissidium, ut in Iuglande etiam est dictum. Gignit autem quercus præter fructũ peculiarem, uidelicet glandẽ, alia quoq; multa. Fert enim Gallæ genus utrũq;, & quædam, ut Theophr. refert, ueluti mora, nisi distarent fructu, contumaci duritia, plerunq; nonnulla colis effigiem representantia. Interdum cũm perficiũtur, tauri caput imitantia: quæ cũm prærupta dehiscunt, nucleum ostendunt oliuę similem.

Pilulæ.

Nascuntur & in eo pilulæ nucib. nõ absimiles, intus habentes floccules molles,

A molles, lucernarum luminibus aptos, qui & probè gallæ nigræ modo flagrent. Fert & aliam cum capillo comigeram pilulam, uerno tempore melligeni ſucci, tum guſtu, tum tactu. Gignunt & alæ ramorum pilulas ſine pediculo ſeſſiles, parte concaua adhærentes, uerſicolores, quæ prominentes quoſdam umbilicos, uel candicantes, uel diſperſa nigrarum macularum uarietate notatos præmonſtrent, medijs partibus colore coccirutilantibus, quibus apertis putris inanitas cernitur, aliquando pumices. Sed rarò gignit, nec non è folijs, conuolutas rariores pilulas compreſſas, oblongas, ſuper folijs quoq; tergo adhærentes, aquoſis intus bullis, candicantes, quæ muſcas creant, eæ matureſcentes tandem in gallas occaleſcentes durantur.

TEMPERAMENTVM.

Deſiccat, adſtringit, & calfacit, paulum infra media, in genere ſcilicet eorum quæ tepida ſunt.

VIRES, INTRINSECVS.

Folia aut medius cortex in uino decocta potaq;, omnes alui fluxus, menſes & Gomorrhæam certò cohibent. Eadem præſtat ex teneris folijs liquor ſtillatitius, ac pueris potiſſimùm datur. Tritæ glandes potæ proſunt ijs, qui à uenenatis morſi ſunt, quiq; uenenum ſumpſerũt, aut biberunt Cantharides, ut urinam cruentam emittant. Idem glandium puluis potus, calculo medetur.

B Arcades glandibus primùm, ante inuentas fruges uixiſſe, autores teſtantur.

EXTRINSECVS.

Folia quercus ad uulnera ſunt utilia, recentia enim ea conſeruant, & in aqua decocta eadem purgãt. Galenus quoq; folijs quercubus ſe uulnus glutinaſſe teſtatur. Rubentia tenera quercus folia, in bono ueteri uino cocta, dentium dolorem ex frigidis fluxibus natum, tepida colluſione ſedant. Ligni querni plurimus ad ædificia aliasq; firmas res eſt uſus: Eſt enim lignum duriſſimum & diutiſſimè durans. Vnde querna conſilia dicta ſunt, pro conſtantibus & firmis conſilijs.

# GALLA.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

GAlla, Germa. Gallöpffel/Eychöpffel/Græcis Cicis. Naſcitur in omnibus glandiferis arboribus, ſed non omnium par eſt bonitas. Optimam uerò fert quercus, quæ hemeris dicitur. Reliquæ, ut quæ in noſtris etiã quercubus naſcũtur, dicuntur Galeno Onicicidę, hoc eſt, aſininæ Gallæ, quòd ignauę ſint & minus efficaces. Eſt autem Galla pilula inęquali ſuperficie, ſalebroſa, in glandiferis arboribus pręter legitimum fructum proueniens, multiplici differentia: quoniam alia ſolida eſt, perforata alia, hęc nigra, illa candida, altera maior, minor alte

Galla.

ra. Naſcitur omnis ſole de Geminis exeunte, nocte erumpens uniuerſa, ut autor eſt Theophraſtus. Quæ cãdida eſt, creſcit uno die, ac ſi æſtu feruente excipiatur areſcit protinus, neq; iuſtã magnitudinem implet. Nigra diutius uiret, creſcitq; interdum, ut ad mali peruenit magnitudinem, eſtq; coriis tingendis utilior, illa uerò perficiendis. Ruſtici hanc de Gallis uulgaribus habent & obſeruant experientiam: Gallã uel muſcam, uel araneum, uel formicam in ſe continere. Muſcam uolunt bellũ, araneum peſtem, formicam uerò annonæ caritatem deſignare.

C

TEMPERAMENTVM.

Gallę natura eſt conſtipandi, glutinandi, & tingendi, facultates plerasq; cum quercu poſſidet.

VIRES, INTRINSECVS.

Gallæ ſi in aqua coquantur, eademq; aqua cibi apparentur, omnes alui fluxus, dyſenteriam maximè, ſedant. Ad quem uſum Gallæ tritæ in uino rubro etiam exhibentur. Reliquos cum cortice tenero quercus uires communes poſſidet.

D

EXTRINSECVS.

Puluis Gallarum ore detentus, gingiuas contrahit, & lapſam uuulã eleuat. Vſtæ in carbones Gallæ & in aceto extinctæ, miram ad ſiſtendum ſanguinem uim poſſident. Fomenta & deſeſſiones Gallarũ menſes cohibent, & procidentem uterum repellunt. In aceto uel aqua maceratæ Gallæ, capillos denigrant. Conficitur ex iiſdem atramentum ſcriptorium, adiectis chalcantho, alumine & gummi.

## FAGVS.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

FAgus, Gręcis φηγός, Ger. **Bůche/Bůchbaum**. Duo facit fagi genera Theophr. Marem & fœminã. Alij cãdidã & nigrã ſtatuũt. Cãdida â cãdida materia dicta, naſcit in mõtib. ad multa putilis, uelut carpenta, lectos, ſubſellia, menſas, nauigia. Nigra cãpeſtris, ad hæc minus expetita. Caudice aſſurgit craſſo, & in orbẽ comoſo, neq; ita ꝓcero, folio tenui & leuiſſimo, populo ſimili, celerrimè flaueſcente: et media plurimũ parte ſup hoc paruula gignit bacca uiridis, faſtigio aculeata. Glãs eius dulciſſima, nucleis haud abſimilis, triangula cute includit, & parte poſtrema utrinq; lapideſcit in duritiem, ſi uirilis ſexus fuerit. Ger. **Bůchecke/Bůchnüßlin**. Hęc ſuẽ inprimis reddit hilarem, carnem coctibilẽ

&

A Fagus.

& leuem, utilemq; ſtomacho. Loca amat plana. Cortex eius in magno uſu eſt agreſtium, ex quo uaſa corbesq;, ac patentiora quædam meſſibus cõuehendis uindemijsq; faciunt, atq; prætexta tugu riorum. Fagus in aquis durat incorrupta, madefa ctaq; firmior redditur. Nigram ſciſſimam alij uocant, quòd lignum eius in tenuiſſimas ſecatur laminas, Græci Oxyam, Lydi Myſon nominant, in Olympo monte copioſam, ut Strabo & Euſtathius tradunt. Dioſcorides glandiferis arboribus fagum adnumerat, cùm nihil eius fructui cum glande ſit ſimile. Fagi uirga uiperas pelli tradit Ruellius.

*Sciſſima.*

*Oxya.*

TEMPERAMENTVM.

Folia eius frigidæ traduntur naturæ: Fructus qualitatem obtinent nõnihil calidam, porcis, muribus & turdis gratum hyemali frigore præbens alimentum.

VIRES, INTRINSECVS.

Folia recentia inflammationes diſcutiunt. Aqua quæ in cauis fagis & antiquis quercubus inuenitur, nobile ad omnis generis ſcabiem eſt remedium, quod ſe & in hominibus & pecore expertum eſſe, Hieronymus Tragus aſſerit. Ex putrido ligno cinerem, ad tingendos pannos aptum, tinctores urunt. Ligni uſus nemini nõ notus. Ad ignes longè præfertur ligno querno.

B Ornus.

## ORNVS.

### Hanbüchen/ Bücheſchern:

NOMINA ET DESCRIPTIO.

ORnus, Germa. Hanbüchen/ Bücheſchern. Species eſt fraxini, ſeu ſylueſtris fraxinus, quorundam ſententia. Nomen Germanicum inuenit, quòd fagi ſimilitudinem aliquam habeat. Locis gaudet aſperis & ſitientibus. Montes amat, & in uallibus etiam prouenit, uitibus amica.

Arbor est satis pcera, caudice tereti, cortici leui, spisso, ramulis utrinq; C
pinnatis, folio fraxini, paulò profundioribus crenis per ambitum ser-
rato, bacculis racematim coactis, primùm rubẽtibus, in maturitate ue-
rò ex purpura nigricantibus, quę linguæ auium formã referunt, qua-
rum solus in medicina est usus, Arabibus Lisonhazafir, id est, Lingua
Lingua auis. auis dictæ: Sapore ex acido in amarum degenerante, mespilaceo qua-
si concretu, multo graciliore. Habitu reliquo & tota effigie fraxinum
æmulatur. Ligni summa durities, nec facilè fissile. Vnde ad molares ro
tas, trochleas & ponderosa instrumenta præcipuè expetitur. Ruellius
tamen Linguam auis peculiarem facit fructum arboris cuiusdam, quę
Orneo gloss. eodem nomine Orneogloſſon, hoc est, Lingua auis appelletur.

TEMPERAMENTVM.

Fructus eius, quem Orneogloſſon uocãt, & Officinæ Linguã auis,
calidus est & siccus in abscessu secundo.

VIRES, INTRINSECVS.

Folia & fructus ex uino ad laterum dolores bibuntur, aquæ subter
cutem tumores reprimunt. Fructus priuatim urinam ciet, & hęrentem
pellit: Venerem stimulat & genituram auget.

## TILIA.

Tilia, Grȩcis φίλυρα, Germ. Linde/ à lenitate uidelicet & mollitie. D
Sed statim redarguet nos aliquis ar-
borem quæ Linden dicitur, non re-
spondere Dioscoridis Tiliæ seu Phi-
lyræ: Benè quidem: Quæ apud Dio
sco. Tiliæ descriptio legitur, eadẽ est
cum Ligustro, quod ibidem proxi-
mo antecedente capite describit: ac
falsam & superuacuam eam descri-
ptionem esse constat, à quocunq; etiã
eo loco descripta sit: Diuersa autem
sunt, φιλυρία & φίλυρα. Est enim φιλυ-
ρία Ligustrũ, ut suprà est dictum: φίλυρα uerò Tilia. Folio nascitur he-
deraceo, molliore, & in angulum acutiorem rotundiore & prolixio-
re, & in orbem lentè crispo atq; serrato, flore, tantisper dum calyculo
continetur, herbaceo, ubi emerserit, flauo, fructus qualis corymborũ
hederaceorum, quo in mense Augusto dehiscente, semen exilit rotun-
dum & nigricans, gustu dulce. Caudicem habet densum cortice obdu
ctum crasso nigroq;, sub quo membrana alba tenuis & lenta est, suc-
co plena & uiscosa, gustu dulcis. Lignum ipsum est molle & tenerum,
unde haud dubiè Germanicam appellationem traxit. Mira arboris in
incremento

A incremento fœcunditas: Ramorum enim latitudine totas areas & ſpacia obumbrat: Vnde crebris columnis & fulcris, ædificiorum more rami fulciuntur inq; latitudinem deducũtur, adeò ut ſola hęc arbor choreis ducendis, commeſſationibusq; ſatis umbraculi in medio æſtu prębeat. Atq; hæc de fœmina intelliguntur. Mas enim tilia, materiam habet duram, nodoſam, rufiorem & odoratiorem, corticem quoq; craſſiorem & detractum inflexibiliorem, ſine ſemine & ſine flore. Montes & ualles tilia amat, plus tamen aquoſis gaudet montibus.

TEMPERAMENTVM.

Folia tiliæ adſtrictoriã uim obtinent, eodẽ ferè cum Oleaſtro uſu.

VIRES, INTRINSECVS.

Aqua ſtillatitiæ tiliæ, aduerſus colicam utiliter bibitur: conſumptis enim ab dyſenteria inteſtinis eſt commodiſſima. Comitialibus eadem eſt auxilio. Carbones tiliæ igniti in aceto reſtincti, cum tuſis cancrorũ oculis ſumpti, ſanguinis grumos ex lapſu expellit, & ſanguinem excrementibus confert.

EXTRINSECVS.

Glabri mediĳ corticis lentus uiſcoſusq; humor, aduſtionibus certò medetur. Ligno ſculptores utuntur. Puluis præterea bombardicus ex eodem conficitur.

## BETVLA. Bircken.

B

NOMINA ET DESCRIPTIO.

BEtula, Græcis Semyda, Germa. Bircken/nemini non nota, faſcibus olim Romanorum magiſtratuũ, puerorum hodie caſtigatione uenerabilis: ædium præterea mundationi ſe aptam & utilem præbens. Folio eſt fagino, ſed paulò anguſtiore, trunco enodi, cortice uerſicolore, materie leui atq; candidiſſima, uirgultorum tenuitate & flexibilitate eximia: ſemina fert Iulorum ferè ſpecie ex ramis dependentia, quę autumno decidũt. Inter oẽs ferè alias arbores ſola hæc maturè ſuccũ plenum concipit, adeò ut ferro uulnerata liquidũ humorem emittat, guſtu dulcẽ, quo paſtores aridas ſæpe fauces recreant. Huius etiã cortice Papyri uice uſi ſunt ante chartarum uſum inuentũ, cuiuſmodi adhuc hodieq; libros ſeu uolumina eſt inuenire. Papyrus aũt qua ueteres maximè uſi ſunt, in paluſtribus naſcitur Aegypti, cuis etiã loco, corticis Betulæ uſus fuit. Teneræ autem Betulæ & uirgultorum eius cortex puniceus eſt ferè, & guſtu amarus. Papyrus

TEMPERAMENTVM. C

Betulæ exiguus in medicinis constat usus, magis ad operarios usus nata. Pauca tamen quæ de uiribus traduntur, subnectam.

VIRES, INTRINSECVS.

Dulcis Betularum succus, in uere collectus, aduersus calculum, & morbum regium fertur utiliter bibi.

EXTRINSECVS.

Succus betularum, per se, aut etiam distillatus, putredines oris, papulas item & maculas cutis sanat. Eadem præstat recentium foliorum liquor stillatitius. Succus in coagulum lactis inditus, caseos à uermibus in ægros seruat. Ad omnia magis efficax est ex corticis cinere factum lixiuium. Ligni etiam suus ad uaria opera est usus. Virgæ eius puerorū inertiæ & petulantiæ remedio sunt saluberrimo. Vnde Germanicus Rythmus:

O du güte Bircke růt/ Du machst die böse kinder gůt.

## PINVS.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

PInus, Græcis πίτυς, German. Hartzbaum / Kynholtz. Duum est generum: Syluestris & urbana. Vrbana seu satiua est, D quæ Pinus propriè dicitur, à pinnato nimirum foliorum cacumine: Nascitur à uertice ramosa, folio pectinum modo dissecto promissoq;, ac mucrone aculeato, conis lignosis, frequenti nucamento in turbinatam effigiem compactilibus, in quibus nuclei singulis cameratis toris inclusi, German. Fichtēbaum/Hartzbaum/Kynholtz/Kysserholtz/ Forēholtz. Fructus eius Græcis Strobili, Officinis Nuces pineæ, Germa. Zirbelnuß uocātur. Coni uerò Zyrbel/ aliqui hanc Piceam esse uolunt, ac quam nos Piceam facimus, pinum esse statuunt, ut infrà etiam dicetur. Syluestris pinus dicitur Pinaster, nihil aliud est quàm syluestris pinus species, mira altitudine, & à medio ramosa, sicut pinus, Germa. Wild Kynbaum/ oder Kysserholtz/item Forenholtz. Nascitur Pinus in Alpibus Germaniæ,

A maniæ, iuxta Italiam. Pinaster uerò in Germania in Wasgauia maximè prouenit, resinam uulnerata multam sudans. De Pinus cura & cultura consule Palladium, lib. 12. cap. 7.

TEMPERAMENTVM.

Pineæ nuces, Græcis Strobili dictę, quarum in medicina præcipuè est usus, naturæ sunt calidæ & siccę, uim contrahendi habent: Phthisicis potissimùm prosunt.

VIRES, INTRINSECVS.

Nuces Pineæ, & Pini arboris cortex, prosunt assiduè tussientibus, & Phthisin metuentibus. Eædem nuces per se uel cum melle genitale semen augent. Frequens nucum Pinearū usus, per se aut cum uino mulso, additis mundatis cucumerum nucleis, urinam ciet, calidum urinæ stillicidium sanat. Eædem nuces cum succo portulacæ erosionibus stomachi medentur, naturam confortant, noxios calidos humores reprimunt. Medius Pini arboris cortex tusus & potus, aluum sistit, & urinā ciet. Folia aut cortex drachmæ pondere cum aqua mulsa, uel per se, iocineroſis prosunt.

EXTRINSECVS.

Oleum ex nucibus pineis membrorum paralysi calidum illitum, est utile. Corticis uel foliorū puluis intertrigines sanat: hulcera item aperta & ambusta exiccat, & sanitati restituit insperſus puluis: Tusa folia B impoſita, inflammationes prohibent. Folia, aut ligni scobs, in aceto cocta, & calida ore detenta, dentium dolorem mitigant.

## PICEA, ABIES, LARIX. Thannen/ Lerchbaum.

Theda. Δάς. Kyfer/ Feuren.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

ABies, Germa. Dannenbaum/ nota arbor, Græcis ἐλάτη. Duorum est genera: nigra & candida. Nigra Græcis πτύκη, hoc est, Picea dicitur, Germa. Rot Dannenbaum. Candida uerò ἐλάτη, & Latinis propriè Abies. Germa. simpliciter Thannen & Thannenbaum.

Picea pino non est dissimilis, nisi quòd foliis est nonnihil latioribus breuioribusq;, Rosmarini penè foliorum forma, ramulis ad crucis formam dispositis. Fert & hæc fructus in conis pineis nucibus similes, differunt tamen, quòd hęc conos habet multò breuiores latioresq;, pyramidis forma. Nonnulli tamen quæ nos Pino adscripsimus, ad Piceam referunt, & rursus quæ nos piceæ, ipsi pino.

Abies piceæ cognata est, nisi quòd folia ex altera parte cinereū colorem referunt, cortex præterea caudicis est tenerior magisq; candidus.

His cognata est Larix, Officinis & uulgò Larga, Germa. Lerchenbaum, Piceæ similis, sed crassior & cortice leuior, folio pinguiori molliorię,

Picea. C

Tæda.

lioriq;, materie præstanti, quæ reliquis etiam est diuturnior, rubente D & odore acri, ex qua humor sudat melleus, quo hodie pro Terebinthina resina utuntur Officinæ, è ramis quoq; eius, panicularum modo nucamenta dependent. Lignum eius ferè inuictũ, quod neq; flagrat, neq; in carbones recidit, nec aliter ignisui consumitur, quàm saxum in fornace, quod quidem nec flammam recipit, nec carbonem remittit, sed lõgo spacio tardè comburitur. Alpibus iuxta Germaniam hæc etiam familiaris est, ac copiosissima in Silesia prouenit.

Theda. His additur etiam Theda arbor, Græcis Δάς, German. Kifer/Kinbaum/& Feuren. Resiniferarum arborum pinguissima, ex qua sumitur resina pinguissima, quam Thedam Græcẽ, & Germa. Kien/simili cùm arbore nomine appellant: ex hac faces quibusdam locis conficiunt, quas λάδες hinc Græci nominant.

Omnes frondeuirent perpetua, folia tamen sua mense Maio & Iunio, nouis prodeuntibus decutiunt. Omnes item hæ arbores sunt resiniferæ.

Terebinthus. Resinarũ species Mastiche. Fluit tamen Resina ex pluribus arboribus: ex Terebintho, unde Terebinthina: ex lentisco, quæ lentiscina, & Græcis Mastiche, Arabib. gluten Romanum dicitur: ex pino, pinea: Differt autem quæ ex pino sudat: quæ enim in strobilis, hoc est, in conis pini concrescit, Strobilina uocatur: quæ uerò ex arbore & rupto cortice manat, Pityine

seu

A seu Pinea appellatur: Ex Larice Larigna. Est & liquida resina, quam Colophoniam, & quidam Picem Græcam uocant: Ex cupresso præterea liquida quoq; resina stillat.

Pix autem nihil aliud est, quàm combusta in teda sua resina. Pix liquida in nullo ferè est hodie usu in medicinis: Pix sicca German. Bech dicitur. Pix.

TEMPERAMENTVM.

Omnibus resinis & pici natura est calfaciendi, molliendi, discutiendi, & purgandi. Præcipuas tamen uires obtinent Mastiche, quę ex Lẽtisco arbore fluit, & Terebinthina, cuius loco Officinæ Larignam habent ex Larice arbore.

VIRES, INTRINSECVS.

Resina Terebinthina lota quatuor cochleariũ mensura in cibo uel potu sumpta, uenena potenter absq; omni damno fertur expellere. Vis eidem est leniter purgãdi & sanandi pectoris, pulmonis, & iecoris uitia. Eadem bene lota, nobile Phthisicis, antiqua tussi & dispnœa laborãtibus, sanguinemq; purulentum excreantibus est medicamentũ. Mastiche uel per se, uel cũ melle temperata ĩisdem uiribus pollet. Prosunt & Resina terebinthina & Mastiche pectoris exulcerationibus, ex capitis destillationibus factis. Stomacho etiam Mastiche non est inutilis: unde in Catapotia commodè miscetur.

B

Acer.

EXTRINSECVS.

In Chirurgia infinitus mastiches, resinæ, picis, & resinæ terebinthinæ, est usus, adeò ut his carere nequeant. Mastiche tñ cõmanducata halitũ oris commendat, gingiuas firmat, eiusdem tubercula discutit, cutem item faciei extergit. Ad cataplasmata & unguenta resina & Terebinthina expetuntur: Antiqua enim & recentia uulnera purgant, dura hulcera emolliunt, malam scabiem tam hominũ quàm pecorum sanant.

## ACER. Ahorn.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

ACer, Germa. Ahorn/ Græci tria faciunt eius genera: Primum campestre, candidum, nec crispum, quod γλαῦκον uocant: Acerem Latini Gallicam. Alterum montanum,

montanum, crispius, duriusq;, quo ad lautiora opera utuntur, cui pauonum nomen ob crispum macularum discursum, à similitudine quadam caudæ pauonum, est inditum. C

Tertium, ex quo iuga iumentis fiunt, quod Carpinum & Zygiam uocant, de quo suprà.

Arbor est acer tiliæ non absimilis forma & magnitudine: uerùm cortice scabriore quàm illa uestitur, subliuidoq;, crasso & flecti contumace, radicibus paucis, sublimibus, crispis, materie uenis longioribus fluctuante, molli, macilenta, gracili. Gaudet terræ superficie, facileq; augetur. Nascitur autem potissimùm in riguis: Florem nonnullæ huius generis mense Maio ferunt, quædam uerò nullum.

Alij Acerem uolunt esse eam arborem, quæ Germ. **Maasholder** nominatur, cuius penes alios iudicium esto. **Ahorn** uerò dictam Germanis, pro Platano sumunt.

VIRES, INTRINSECVS.

Quod ad medicinam, exiguus Aceris est usus. Radix contusa iocinoris doloribus utilissimè imponitur. Serenus radicem tusam cum uino potam, laterum doloribus mederi, testatur his uersibus:

*Si latus immeritum morbo tentatur acuto,*
*Accensum tinges lapidem stridentibus undis:*
*Hinc bibis, aut Aceris radicem tundis, & unà*
*Cum uino capis, hoc præsens medicamen habetur.* D

Ad lautiora aliàs uasa & opera, lignum assumitur.

## PLATANVS. Maasholder.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

PLatanus Græcis pariter & Romanis, à latitudine foliorum id nominis sortita: Latissima enim huic sunt folia, sicut & Viti & Fico. Vnde Platanistos Græci loca spacioſa & latè patentia, à Platani foliorũ amplitudine, uocant, ut Phocion est autor. Peregrina primùm Italiæ fuit arbor; Pôst uerò ab Oriente in eam allata, in summo omnibus locis, ob umbrę iucunditatem, honore fuit. Vnde Virg. in Georg. Iamq; ministrantem Platanum potantibus umbras. Platanum in Gallijs cubitorum sedecim æquare altitudinem Ruellius testatur, cortice crasso, fronde

uitiginea,

A uitiginea, longo rubroq; pediculo, floſculo pallido, pilulis ſcabris, lanuginoſis, minutis, folia ſunt ei latiſſima, diuiſaq;. Auctu eſt facilis, aquas amans: riguis lenta & humidior germinat. Vmbra ei iucunda & denſa.

Platanum nonnulli credunt eſſe, quæ German. Ahorn dicitur. Verùm Ahorn magis ad Acerem accedit, ut ſuprà eſt dictum. Nos uerò Platanum eam potius putamus arborem, quæ hodie Maßholder appellatur, ſiquidem hæc ipſa rigua & aquas amat, folio inſuper eſt uitis, lato & diuiſo: Maior autem & procerior in opacis quibuſdã ſyluis, ut Waſgauia & comitatu Bitſcho uocato, inuenitur: reliquis uerò locis humilior, & fruticis potius arboreſcẽtis ſpecie: potius Chamæplatani, hoc eſt, Platani pumilæ cenſenda nomine. Sunt enim Pumilæ quoq; Platani, Chamæplatani uocatæ, coactæ breuitatis, tanq; arborum abortus quidam. Maßholder.

TEMPERAMENTVM.

Folia Platani, Galeno teſte, temperaturæ ſunt frigidæ.

VIRES, INTRINSECVS.

Pilulæ platani in uino denariorum quatuor pondere potæ, omnibus ſerpentium uenenis reſiſtunt.

EXTRINSECVS.

B Cortex platani in aceto decoctus, & ore collutus, dentiũ dolorem mitigat. Folia tenerrima in albo uino decocta, oculorum fluxionibus medentur. Tumores & inflammationes leuãt. Cum axungia ambuſta igni ſanant. Foliorum & pilularũ lanugo incidens, oculos & aures offendit. Theophraſtus è Platano Aegyptia & Irino, unguentum ueſtibus commendatiſſimum fieri ſolitum, ſcribit.

## ERICA. Heyden.

ERica Græcis & Latinis, Germa. Heyden. Speꝯcies apparet eſſe Tamaricis, non tamen eſt Tamarix frutex, qui eſt Myrica, ut infrà oſtendetur. Tamarici naſcitur ſimilis, niſi quòd multò ſit breuior, nec alius facilè flos eſt, quo magis apes delectentur, eſu tamen eius reprobum mel conficere Dioſcorides alĩq; ſcribũt. Diuerſum uerò hodie eſt uidere: ſiquidem conſtat, præſtantiſſimum ex hoc & puriſſimum apes mel exugere, loci fortaſſe qualitate in cauſa exiſtente: quod Ericeũ mel Plinio appellatur. Ramulos fert multos tenues, purpureos, cupreſſi foliorũ figura: flores autumno in candido purpureos, quo tempore ſola ferè florem ferre conſpicitur: guſtu eſt amara. Erica.

TEMPERAMENTVM. C

Temperamenti est calidi & sicci.

VIRES, INTRINSECVS.

• Liquor stillatitius Ericæ colica laborantibus, præsertim si calor & sitis adsint, utiliter datur. Experientia Hieronymi Tragi.

EXTRINSECVS.

Florum Ericæ liquor stillatitius rubentibus oculis prodest, eorūq; dolorē mitigat. Flores unà cum teneris germinibus tusi & impositi, serpentū morsibus illinuntur, & tumores sedant. Flores recentes decocti podagricis & articulorum doloribus insessu prosunt: uiscosum enim humorem, ex quo articulorum dolores oriuntur, discutiunt.

Myrica. Tamarix

## MYRICA. Tamariscken. Poyst. Birtzenbertz.

MYrice & Tamarix, Officinis Tamariscus, Ger. Tamariscke staudē, Poyst/ oō Birtzenbertz. Gallis Bryaria. Duplex est, syluestris et satiua. Frutex est hoīs plerūque æquās altitudinē, ramulis puniceis, folijs Ericæ aut D Sabinę arboris, lignosis, cinereis aut in uiridi pallentibus. Florem fert uerno tempore muscosum, seu uillosum, qui in pappos tāḍem euanescit. Satiua semen seu fructū fert Gallæ similē. Hæc nostris locis incognita, in Aegypto Syriaq; puenit. Altera uerò circa amniū ripas, ad Rhenū maximè nascit. Hūc fruticē multi hactenus existimarunt esse eū, quem Germ. Heyden uocāt, quo pacto plericq; Vergilij interpretes reddiderunt, sed nō satis bene. Erica tamē quæ est Heyden/ potest esse Myricæ species, seu Erica minor. Ex huius etiā genere uidentur esse Scopæ, quas Amerinas uocāt, tenuibus puniceisq; uirgultis contextæ, quarū ad uestes expurgandas multus est usus.

Scopæ. Amerinæ

• TEM-

A TEMPERAMENTVM.

Facultas Myricæ est incidendi & abstergendi mediocriter, cum quadam adstrictione.

VIRES, INTRINSECVS.

Lignum, folia, radix, & succus Tamaricis, in uino cocta & sumpta, pulmonis, lienis, renum & uesicæ obstructiones aperiunt, melancholiamq; potenter purgant. Decoctum Tamaricis assiduè potum, prodest sanguinem excreantibus, ijsq; qui ab araneis læsi fuerint: ac mensibus nimijs. Idem confert his quos alui fluxus infestat. Omnibus in genere affectibus quos fluxus immodicus comitatur, lienisq; potissimùm morbis medetur. Lienosis præsens ferunt esse remedium uinum in quo Tamaricis prunæ extinctæ fuerint. Democritus etiam autor est, aquam in qua prunæ iam dictæ extinctæ fuerint, porcis lienosis esse salutari remedio. Quod & Columella confirmat, sic scribens li. 7. cap. 10. sub finem: Solet etiam uitiosi splenis dolor sues infestare, quod accidit, dum siccitas magna prouenit, Sues enim dum dulcedinem pabuli consectantur, supra modum æstate splenis incremento laborant. Cui succurritur si fabricentur canales ex Tamaricibus & Rusco, repleanturq; aqua, & deinde sitientibus admoueantur. Quippe ligni succus medicabilis, epotus, intestinũ tumorem compescit. Serapio lepra infectas se duas fœminas decocto Tamaricis sanitati restituisse,
B adiectis uuis passulis, tradit. Pocula ex Tamaricis ligno confecta, lienosis, si ex ijs bibant, conferre Dioscorides est autor. Vinum ex Tamarice ictericis non insalubre, Tragus scribit.

EXTRINSECVS.

Vinum cum Myrica decoctum dentium dolores, ore detentum sedat. Pallidis mulierculis quæ albo fluxu uexantur, in desessionibus est utilis. Lixiuium ex Tamaricis cinere, pediculos & lendes capitis enecat. Eiusdem cinis manantia hulcera siccat, adustionesq; igni factas sanat.

## THYMELAEA.

THymelæa frutex est, qui Germanis Kellershalß/ & Zyland/ & Zebast dicitur. Nascitur locis incultis & montanis syluosisq;. Virgas ædit, Dioscoride describente, perpulchras, multas, tenues, tripedales, foliis Chamelææ, angustioribus tamen & pinguioribus, uiscosis gũmosisq; simordeantur: flore candido (quem antequam folia prodeant ueris initio profert) fructu myrti modo rotundo, qui primùm uiret, tandem rubescit, inuolucrum fructus durum, foris nigrum, intus album. Fructum eius granum uocant Gnidium, & Cocco gnidium, uel Coccum gnidium. Hæc certè descriptio plãtæ, quam Kellershals uocat, nulla repugnante nota, ita accedit, ut nihil uideatur esse dubij, cur

Cocco gnidium.

non potius sit Thymelæa, quàm, ut quibusdam placet, Daphnois, aut C
Chamelæa. Daphnoidis quidem descriptio non longè abest, sed hæc
est propior. Folia enim Chamelæę manifestè Thumelæa nostra ha-
bet, quæ oliuæ foliis comparat Dioscorides. Quid uerò Chamælea,
mox infrà dicetur.

TEMPERAMENTVM.

Vehementer calidæ & siccæ est naturæ, Vnde non temerè eius usus
erit.

VIRES, INTRINSECVS.

Antiquũ hydropem Coccognidij granis numero uiginti ueteres cu
rarunt. Ob immensam tamen eius caliditatem saccharo prius obduci
conueniet, ne gulam lædant & exurant. Vsum eius maximè uitabunt
grauidæ, quiq; uentriculum imbecillem habent.

EXTRINSECVS.

Coccognidium cum nitro & aceto in balneo affrictum sudores cõ-
festim ciet, quare ij tantùm hoc utentur, qui alijs rebus sudores prouo-
care nequeunt. Tutior est usus foliorum, si messis tempore collecta &
arefacta, cum uino alióue potu sumantur.

## CHAMELAEA.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

CHamelæa, quasi humilis olea. Barbaris & Arabi- D
bus Mezereon, Germa. Seidelbast/ Leußkraut.
Item Rapiens uitam, Faciens uiduas, Mörder vnnd
Menschen dieb. Nascitur humidis opacisq; syluis: Flos
ueris statim initio ante folia erumpit purpureus, uiola-
rum odore, fructus fert primùm uirides, in autumno ue
rò, Ari instar, prorsus rubentes: Frutex ipse, Dioscori-
de describente, est surculosus, ramulis dodrantalibus,
foliis oliuæ, tenuioribus tamen & amaris, quæ gustata
linguã mordent: Odoris est ingrati, flos tamen, ut dic-
tum est, gratum odorem spirat. Sunt qui ob similitudi
nem, has plantas, uidelicet Chamelæam & Thymelææ,
cuius suprà facta est mentio, confundãt, utranq; Me-
zereon uocantes. Cùm frutices sint diuersi, ut Dioscori
des satis testatur.

TEMPERAMENTVM.

Caliditatem obtinet immensam, ut calidum in quar
to statuatur ordine: plus enim quàm Arum collum &
linguam mordet & erodit. Iudicium ergo in usu eius ad
hibere conuenit.

VIRES, INTRINSECVS.

Cortex Chamelæę semidrachmæ pondere, hydro-

pem,

Apem, melancholiam & regium morbum efficaciter pellit. Antequam uerò sumatur hoc modo præparandus erit: Duos trésue dies in aceto maceretur, hinc ter quatérue aqua pura abluatur, siccetuŕq; in umbra. Non tamen intra corpus nisi cum saccharo aut succo glycyrrhizæ mixtus sumetur.

Efficacissimæ ad hydropem sunt pilulæ de Mezereon, quarum cõpositionem docet Mesue. Decoctum florum ad prædictos affectus tutius certiusq; esse Tragus scribit.

EXTRINSECVS.

Arefacta & trita cum melle folia, antiqua hulcera & mala sanant. Maculas faciei exterunt & purgant.

# GENISTA.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

B

Genistam dictã censent, uel quòd genu instar ad nexus sit flexilis, uel quòd genuum dolori medeatur, Germ. **Ginst**. Duum est genérum: aculeata, & non aculeata, seu maior & minor. Maior siue non aculeata, Germa. simpliciter **Ginst/Genist**. Locis gaudet aridis & harenosis sterilibusq;. Ramos fert herbaceos scabros, folia minuta, florem pisi, luteum, apibus gratissimum. Semen in siliquis paruis hirsutis fert, lenticulæ modo, quod maturum sponte excidit. Genista minor seu aculeata, hodie Genistella dicta, German. **Stechend Ginst/Erdpfrimmen/Klein streichblümen**. Nonnullis Rosmarinus aculeata. Viribus à priore est diuersa. Locis nascitur ijsdem, folio penè rosmarini, rigido tamen & pungente, aculeis caulem uestientibus. Reliqua priori similis.

*Genistella.*

*Rosmarinus aculeatus.*

TEMPERAMENTVM.

Genista maior, quæ propriè Genista dicitur, calida est & sicca in secundo ordine. Genistella uerò exiccat ualentius, citra mordacitatem tamen: adstrictoriamq; simul facultatem possidet.

VIRES, INTRINSECVS.

Liquor florum genistæ stillatitius aduersus calculum ualet. Idem potest tusum semen, per se semidrachmæ pondere sumptum, ad sudorem contecto corpore.

Apes ex floribus genistæ reprobum mel conficere, Nicander est autor. Apes etiam frequenter mori, si uber Genistę florum prouentus fuerit, scribit Dioscorides.

EXTRINSECVS. C

Tenera Geniſtæ germina, uel flores tuſos, ſerpentum morſibus utiliter imponi ferunt. Tuſa cum axungia Geniſta, genua dolentia ſanat.

## SPARTION. Pfrimmen.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

Spartiō. spartium

Chamæſpartion.

SPartion uel Spartium Græcis, Germ. Pfrimmen. Frutex eſt, ut Dioſcorides deſcribit, lōgus, uirgis ſine foliis, fructu cōtumacibus, quibus uites uinciuntur. Semen in folliculis lenticulæ, Phaſeolorum modo naſcens, florem, ut albę uiolæ ferens luteum. Locis iiſdem quibus Geniſta prouenit. Sunt qui pro Geniſta accipiāt, ſed malè, cùm Geniſta folia ferat multa, hæc nulla. Incidit hic mentio Plantæ, quam Germani Erdpfrimmen etiam nominant, Chamæſpartion non incommodē appellabitur, hoc eſt, humile Spartium, Germa. klein Erdpfrimmen/ ob ſimilitudinem quandā, quam cum Spartio habet. Caules fert palmum altos, angulares, uirides, foliis paucis, lenticulæ aut ſpartij, florem fert ſpicatum, uiciæ ſimilitudine, luteum. Semen menſe Iunio in ſiliquis exiguis, nigricantibus, fert rotundum, nigrum, quod maturum exilit. Caules toto uirent anno: Planta eſt inodora. Radix longa & lignoſa. D

TEMPERAMENTVM.

Spartium calfacientis & exiccantis eſt facultatis. Extrahendi & purgandi naturam poſſidet. Chamæſpartio parem cū Vicijs aut Fœnugræco qualitatem tribuunt.

VIRES, INTRINSECVS.

Semen & flores ſpartij, Dioſcoride, Galeno, aliiſq; conſentientibus, quinq; obolorum pondere ex aqua mulſa poti, per ſuperna cum intenſione uelut elleborus albus, citra periculum purgant. Semen per inferna purgat. Iſchiadicis & angina laborantibus auxiliantur uirgæ eius, in aqua maceratæ, tuſæ & expreſſæ, ſi ſuccus cyathi unius menſura ieiunis bibatur. Per clyſterem nonnulli, muria aut marina aqua macerantes, infundunt. Strigmenta uerò cruenta elicit.

EXTRINSECVS.

Spartij flores & tenellæ uirgæ in aqua ſalſa maceratæ & expreſſæ, exulceratis inteſtinis cum clyſtere infunduntur.

A

## COLVTEA. SENA.

B

COlutea Theophrasto descripta soli. Duum est generum: Alterum quod propriè Colutea uocatur, Germa. Welsch Linsen/ Officinis incognitum. Alterum quo Officinæ utuntur, quod Sena Mauritia ni uocant, & Germa. Senet/ Senetbletter. Nascitur in hortis sata, ramis exilibus, folio fœnugræci utraq; flore Genistæ, aut pisi, luteo, folliculo membraneo, pellucente, prætumido, & quodam uelut spiritu distendente turgido, ut digitis si prematur, crepitans dissiliat, semen in folliculo atrum, durum, latum, lentis magnitudine, pisi gustu. Differũt sola magnitudine. Primum enim genus altero maius est. Præterea siliquis, quæ in Sena sunt lunatæ: in Colutea uerò magis turgidæ & distentæ. Semine item quod in Sena est oblongum & acuminatum, cordis humani effigiem referens: in Colutea uerò rotundum, lentis similitudine. Frigoris autem est impatiens, uelut Cucumerum & Melonum genera. Sena.

TEMPERAMENTVM.

Calfacit in principio secundi, exiccat uerò in primo ordine.

VIRES, INTRINSECVS.

Decoctum foliorum Senæ potum, lentos humores & melancholiã

expellit, ſanguinem purgat, cor exhilarat & omnia interna membra. C
Conficitur autem hunc in modum: Recipe foliorum Senæ unciam unam cum dimidia, abluantur probè aqua, caulibus craſſioribus & omni immunditie amota, Zingiberis nõ tuſi radiculam unam minutim conciſam, Garyophylos duodecim, ſeminum fœniculi drachm. ij. Aniſi tantundem: Coquantur ſingula cum aqua uel uino in olla munda ad tertiam partem, hinc per panniculum colentur, adiecto ſaccharo modico. Datur hoc decoctum mane & ueſperi calefactũ, ad quatuor horas ieiuno ſtomacho. Vtiliſſimum pueris, præſertim uerò puerperis, ſed abſq; ſaccharo. Poteſt etiam Rhabarbari aliquid adiici.

Eadem efficiunt folia ſemidrachmæ pondere ex iuſculo gallinaceo ſumpta.

EXTRINSECVS.

Decocta in lixiuio cum Anthemidis floribus folia Senæ, cerebro, auditui & uiſui mirè prodeſſe, antiquas item & melancholicas febres pellere, tradit Meſue.

## CAPPARIS
### Inturis. Capres.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

Capparis Inturis.

CApparis Græcis & Latinis, Germ. Capres. Aliqui Latinorũ Inturim uocãt. Locum amat ſiccum, cultu leui uel nullo cõtenta. Frutex ex deſcriptiõe Dioſcor. eſt aculeatus, qui in terram ſtratus magis in orbem euagatur, ſpinas ut rubus habet, in hami modum aduncas, folia mali Cotoneæ, rotunda: fructum oleæ ſimilem, qui cũ dehiſcens panditur, florem profert roſeum, candidum odoratumq;, quo excuſſo, glans extuberat oblonga, ſeminis acinoſi plena. Radix nigra, multiplex, lignoſa. Cortex ſubrufus ac minimè friabilis. Plantatur etiã hodie multis Germaniæ locis, ſed ſolum amat ſiccum & ſabuloſum. Naſcitur etiam ſponte quibuſdam locis incultis & ſaxoſis harenoſisq;. Non omnium tamen ad cibos eſt uſus. Arabicum enim peſtilens, ut autor eſt Plinius, idemq; Galenus confirmat. Africũ D

gingiuis

A gingiuis inimicum. Apulum uomitus facit. Melius & mitius reliquis, quod ex Italia affertur. Cauliculi, folia, flores, semina, glandes, ad nos sale condita deferuntur.

TEMPERAMENTVM.

Capparis facultatis est calidæ & siccæ, potissimùm uerò radix.

VIRES, INTRINSECVS.

Crudus Capparis fructus stomacho minus prodest, in aqua ergo prius tepefactum cum aceto & oleo assumi conueniet.

Capparis in cibis prodest podagricis, articulorum dolore laborantibus, phlegmaticis, lienosis, fœminis item quibus menses ante tempus desinũt, ischiadicis quoq; & difficulter mingentibus. Natura enim floribus adeoq; fructui est discutiendi, mouendi, & expellendi uiscosos humores, urinam & menses.

Semen aut fructum Capparis, duarum drachmarum pondere qua dragenis diebus cum uino sumptum, lienem minuere tradit Dioscorides. Eodem modo caput purgat, urinam & sanguinis grumos pellit, ischiadicis & ruptis est remedio. Omnibus in summa obstructionibus alui, urinæ & mensium auxiliatur.

EXTRINSECVS.

Succus foliorum Capparis, auribus instillatus, uermes necat, & dolorem earum sedat.

B Decoctum ipsius fructus cum aceto, ore detentum, dentiũ dolorem quacunq; de causa, compescit. Vitiligines idem decoctum purgat. Cacoëthe, item hulcera nullamq; aliam curationem admittentia, decocto iam dicto abluuntur & purgantur. Folia, fructus uel flores tusi & illiti, omnis generis tubercula, scirrhos & strumas discutiunt. Cum farina hordeacea folia aut fructus utiliter illinuntur ijs, quibus lien intumuit.

## BATVS.

Rubus. Bremen.

Batus. Rubus.

Batos, Latinis Rubus, Germ. Bremen. Plures habet species. Est enim Batus, item Batos idaia, Chamaibatos, Kynosbatos. De duobus primis generibus hoc loco dicemus.

Batus igitur Latinis Rubus, Germ. Brombeerstauden/ Theophrasto Chamæbatus dicitur, Latinè Humirubus. Nascitur in dumis passim & hortorum circa margines. Caulem fert longè repentem, minacibus pungentibusq; spinis & aculeis uestitum. Folia incisuris diuisa, altero latere candicantia, altero nigricantia. Florem primùm habet rubescentem, dein cãdidum,

quo

quo euanescente fructus prodit, qui maturus moro sit persimilis, nigri cans, gratus & suauis, succo sanguineo, sicut & mora, quem Mora Celsi, Item Mora Bati, & Vaticana, corrupta Græca uoce, uulgo appellant: quæ Fuchsius, per literarum mutationem, Vergilij Vaccinia autumat. De Vaccinijs suprà in Hyacintho dictum est. C

*Mora Celsi.*
*Mora bati.*
*Vaticana mora.*

Βάτος ἰδαῖος seu rubus Idæus, Germa. eruditorum suffragio, Hindberen dicitur. Idæus uerò ab Ida mõte, ubi nascitur. Rubo est longè tenerior, ac minoribus spinis horrens: quanquam & sine spinis inuenitur. Similis est rubo forma, sed quantitate minor. In syluis frequens nascitur.

*Batus Idæus. Rubus Idæus.*

Bocksbeer.

Affinis est huic frutex, quem Germani Bocksberen appellant.

Rubo enim non multum est dissimilis, eiusdemq; qualitatis & uirium est particeps. Nascitur in dumis in altis humidisq; montibus, ramulis tenuibus, hirsutis, absq; spinis, foliis & flore rubi, sed minoribus. Fructus Augusto mẽse fert rubẽtes, paucos, fragorum magnitudine, fructui rubi D non dissimiles, sed minores, & paucioribus acinis, gustu adstringente & grato. Radix aliquid amaritudinis habet. Cùm hæc descriptio non longè ab rubo, ac Idæo potissimùm rubo absit, non incommodè eius species censeri poterit.

TEMPERAMENTVM.

Rubi genera adstringunt, siccãt & refrigerant, tam folia, quàm germina, flores, fructus, & radices. Recentia autem seu tenera adhuc minus adstringunt folia. Fructus maturus minus adstringit, immaturus uerò plus. Succus tam maturi quàm immaturi fructus, siccatus recondi tus ualidius quàm si recens fuerit, exiccans.

VIRES, INTRINSECVS.

Fructus rubi, si frequenter edantur, capitis dolorem inducere Galenus asserit. Vehemens ipsis refrigerandi facultas ineſt, adeò ut si aqua bibatur post esum eorum frigida, horror confestim subsequatur. Mediocris autem eorum usus ardentes febres refrigerat & restinguit. Ad omnia uerò commodior & gratior, ob odorem quem refert uiolaceum, est liquor stillatitius.

Si

A Si fructus in promptu non sit, loco eius decoquentur in aqua tenella rubi germina, aut etiam folia, ad usum ægrotantium: quod decoctũ mirè quoq; confert adustionibus, & inflammationibus, si cum linteolis in eo madefactis applicetur. Fructus sumptus prodest ructantibus, quos uomitus infestat, uiridibus tusis foliis uentriculo simul illitis. Arida folia, aut summa caulium fastigia, in uino aut aqua cocta, mirè conferunt rubro alui fluxui, nimijsq; mensium profluuijs. Eadem præstãt flores, puluis ex immaturo fructu & foliis, succus item ex tenellis germinis expressus, quem in sole siccatum nonnulli ad eadem recondunt. Omnium rubi generum flores & fructus in uino cocti, præstãtissimo sunt remedio ijs qui à serpentibus, scorpionibus, alijsq; uenenatis sunt uulnerati. Radici maior quàm foliis & fructui adstringendi uis ineest. In uino cocta, aut in puluerem trita & sumpta, lapidem renum frangit.

EXTRINSECVS.

Folia & caulium fastigia in uino decocta, gingiuas putrescentes sanant & purgant, dentes item mobiles firmant, si calidum decoctum ore teneatur. Idem decoctum anginæ, si gargarizetur, prodest. Commodior autem angina laborantibus est confectio seu eclegma ex fructu. Idem decoctum Chirurgis est utilissimum, manantia enim ulcera, & scabiem capitis, faciei, anus, & occultorum membrorum, hoc lauãt
B & purgant. Eadem potest foliorum expressus succus, & in sole torrefactus, ut mellis densitatem assumat. Frondes rubi ex lixiuio decoctæ, capillos capitis denigrant, si aliquot uicibus caput ijs lauetur.

Myrtillus.

Rubi Idæi uiridia folia tusa & ardenti iecori & uentriculo imposita, calorem sedãt, syncopen prohibent, uires ægrotantium confortant. Efficaciter eadem præstat liquor stillatitius. Cum uino & oleo serpentum morsibus illinuntur.

## MYRTILLVS. Heydelbeer.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

SCio Myrtillos fructum esse Myrti arboris, quo nomine hodieq; in Officinis cognoscitur, Germ. **Welsch oder frembd Heydelbeer.** Etsi autem nulla est Myrti cũ frutice, quem uulgò **Heydelbeer stauden** uocãt, collatio, cùm tamen aliud frutici Germanis hoc nomine dicto, conueniens nomen non esset, ac plerisq; Myrtilli nomine appellaretur, eodem, dum certior nomencla-

menclatura oſtendatur, uti placuit. Naſcitur in ſylueſtribus paſſim, ra C
mulis tenuibus, quadrangulis, uiridibus, folijs buxi, ſed ſubtilioribus. Floſculos menſe Maio fert exiguos, rotũdos, punicantes, tintinnabulorum ſpecie, in quorũ medio apex rufus. Baccas poſt florem fert menſe Iunio in cæruleo nigricantes, cùm maturuerint, quibus cæruleũ aliqui colorem tingunt, Iuniperorum forma, ſapore grato dulciq́;, quas Germa. Heydelbeer uocant. Radix in terra ſe ſpargit, noua ſubinde germina exerens. Duo faciunt genera: alterum minus, iam deſcriptũ: alterum maius, quod opacis & humidis ſecretisq́; ſyluis naſcitur.

TEMPERAMENTVM.

Myrtillis frigidam terreamq́; qualitatem aſſignant.

VIRES, INTRINSECVS.

Syrupus ex fructu Myrtillorum aduerſus antiquã tuſſim, & pulmonem exulceratum, ſtomachumq́; confortandum conficitur. Apparatur autem hunc in modum: Recipe ſucci Myrtillorum libras ſex, ſacchari puri & purgati libras tres, aut ſemiquatuor, coquantur ſimul apud prunas paulatim, donec ſyrupi aut mellis craſſitiem aſſumant.

EXTRINSECVS.

Fructu ſeu baccis pictores & tinctores ad Blauum ſeu Venetum colorem utuntur. Vide Tragum.

## RHAMNVS. VIRGA IANALIS. D

Pina alba. Wegdornbeer. Creutzbeer.

Rhamni

A RHamni Dioscorides tres facit species, pares iis uires tribuens, li. 1. ca. 102. Sut aũt ex Rhãni quoq; generibus frutices, quos Germ. **Wegdoornbeer**/seu **Creutzbeer**/de quibus hoc loco dicetur, appellãt. Item quem Vuam crispam Latini, Ger. **Krauſsbeer**/seu **Closterbeer** nominant, de quo infrà. Rhamnum uerò spinæ etiam albæ Dioscorides nomine appellat. Sicut & Ouid. Fast. 6. cũm inquit: Rhãnus. Spina alba.

*Sic fatus Spinam, qua tristes pellere posset*
*A foribus noxas, hæc erat alba, dedit.*

Diuersa tamen à spina alba, quæ inter carduos numeratur, de qua suprà. Virgã lanalem eodẽ loco Ouid. nominat spinã eius, seu ramos: Virga lanalis.

*Virgaq; (inquiens) Lanalis de spina sumitur alba,*
*Qua lucem thalamis parua fenestra dabat.*

Nascitur autem Rhamni hæc species, Germanis **Wegdoornbeer**/ **Creutzbeer**/**Werſenbeer** dicta, circa uiarum margines, & circa sepes, arborescens, cortice extrinsecus puniceo, qualis ferè Cerasi arboris, intrinsecus uerò uiridi, aculeis circa ramulos rectis, foliis mollibus, subtilibus leuibusq;, pomi syluestris penè similitudine, florem fert minutum, stellatum, acinos rotundos uirides, qui messis tempore collecti in sole siccãtur, cũ uerò maturuerint nigricãtes molles, esu iniucũdos.

TEMPERAMENTVM.

Temperamenti, sicut & Vua crispa, frigidi & sicci statuitur.

B VIRES, EXTRINSECVS.

Rhamni folia ualuis fenestri sue apposita, ueneficia depellere antiquitas credidit, ut scribit Dioscor. Folia Rhamni huius manantibus ulceribus, & igni sacro imposita medẽtur. Aduersus oris putredines aliaq; uitia, folia cũ interiore cortice ex aqua & modico alumine salubriter decoquũtur. Vuis Rhamni uiridibus messis tempore collectis, arefactis & tusis, & in aqua & alumine mollefactis, ad flauũ colorem librarij & pictores utũtur. Nigræ uerò & maturæ baccæ in autumno collectæ ac tusæ, inq; æreo uase recõditæ iucundum uiridem colorem præbent. Eædem baccæ post idus Nouembres inuentæ in suis ramis, puniceum colorem inducunt.

Vua crispa.



## VVA CRISPA.

Grossularis. Kreuſselbeer.
Closterbeer. Stachdoorn.

VVa crispa, German. **Krauſsbeer**/ **Kreuſselbeer**/ **Grosſelbeer**/ **Clo-** Vua crispa.

Grossularia.

sterbeer/Stachdorn. Ex Rhamni quoq; fruticis est speciebus, Grossularem nonnulli uocant.

Nascitur in sepibus passim & uinearum marginibus, ramulis multis, albicantibus, aculeis rectis, foliis intortis & rotundis, apij modo diuisis, flore in herbido purpurascente, acinis candicantibus & splendentibus, primùm acerbis, cùm maturuerint dulcibus.

TEMPERAMENTVM.

Frigida traditur in primo gradu completo, uel secundo incipiente: ficca in secundo.

VIRES, INTRINSECVS.

Vuæ immaturę cholericis calidis & ægrotantibus in cibis non sunt inutiles: gratissimæ alioqui in cibis. Condiuntur etiam eædem uuæ.

EXTRINSECVS.

Viridia folia inflammationibus, herpetis & erisypelati imposita, calorem restinguunt, & dolorem mitigant. Eædem quæ Rhamno sunt huic uires, cuius esse speciem dictum est.

## FOETIDA ARBOR.

### Leußbaum/ Faulbaum/ Zapffenholtz.

Cùm

A CVm deesset propria frutici præsenti Latina nomenclatura, fœtidam arborem appellare placuit, qua ratione etiam Germa. **Faulbaum**/& **Leußbaum**/ ob fœtorem nimirū quem in gustu & olfactu præbet, nominãt. Nōnulli, ꝙ doliarij epistomia ex eius ligno cōficiãt, **Zapffenholtz** appellãt. Nascit inter frutices & in dumetis, cortice extrinsecus puniceo, ligno subflauo, medulla intrinsecus castanei prorsus coloris, folijs ferè sylueſtris cerasi, nigrioribus tamen, rotundioribusq;, flores fert exiguos, subpallidos, singulari fultos pediculo, acinos rotundos, uirides, qui cùm maturuerint nigricant, myrtillorū formã. Sapor ijs ingratus. In syluis aliarū sæpe arborū quantitatem assumit.

TEMPERAMENTVM.

Facultatem adstringendi possidet, exiccat uerò mediocriter.

VIRES, INTRINSECVS.

Flauus medius arboris huius cortex cum aceto tusus, scabiem certò sanat. Idem cortex cum aceto decoctus, gingiuarum putredines & dentium dolores collutione adiuuat.

B

## CARPINVS.
### Spindelbaum. Pinholtz.

CArpinus, Zygia, Iugalis, Germ. **Spindelbaum**/**Piñholtz**/**Hã hödlin**. Zygia seu Iugalis dicitur, ꝙ ex eius lignis iuga, quæ Græcis ζυγὰ dicunt, & uarij generis instrumenta & uasa conficiãtur. Vnde Germani cã quoq; appellationem **Spindelbaum** accepit, à fusis nimirū muliebribus. Nascit circa uias, folijs & flore Rhãno descriptę, quę **Wegdorn** dicit, similis: nisi ꝙ seni sæpe in uno pediculo flores conspiciuntur, folia quoq; teneriora magisq; sunt nigricãtia. Corticem cùm adoleuerit habet canũ, lignum durũ & flauũ, siliquas fert quadrangulas, lathyris ferè forma, colore rubicũdo, in qbus semen candidũ lutea inuolutũ pellicula includitur, quod exemptũ testiculi auium formã exprimit, ex q̃ Germanicã appellationem, **Hanhödlin**/q.d. testiculus Gallinaceus, traxit. Memi nit Carpini Theophrastus li. 3. ca. 11. ζυγία Græcis appellari affirmãs, nec esse Acerem, ut quorundã uolebat sententia. Proinde cùm præsenti arbori uideret cõuenire, has ipsi nomẽclaturas tribuere est usũ, alio

Carpinus Zygia. Iugalis.

rũ tñ manente ſaluo & integro iudicio. De Carpino uide Ruel. li. 1. ca. 63.

TEMPERAMENTVM ET VIRES.

Neq; quicq; de eius facultatibus adhuc cõſtat, ligni ad uaria inſtrumenta & torni opera torosq; ſumptuoſiores eſt uſus. Priuſquam aũt terebrũ experiatur, macerant, ut molleſcat, & facilius perforari queat.

## CYNOSBATVS THEOPHRASTI. Hagdorn.

CYnosbatus Græcis, Latinis Rubus canis, ſeu Caninus rubus, aut Canirubus, ut uertit Theodorus Gaza. Paulò aliter Theophra. & Plinius, aliter Dioſcor. deſcribit. Cynosbatus igitur Theophraſti, uideť is frutex eſſe, cuius hic effigies eſt ſubiecta. Germa. Hagdorn dictus. Plinius quoq; Cynoſpaſton & Neuroſpaſton appellat. De Cynosbato Dioſc. infrà diceť. Cynosbatus igitur Theophra. deſcribitur fructu mali punici, ſubrubro, media inter arborem & fruticem figura, & punicæ proxima, folio humanæ plantæ effigie: pro ἀγνώδα enim ἰχνώδα uidetur legendũ, qua ratione etiã Plinius legit, humano ueſtigio ſimile foliũ uertens. Hæc deſcriptio ꝓxime uidetur accedere adeũ fruticem, qui in ſepibus, & alĳs paſſim locis mõtibusq; naſcitur, Germa. Hagdorn dictus. Frutex is caudice aſſurgit duro, lento, cortice cinereo, ramulis multis, aculeis firmis & in lõgũ rectis, abſq; medulla, florẽ prunis uel ceraſis penè fert ſimilẽ: fructus oblõgos, primũ uirides, maturitate uerò rubentes, oliuarũ fructu minores, oſſeis intus nucleis in cãdida lanugine occluſis: foliũ uiride, ternis q̃ni ſue fiſſuris, humanę ferẽ manus effigie. D

TEMPERAMENTVM.

Folia & fructus Canirubi Theophr. qualitatis ſunt ſiccæ & cõſtipatoriæ. Eſtq; tam foliorum quàm fructus & florum in medicina uſus.

VIRES, INTRINSECVS.

Flores in ueteri uino ꝑ triduũ macerati & cũ uino ꝑ artem diſtillãdi uſti, præſtãtiſſimo ſunt remedio pleuriticis, & colica laborãtib. Liq̃r ex ſolis floribus uſtus, alui fluxũ ſiſtit, ſi aliq̃t uicibus in die ſumať. Idem præſtat fructus arefactus & in uino coctus potusq; : interioribus tñ floculis, gulã infeſtãtibus, prius exemptis.

EXTRINSECVS.

Stillatitius florũ liquor uim refrigerandi habet. Cum madefacto linteolo impoſitus, ſentes & aculeos carni infixos certò extrahit. Rami eius ad flagella ſunt utiles: Non uſtus ramorum cinis, optimum inerti familiæ cum pentaphyllo eſt remedium.

## CYNOSBATVS DIOS. Hanbutten/ Buttelroſen.

Cynosbatus

A

CYnosbatos quæ à Theophrasto describitur, quæ uideatur esse, suprà est dictum. Iam igitur de Cynosbato Dioscoridis. Aliàs Cynosrhodos, hoc est, Canina rosa uocatur. Germ. Hundsrosen/Hanbutten/Buttelrosen. Fructum eius Butten/& Arsktitzlen nominant. Nascitur in sepibus & circa uias, Rubo, ut Dioscorides describit, longè maior, foliis myrto multò latioribus, firmis circa ramos spinis, flore candido, fructu oblongo, nucleo oliuę simili, qui per maturitatem fuluescit, & flocculos intus continet. Quæ sanè descriptio pulchrè quadrat cum frutice hoc nostro, quem Buttelrosen/& Hanrosen Germani uocamus. Atq; unicum tamen rei huius dubiũ restat, quòd nostra Hanrosen florem fert roseum, & spinas quoq; rosis similes, Dioscorides uerò Cynosbatũ nõ inter rosas describit. Quod si accuratius perpendatur, nostra Hanrosen, potius ex syluestrium rosarum poterit uideri genere, sicut etiã est: Cynosbatos uerò Dioscoridis cum Theophrasti Cynosbato, cuius suprà est facta mentio, concilianda. Aliis igitur latius de his iudiciũ relinquemus.

B

TEMPERAMENTVM.

Temperamento cum rosis flores Cynosbati sunt pari, refrigerant enim & exiccant.

VIRES, INTRINSECVS.

Fructus, exemptis interioribus flocculis, aluum, Dioscoride teste, sistit: feruefacti enim flocculi in uino poti, arteriam infestant.

## ROSA. Rosen.

ROsarum, quas Gręci ῥόδους uocant, multiplex est & nemini non cognita differentia. In duo tamen summaria distinguuntur genera,

Domesticas uidelicet, et syluestres. Vtriusq; rursus plures sunt species: C aut enim flore candicant, aut rubent, pallentue, aliæ flore constant simplici, aliæ multiplici: Aliæ quoq; syluestrium sunt inodoræ, aliæ tam fronde quàm flore odorem spirant gratissimum. Græci syluestrem Cynosrhodon, Latini Caninam rosam uocant, Germa. Feldrosen/Heckrosen / Frawendorn / Mariendorn / Harnrosen / Haberrosen/ Heydrosen/Wild rosen. Satiua simpliciter dicitur rosa, seu rosa domestica, Zam garten Rosen.

Virgas fert maculis fuscis tinctas, aculeisq; hamatis munitas, folia aspera, nigricãtia, incisuris tenuibus diuisa. Flos ex calycibus erumpit dehiscẽtibus, cãdidus aut purpureus, aut puniceus uel pallidus, ima uerò parte unguis humani colorẽ referens (unde etiã unguem partem eã uocant) qui pandens sese, apices in medio sui fert luteos, ac stamina capillamentis insidentia. Syluestres rosæ altius fruticant, ramulosq; seu uirgas robustiores ferunt, præterea spongiolas quasdam seu pilulas castaneæ similes, quas Germa. Schlaffcũntz uocant. Superuacuum uidetur curiosius singulas species distinguere, cùm nemini non sint notæ, sitq; par ferè omnium facultas.

## TEMPERAMENTVM.

Rosarum frigida stipticaq; est natura. Rubentes antequam penitus aperiantur ad medicinæ usum utiliores colliguntur. Efficacior syluestrium rosarum quàm domesticarum aqua stillatitia creditur. D

## VIRES, INTRINSECVS.

Maximus & nemini non notus rosarum aquæ, sacchari, mellis, aceti & olei rosacei est usus: Optimum auxilium in febribus ardentibus: refrigerant enim, & cor ac cerebrum confortant. Succum etiam ex rosis expresserunt ueteres, & in umbra siccarunt. Inferior tamen rosarum pars albicans, quæ unguis dicitur, est amouenda, hæc siquidem est inutilis. Aridæ rosæ in uino decoctę, alui fluxum, aliquoties in die potę, sistunt: sin calor adsit, ex aqua decoquentur. Eosdem præbent effectus arida rosarum capitula, dicto modo apparata. Rosæ recentes, earumq; succus, aluum duram certò molliunt.

Lapides, qui rosarum capitibus insunt, triti, calculum ex uino poti, feruntur pellere.

Succus ex maturis rubrarum rosarum fructibus, unà cum lanugine expressus, præsentissimum & probatissimum est Gomorrhœæ, & utriusq; mulierum fluxibus remedium. Ad idem hoc rubri fructus, antequam molleſcant, asseruari, & in uino decocti bibi possunt: Dysenteriæ & sanguinis excretioni hoc idem medetur.

Syluestrium rosarum aqua, præsertim quas Rosas auenæ, Haberrosen uocant, quàm satiua efficacior censetur. Omnibus calidis affectibus

A bus confert: Omnes enim cholericas exhalationes refrigerat & reprimit, cor confortat. Zulapium roſaceum, ſitim acutè febricantium reſtinguit, uentriculi, cordis, & iocinoris æſtus mitigat, putredinibus aduerſatur: ideoq; tempore peſtis præcipuus eius uſus eſſe debet. Ad hoc autem conficiendum optimæ ſunt ſylueſtres roſæ, auenaceæ dictæ. Zulapium roſaceum.

Spongiolæ ac fructus Cynoſrhodi ſeu roſæ ſylueſtris, mirificè ualent contra calculum, ſi leuigatæ in puluerem exhibeantur, uel in uino coctæ & calidæ ſumptæ. Quin repertos in ijſdem uermiculos maius ad hoc præſidium eſſe, quidam affirmant.

EXTRINSECVS.

Arefactæ rubræ roſæ in uino coctæ & colatæ, doloribus capitis ex calore natis, ſi caput decocto foueatur, proſunt: nec non oculorum, aurium, dentium & ani, matricisq; inflammationibus, penna illitum aut infuſum. Idem expreſſum decoctum ſtomacho impoſitum, æſtum eius mitigat, humidisq; eius affectibus medetur: eriſypelata reſtinguit. Ad eadem ualet acetum roſaceum, perquàm utile urentibus puſtulis peſtis tempore.

Lutei roſarum apices, aridi triti, gingiuarum fluxionibus efficaciter inſperguntur. Omnibus in ſumma cholericis capitis adfectibus, roſarum liquor ſtillatitius, acetum, oleum, & uapores, odoresq;, mirè pro-
B ſunt.

Sylueſtrium roſarum liquor ſtillatitius, ad eadem quæ ſatiuarum eſt efficax.

## OXYACANTHA. BERBERIS.

OXyacantha, q.d. Acuta ſpina, ab acutis uidelicet ramulorũ ſpinis. Officinis Berberis, German. Sawrach/Erbſal/Saurdorn/ Verſig. Naſcitur in frutetis paſſim, locisq; aſperis, ramulis multis, ſpinisq; aculeatis, binis, ternis, quaternisue iunctis. Sylueſtri pyro penè eſt ſimilis, niſi quòd minor eſt & ſpinoſa. Fructum fert myrto ſimilem, rubentem, fractu facilem, nucleos intus habentem: folium mali cydonij, ſed anguſtius, uiridius, teneriusq;. Radix multifida & alta. Oxyacantha. Spina acuta. Berberis

TEMPERAMENTVM.

Frigida & ſicca in ſecundo ſtatuitur ordine. Vim habet adſtringendi, fructus modicè incidit.

VIRES, INTRINSECVS. C

Vinum quod nonnulli ex baccis Oxyacanthę conficiunt, omnibus ex calore ortis alui fluxibus, ut dysenteriæ tempore, prodest: non solùm enim sitim sedat, sed diuturnos quoq; alui fluxus cohibet.

Idem succus abundantes menses reprimit: uentriculum & iecur cõfortat. Eadem possunt cum melle & saccharo cõditæ baccæ: Liquor quoq; stillatitius Maio mense & in autumno ex foliis ustus. Maturi fructus arefacti etiam asseruãtur, & in aqua denuò mollefacti ad usum sumuntur. Prodest quoq; ijs, qui in calidis adfectionibus uomitu frequenter infestantur, bilemq; euomunt.

EXTRINSECVS.

Maturos fructus tusos & illitos, calida apostemata mitigare, & ad maturitatem perducere ferunt. Radix tusa & illita, omnis generis tela, sentes, aculeos, & corpori infixa extrahere dicitur. Quæ uis cortici radicis maximè uidetur inesse: humidior enim & uiribus is est efficacior.

## RIBES. S. Joannes treublin.

RIbes hodie omnibus ferè cognitus frutex, German. Sanct Joannes treubel oð beerlin/ D quòd nimirum id temporis, circa solstitium æstiuum, fructus eius sit maturus. Plura de nomine nõ constant. Frutex est uuæ crispæ seu Grossulari nõ dissimilis, nisi quòd spinis caret. In areis hortorũ potissimùm plãtatur. Ramulis fruticat multis, lentis, cortice puniceo, foliis uitis, sed minoribus, nigricãtibusq;, florem mense Maio fert subluteum, stellatum, acinos rotundos, uirides primũ, cùm uerò maturuerint, rubentes, ex pediculis dependentes longis, saporis acidi & grati. Est & syluestris eius species, priori similis, sed sapore diuersa

A sa & iniucunda. Inuenitur præterea frutex quidam baccis rubentibus, coralliꝭ forma, binis ferè, geminorum modo, iunctis, quantitate prædictis similibus, gustu dulcedinem quandam referentibus, sed sapore tamen iniucundo, quippe quæ nauseam & uomitum cieant: Frutex cortice uestitur cinereo: folia habet ex altera parte incana, cydoniorū forma, sed longiora, qualia ferè oliuarum, multa. Nascitur inter alios frutices in sepimentis passim, maximè et copiosissimè in Holsatia. Hunc ipsum fruticem Hieronymus Tragus Dioscoridis Halimū esse statuit, cuius sententiæ iam placet subscribere. Halimus.

TEMPERAMENTVM.

Fructus & folia refrigerant & exiccant in secundo ordine; Vis ꝭs adstrictoria.

VIRES, INTRINSECVS.

Par penè præsenti fructui cum antè posito, Oxyacātha uidelicet, est efficacia. Ardentibus itaq; febribus & calidis alui fluxibus conuenit. Immensam enim sitim, fructus, ex eoq; syrupus & eclegma sedant, uomitum & nauseam auertunt, appetitum ciborum excitant, ventriculū confortant.

Cum saccharo nonnulli baccas condiunt: prosunt ꝭs quiuariolis aut morbillis laborant, calidisq; alui fluxibus. Reliquas cum Oxyacantha uires obtinet.

B Tertia species, quam Halimum censemus esse, tormina sedat, radici bus drachmę pondere in aqua mulsa sumptis. Solinus scribit, Halimū famem sedare: quod sic accipi poterit, quòd nemo facilè ipsum, ob iniucundum saporem expetat, quantumuis esuriat.

## ACTE. SAMBVCVS. Holunder.
## Ebulus. Attich.

ACte Græcis, Latinis Sambucus, Germa. Holder. Duum est generum. Primum Sambucus propriè dicitur, alterum Ebulus. Sambucus in arborem assurgit, uirgis arundinū modo rotundis, cauis, medulla expletis candicantibus, proceris. Folia circa ramos per interualla terna aut etiam sena septenāue iuncta exeunt, nucis iuglandis similitudine, graueolentia, minutis incisuris, in summis ramis seu caulibus umbellas ferentia rotundas, quæ florem producunt candidum: fructū seu acinos terebintho similes, in nigredine subpurpureos, racemosos, succosos & uinosos: Floret paulò ante solstitiū æstiuum: baccas suas in Augusto profert. Locis opacis asperisq; potissimùm, & circa aquas nascitur. Officinis propriè Sambucus dicitur, ab autore forsan Sambyco: uel à Sabuca musico instrumento, quod pectida aut Magadin aliꝭ appellant, Germa. Holder. Acte. Sābucus.

Alterum genus Ebulus dicitur, humile minusq;, herbaceo magis ge Ebulus.

neri

Ebulus. C

Actæ.

neri assignandum, caule quadrangulo, geniculato, foliis amygdalæ, ex D interuallo circa singula genicula alæ instar se extendentibus, per ambitum serratis, longioribus, graue olentibus. Vmbellam in summo fert Sambuco similem, flores itidem & fructum. Radice nititur longa, crassitudine digitali. Gaudet ijsdem locis quibus Sambucus, ac in agris etiam quibusdam prouenit, tardiusq; nonnihil floret. Græcis χαμαιάκτη, hoc est, humilis Sambucus, Latinis Ebulus, Germa. Attich/uel nidere Holder. Meminit huius Verg. in Gallo, inquiens:

*Pan Deus Arcadiæ uenit, quem uidimus ipsi*
*Sanguineis Ebuli baccis minioq; rubentem.*

Sunt enim baccæ eius sicut Sambuci in nigro subpurpureæ, quod hic sanguineas dixit.

TEMPERAMENTVM.

Verunq; genus calidum est & siccum. Vim habent purgatoriã, exiccant, conglutinant, modicè digerunt.

VIRES, INTRINSECVS.

Vmbella ueris tempore in cibo cocta, uentrem laxat & emollit. In uino cum melle folia & umbellæ coctæ, frigidam & siccam tussim, aliquot diebus potu eius cõtinuato, pellunt, pectus purgant, uiscosas pectoris humiditates resoluunt. Efficacior est radix. Decocta in uino hydropicis manè & uesperi pota, est utilissima. Stillatitiæ aquæ eædem

Adem assignantur uires, sed bonam eius quantitatem sumere cõueniet.

EXTRINSECVS.

Aqua aut decoctum foliorum cõtra anginam utiliter gargarizatur. Decidentem uuulã cum pyrethro erigit. Fomenta ex radice & folijs, matricis tumorem insessu sedant. Podagris calidis folia item imponũtur. Baccæ eius infirmiores sunt quàm reliqua, capillos illitę denigrãt. Folia, si prætenera ac mollia ex polenta illinãtur, inflammationem mitigant. Ambustis & canis morsibus illitu prosunt. Vlcera quæ dehiscũt in fistulã, agglutinant. Ad omnia uerò efficacior est quàm minor, hoc est, Ebulus.

## ACTE SYLVESTRIS. Waldholunder.

IN opacis & humidis syluis circa ferarum potissimùm lustra Sambuci nascitur syluestris species, ab Hieronymo primùm Tragodemonstrata, Sambuco uulgari, foliis, cortice, ligno & odore per omnia similis, nisi quòd florem non fert in umbella, sed uelut uitis, subflauum, stellatum: baccas mense Augusto producit rubentes, gustu iniucundo. Germa. Waldholder/Latinè Acte seu Sambucus syluestris. Item Sambucus Ceruinus, quòd Cerui potissimùm eum expetant. Tradit præterea Tragus, Ceruas non antè hunc gustare, quàm prægnãtes fuerint: tum enim sicut & cerui eius desyderio tenentur. Solis autem uescũtur foliis, nequaquam baccis.

Acte palustris.

B

TEMPERAMENTVM.

Syluestri Sambuco pares cum Solano sati uo uires assignãtur. Naturæ est frigidæ: præsertim uerò baccę: Vnde somnum conciliãt. Nimius eius usus admodum est noxius.

## ACTE PALVSTRIS, seu Aquatica.

ACte palustris, uel Sambucus palustris, uel aquaticus, Germ. Bachholder/ob florum & ramorum cum acte similitudinem appellari potest. Aliàs Schwelcken. Plura de nomine eius non constant.

Nascitur iuxta aquas sub alnis, ramis sicut acte, medulla expletis foliis diuisis, Aceris ferè similitudine: florem in mensis Maij fine fert sambuci odore non iniucundo, extremis maioribus, medios et interiores minores ambientibus: baccas fert rubẽtes, baccis sambuci maiores, quæ autumno matureścunt, sapo-

ris

ris ingrati. Nauseam enim comestæ pariunt: Præcipuò uerò his hye- C
mali tempore Gallinæ syluestres oblectantur.

TEMPERAMENTVM ET VIRES.

Baccæ maturæ ad cientia uomitus medicamenta adhiberi poterũt. Plura non sunt cognita.

## OSSEA. Hardtriegel.

Ossea.

GErmani Hartriegel fruticem quendã appellant, ob ligni eius ad opera duritiem: quamuis eadem appellatio liguſtro quoq; tribuat. Latinis uel Græcis quomodo appellata sit haud scio. Quare Germanica potius appellatione repræsentare, quàm ob nominis penuriam negligere, placuit. Inter dumeta et uepres fruticat ramulis multis, foliis nigricantibus, alni ferè foliorũ similitudine. Florem Iunio mense penè fert Ebuli, multiplicem uno pediculo, sed minorem. Baccas producit primùm uirides, cùm uerò maturuerint, autumno nimirũ, nigras, liguſtri modo. Stipitem habet durum & fabrorum instrumentis renitentem. Quare Osseam hunc fruticem, ne penitus anonymos D
esset, appellare est uisum.

VIRES, INTRINSECVS.

Quis eius in medicina sit usus, est incertum. Fabri radios rotarum, aliaq; firma ex hoc opera conficiunt.

## LIGVSTRVM.

Philyrea. Cypris.

Rheinweiden/ Beynhöltzin/ Mundholtz.

Liguſtrũ Philyrea Cypris.

LIguſtrum Latinis, Dioscoridi Philyrea, Græciæ & Orienti Cypris, German. Mundweiden/quòd nimirum oris hulceribus medeatur. Item Rheinweiden/quòd salici similis copiosè iuxta Rhenum nascatur. Item Mundholtz/Beynhöltzin/& Hardtrigel/quo nomine præcedens etiam planta appellatur. Nascitur in dumetis & uepribus passim, nec non hortorum areæ hoc frequenter circundantur. Frutex est, Dioscoride describente, foliis oliuæ, sed latioribus, mollioribus, & uirentioribus, flore candido muscoso, odorato, fructu sambuci, nigro, racematim congesto: Quæ certè Philyreę apud Dioscoridem descriptio, perpulchrè cum Liguſtro nostro conuenit: Præterea uires

quas

Philyrea.

Liguſtrum.

quas eidē Dioſcorides aſſignat, huic prorſus reſpondent. Meminit quoq; florum Liguſtri Verg. in eclogis, inquiens: Alba liguſtra cadūt, Vaccinia nigra leguntur. Quid ſit Vaccinium, ſuo loco in hyacintho dictum eſt. Bac carū uerò mentionem fecit Columella li. 10. cùm inquit: Fer calathis uiolam, & nigro permiſta Liguſtro Balſama, cū Caſia nectens croceosq; corymbos.

TEMPERAMENTVM.

Folia, flores, baccæ adſtringendi ui ſunt prædita. Refrigerandi exiccandiq; facultatem poſſident. Plus tamen
B extra corpus quàm intrinſecus eorum eſt uſus.

EXTRINSECVS.

Aqua ſtillatitia foliorum & florum, menſe Maio, oris putredinem collutione & gargarizatu adiuuat: calidos affectus, carbunculos, & aduſtiones adiuuat. Flores in aceto macerati & fronti illiti, immenſos capitis dolores & fluxus ex caliditate ortos ſedant.

Baccis maturis nonnulli rubro uino, nigrum & denſum colorem, ut uendibilius fiat, faciunt. Piſtoribus etiam baccæ ſunt in uſu.

Fraxinus.

## FRAXINVS.

Melia. Eſchern. Eſchbaum.

FRaxinus, Græcis Μελία, German. Eſchern/Eſchbaum/itē Steyneſchern/q.d. duram & ſaxeam. Arbor hæc eſt procera, caudice tereti, cortice leui, ſpiſſo, tenui, rubro, ramis utrinq; pinnatis, foliis lauri, per ambitum leniter ſerratis, non ſine quodam marginis

uel cacuminis aculeato callo, porracei coloris, baccis uelut semine mi- C
nuto, foliis ipsis incluso, amaro, radice multa, crassa & sublimi. Com-
mendatur hæc ad hastarum usus. Cuius nomine & hasta Achillis a-
pud Homerum celebratur: Est enim enodis, crassiuenia, neruosa, le-
uis, suberispa. Syluis nascitur altis & opacis humidisq;, interdū saxo-
sis quoq; locis.

Serpentibus arbor est infestissima, adeò ut si frondibus Fraxini &
igne serpens circundetur, citius in ignem quàm ad huius frondes con-
fugiat, ut Plinius lib. 16. cap. 14. refert.

Syluestris fraxinus huic non multum dissimilis est, de qua uide de
Orno. Germa. Bůcheschern.

Meelbaum. Klein Meelbaum.

D

Est præterea arbor quædam baccas ferens, Fraxino similis, nisi ꝙ
est humilior, folio serratiore, & per ambitum hispidiore, cætera fraxi
num æmulans, cuius meminit Ruell. lib. 1. cap. 82. de stirpium histo-
ria. Hanc Tragus non incommodè censet eam esse, quæ Germ. Meel-
baum/uel groß Meelbaum dicitur, addifferentiā alterius, quæ Ger
ma. Kleyn Meelbaum nominatur: Ea est frutex arborescēs foliis alni,

sed

A sed maioribus, rugosis & puluerulentis, quasi farina aspersis, prona uerò parte prorsus candidis. Florem fert Iunio mense per omnia Sambuco similem, mediocriter odoratum, ex quo baccæ primùm uirides, aliquantum latæ, prodeunt, maturæ uerò penitus nigricantes, gustu dulces & uiscosæ. Caudex medulla caua est expletus. Nascitur in Germaniæ quibusdam locis, ut Holsatia, Westerich, & Durstenberg uocato monte copiosè. Huius mentionem hic facere libuit, ob alteram Fraxini speciem, cui nomine accedit: quòd non alia esset qua priuatim Latina describeretur nomenclatura.

TEMPERAMENTVM.

Fraxino uis est exiccatoria. Venenis potissimùm resistit: nec ullus umbram eius serpens sustinet.

VIRES, INTRINSECVS.

Aqua stillatitia corticis Fraxini efficacissimum contra calculum & morbum regium est remedium. Folia in uino decocta, prosunt iocinoris & lienosis. Idem potest oleum ex ligni Fraxini potum & inunctū, Manardo teste.

Succus ex fastigijs ramorum seu teneris eorum germinibus expressus, potus, contra uenena est antidoton: hydropicis etiam utiliter bibitur. Pocula ex ligno fraxineo, si frequenter ex ijs quis bibat, lienem purgare ferunt. Expressum foliorum succum cum uino per aliquot tempus potum, maciem inducere tradunt.

B Sorbus.

EXTRINSECVS.

Corticem Fraxini ustum & emplastri modo illitum, omnis generis malam scabiem sanare asserunt. Ad manuaria & fabrilia opera, hastas item longiores ligni est usus.

De reliquarum specierum, quę Meelbaum dicuntur, uiribus nihil certi constat.

## SORBVS.

Speierling. Sperwerbaum.
Sporöpffel. Sorböpffel.
Sporbieren. Maltzen nasen.

SOrbus Latinis, Græcis ὄυ. Fructus eius ὄα. uel ὄθα, Latinè Sorba, Germa. Speierling/ Sorböpffel/Sporbiern/Sperwerbaum/ Plinius quatuor sorborum facit genera, ex fructus differentia: alijs enim rotunditas mali tribuitur, alijs turbinata pyri forma, ac utrisq; ui-

ni ſapor: alijs ſpecies ouata: & quartum, quod torminale uocant, à re- C liquis diuerſum, de quo infrà. Arbor eſt procera, recto caudice, cortice leui, pinguiuſculo, colore qui ex flauo albicet, folio lauri, ſed tenuiore, minoriq;, & per ambitum crenato, quod neruoſo, prolixoq; pediculo dependet, utrinq; ramos ueſtiens, flos candidus, ſingulari petiolo racematim coit, fructu uel orbiculato, uel ouato, qui uuę modo aceruatus producitur, ita ut faui quodammodo ſpeciem gerat: aſper & adſtringens, ob quod nõ antequam molleſcat, editur. Radix rara nec altè deſcendens, ualida & craſſa.

TEMPERAMENTVM.

Sorbis, Aegineta teſte, adſtringens eſt facultas, minus tamen quàm Meſpilis.

VIRES, INTRINSECVS.

Sorborum ad ſtiptica medicamenta potiſſimùm erit uſus. Nonnulli itaq; pyra ſeu fructus hos in clibano, aliorum pyrorum modo, torrent. Alij in quatuor partes diſſectos fructus in aërem, ut areſcat, ſuſpendunt. Nonnulli cum melle, ſicut Mala cydonia, condiunt. Aliqui in cocto dulci uino uirides ſeu recentes fructus aſſeruant.

Proſunt autem alui fluxibus. Arefacta uerò ſorba in uino adeoſdem effectus decoquuntur. Natura eorum hoc uerſiculo deſcribitur: D

*Sorba ſumus, molles nimium durantia uentres.*

Sorbus torminalis.

EXTRINSECVS.

Tuſa & cum folijs in aqua cocta Sorba, alui fluxu laborantibus, ſedi item procidẽti in deſeſſionibus proſunt.

## SORBVS TORMINALIS. Eſchröſel.

PLinius Sorbi quatuor enumerans genera, ut ſuprà eſt dictum, quartum torminale uocat, à reliquis diuerſum, uelut ſyluestre. Hoc cum Trago placet eſſe arborem, quæ German. dicitur Eſchröſel/ Arreſeln/ Wild Sperwerbaum, Latinis Sorbus ſylueſtris, ſeu Sorbus Torminalis, quòd nimirum torminibus medeatur. Naſcitur in ſyluis, ſolo albo & forti, inter fagos.

Caudice

A Caudice & cortice glabro candidoq;, foliis ferè Sambuci aquatici, minoribus tamen, pedis anserini effigie, flores fert ut Sambucus subcandidos, copiosos, pyra fert exigua, oliuarū magnitudine, aspera, & gustu, sicut Mespila, adstringētia: nuclei in fructu sunt uelut in sylvestribus pyris, nigri. Editur fructus cùm mollescit, sicut & Mespila, tum enim acerbitatem deponit.

TEMPERAMENTVM ET VIRES.

Temperamento & uiribus cum Sorbis & Mespilis conuenit. Vis ei potissimùm aluum constipandi.

## PRVNVS SYLVESTRIS.

Ἀγριοκοκκυμῆλα. Schlehendorn.



B

PRunus sylvestris, Græcis ἀγριοκοκκυμῆλα, & ῥᾴμνα. Germa. Schlehendorn. Prunus sylvestris

Frutex est arborescens, nisi præcidatur, secus vias & hortorum agrorumq; extremitates utplurimum proueniens. Caudicem fert crassum, durum, inflexilem, & si flectatur continuò fragilem. Folia habet ex oblongo ferè rotunda: Florem ueris statim initio cādidum, quinq; folium, in cuius medio apices lutei, parui, multi, staminibus seu capillamentis insidentes. Fructus eius prunorum fructu est minor, differentiam quoq; in magnitudine habens: alius siquidem maior, alius minor, alius rotundus, alius longus conspicitur, colore cæruleus seu nigricans, gustu adstringens. Editur autem cùm frigore mollefactus fuerit. Meliora sunt ex his quæ maiora, quæq; mense Augusto matureſcunt. Non autem esse Poterion, & ipsa collatio ostendit, & quòd Poterion ex carduornm est genere, ac inter reliquos carduos à Dioſc. li. 3. describitur, in cuius præfatione se de radicibus, herbis & seminibus scripturū est pollicitus. Syluestrium uerò prunorum,

quę Schlehendorn esse putamus, sub prunis meminit, ut rei notæ, si. C
cut & pruni, descriptionem relinquens. Et uires quoq; quas syluestri
pruno Dioscoridis attribuit, Schlehendorn dictæ conueniunt. Poterion
Poterion. uerò Carduus est nobis hodie incognitus. Hæc & aliorum, & Valerij
Cordi est sententia, ex quo etiam Poterij & Schlehendorn dictę col
lationem, quam cuilibet facilè est instituere, subijciã: Poterion, inquit,
frutex Dioscoridi grandis esse describitur. Schlehendorn uerò fru-
tex non est, quoniam in iustam arboris magnitudinem adolescit, si nõ
præcidatur. Poterion longos, molles, uitilium modo lentos, graciles,
& hircinæ spinæ similes ramos producit. Schlehendorn uerò non ra
mulos à terra mittit, sed crassum, durum, inflexilem, & si flectatur, cõ-
tinuò fragilem caudicem erigit. Poterion totum multa tenui, lanosaq;
lanugine uestitur. Schlehendorn uerò nulla lanuginis uestigia ha-
bet, nisi fortè aliquis in uetustis illius caudicibus muscum & uillosam
caniciem lanuginem appellare uelit. Sic autem nequaquam intelligit
Dioscorides. Multum enim differunt muscus & lanugo. Muscus etiã
in crassis tantùm arborum partibus inuenitur, Poterion uerò totum,
tam ramulis minimis, quàm maximis lanuginem ostendit. Poterio se-
mẽ siue fructus odoratus, medicinæ inutilis. Schlehendorn uerò ino
dorum, & medicinæ ualde utilem habet. Postremò Poterio sunt radi
ces neruosæ, quæ in terra sectæ gummi lachrymãtur. Schlehendorn
uerò ligneas habet radices, quæ in terra sectæ nullum gummi emittũt. D
Certum est igitur arborem quæ Schlehendorn dicitur, Poterion nõ
esse. Hæc Valerius Cordus.

Acacia. Nec etiam, ut quorundam fert opinio, est Acacia. Est enim Acacia
sui generis spinosa arbuscula, in Aegypto nascens, quæ Aegyptia Acã
tha simpliciter interdum Theophrasto dicitur, ferens lupino similes si-
liquas & semen, ex quibus immaturis succus exprimitur, qui eodem
cum ipso frutice nomine, Acacia dicitur, cuius loco nos syluestrium
prunellorum succo, ut succedaneo, utimur, uera Acacia eiusq; succo ca
rentes.

TEMPERAMENTVM.

Syluestri prunello uis est adstringendi, ut ex uiribus eius & gustu
satis est manifestum. Temperamento est frigido.

VIRES, INTRINSECVS.

Fructus prunorum syluestrium in melle conditi, dysentericis, & al-
ui fluxibus laborantibus, prosunt. Ad eadem pollet uinũ ex fructu con
fectum: decoctio quoq; fructuum. Florum aquã stillatitiam laterum
doloribus mederi, experientia est comprobatũ. Fortior autem eadem
fit aqua, si flores in uino acri noctis spacio macerentur, et in Balneo, ut
uocant, marię distillentur. Laterum, cordis & uentriculi pressuris pũ-
cturisq; aqua hæc medetur.

EX-

A

EXTRINSECVS.

Ad uinum corruptum præsentissimum & certissimum est auxiliū, si fructus antequam nigrescant, decerpti tundantur, & pro uasis quantitate iniiciantur, ac probè uino agitato uas occludatur. Ad idem hoc, arefacti in aëre fructus, ad omne tempus asseruari possunt. Vinum corruptū

## PRVNVS.

Coccimelea. **Pfraumen/ Pflaumen/ Kriechen.**

B

PRunus, Græcis Coccimelea, German. **Praumen/Pflaumen/Kriechen.** Duplex est: syluestris & satiua. De syluestri suprà est actum. Iam de satiua. Arbor est radicibus summo cespite uagantibus, paucis, caudice subrecto, scabro, multis brachiato ramis, folio ex oblongo ferè rotundo, sicut prunellorum syluestriū, sed per ambitum serrato: flore candido, foliato, maiore ꝙ in syluestribus, quem Aprili mense, quo tempore & Cerasus, profert, pomo carne cuteq; uestito, osse intus duro, in quo nucleus includitur. Sunt autem plures satiuorum prunorum & forma & bonitate species. Præstant Damascena, quæ Germ. **Quetschen** uocant, nigra magnaq;. Proxima sunt purpurea, quæ Hispanica nominant. Tertio loco cerea uel cereola. Germ. **Spilling/ geel Kriechen** / de quibus Verg. in ecl. Addam cerea pruna &c. Post hæc longa & cerulea, seu prunidactyla, German. **blaw Spilling/Bilsen.** Quintò minora reliquis, auel lanæ nucis quantitate, Germa. **Klein Herbstpflaumen.** Prunus. Coccimelea. Pruna Damascena. Cerea.

Sunt præterea quæ Germ. **Roßpflaumen** à magnitudine uocant. Item **Schaffpflaumen**/ Latinis Asinina pruna. Fructum prunorum Brabyla uocat Theocritus Idyll. 8. inquiens: Brabyla

Τοίσδ' ἐκ ἐχυντο ὄρπακες βραβύλοισι κατάβροδοι ἔρασθ.

Quod sic uertit Eobanus Hessus: In terram depressi pondere rami Prunorum Syriæ quæ mittunt rura Damasci: ubi describit amœnitatem & lautitiam conuiuij Phrasidami. Item Idyll. 18. ὅσσον μᾶλον βραβύλοιο, ἄδιον, τόσσον ἐμ' ὔμμιν τὺ φανείς, hoc est, ut idem Poëta Eobanus uertit: Vt grauibus malis superantur pruna Damasci, Tantum inter reliquos mihi tu charissimus omnes.

TEMPERAMENTVM.

Fructus pro generum diuersitate, diuersum temperamentum obti-

nere est necesse. Certum enim est quædam aluum sistere, quædam ue. C
rò cohibere. Quæ igitur sunt dulcia, aluum soluunt. Quæ uerò acerba
seu austera, constipant. Natura tamen omnium est frigida & humida.
Arefacta autem pruna siccitatis aliquid possident.

VIRES, INTRINSECVS.

Omnium Prunorum satiuorum natura est laxandi & molliendi aluum. Syluestrium uerò Prunorum, de quibus suprà est actum, contraria, constipandi nimirum, est natura. Gulæ etiã & culinis arefacta pruna, præsertim Damascena, sunt nota.

Conficitur hinc Confectio, Diaprunis uocata, utilis ad calidas & siccas febres: natura enim eius est humectandi & refrigerandi.

Gummi ex Pruno arbore cum uino potum, calculum uesicæ frangere ferunt.

EXTRINSECVS.

Folia in uino decocta, gingiuarum, uuulę & colli affectibus gargarizatu medentur.

Gummi arboris & folia in aceto cocta & illita, lichenas infantium sanare tradit Dioscorides.



## MYXA. Sebasten.

MYxa uel Myxaria Græcis, à muscoso pomi eius lentore: Græci D
enim Myxon mucum uocant, Officinis & uulgò barbaro uocatur nomine Sebasten. Neq; apud Dioscoridem, neq; apud Galenum est myxarũ mentionem uidere, cùm nihil ferè Sebastis et Iuiubis apud posteriores Medicos occurrat frequentius. In Syria et Calabria olim gignebatur, hodie frequentissima. Nascitur in Italia, ac aridi eius fructus ad nos inde afferuntur. Arbor supra terram attollitur, Caudice procero, qui cortice cãdido uestiatur: ramos fundit uiridi colore nitentes: folia in rotundum circinata, poma auellanæ nucis magnitudine, racematim collecta, per maturitatem cærulea, callo corporis dulci, intus albo, lẽtore muscoso, osse oleagino, cuius & nucleus insuauis non est. Fructus maturus legitur, insolaturq;, ut passus &

in

A in rugas contractus recondatur. Viſcum ex huius acinis fit in Syria, quod Damaſcenum uocant, aucupijs commendatiſſimũ, præterquam aquatilium uolucrum. Inſeritur etiam hæc arbor in Sorbum.

TEMPERAMENTVM.

Temperamentum ferunt mediocre obtinere, neq; nimis frigidum, neq; nimis calidum.

VIRES, INTRINSECVS.

Fructus per ſe, aut decoctum eorum, in ardentibus febribus, præſertim ſi aluus obſtructa fuerit, eſt auxilio. Idem commanducãdus datur infantibus contra uentris uermes: uel etiam decoctum eiuſdem. Pari ratione aduerſus aridam & ſiccam tuſſim, obſtructiones pectoris, ex calore ortum catarrhum, ſumitur. Prodeſt quoq; renibus, ueſicæ, & difficulter mingentibus, quiq; ardentem urinam habẽt. Gulam & pectus lenire, Razis eſt autor.

## ZIZIPHVS.

Iuiube. Serica. Brußtbeerlin.

B

Ziziphus malorum eſt generis, cuius fructum Zizipha uocant, Galeno Serica, Officinis Iuiube, et Germanis Brußtbeerlin. Ipſa arbor nobis eſt incognita, Loca amat calida, florẽ fert oleæ, ſed odoratum magis, fructus eius baccis q̃ malis eſt ſimilior, quoq; amplior et maturior, hòc innocentior eſt. Meminit eius Columella lib. 9. cap. 4. Duo faciens eius genera: rutilã uidelicet & albam. Seritur & granis et ſtipite, & planta. Planta ſeritur menſe Martio in molli terra. Oſſa ſeu grana, in ſcrobe palmari, ita ut terna grana per ſcrobem ponãtur cacuminibus inuerſis. Matura Zizipha collecta in lõgo uaſe fictili ſeruãtur oblito, & loco ſicciore compoſito. Vel recenter lecta poma ſi guttis uini ueteris perfundas, efficitur ne ea rugarũ deformet attractio. Cum ramis etiam deciſa & ſuſpenſa, fronde ſua inuoluta ſeruantur. Præferuntur ex his maiora, quibuſdam Aedeſina dicta.

*Serica. Iuiube.*

TEMPERAMENTVM.

Calore & humore temperata tradit Aëtius.

VIRES, INTRINSECVS.

Potionibus & electuarijs contra fauciũ aſperitatem & tuſſim aſperam

ram Zizipha miſcentur. Sanguinis acrimoniã edomant, bonum ſuccũ creant, ſeroſum ſanguinis humorem eliciunt. Decoctum eorum renibus, ueſicæ & pectori prodeſt. In cibis ægrè concoquuntur, & lienem lædunt. Parui ſucci poma Galenus eſſe tradit, nec ſtomacho nec concoctioni facilia. C

## FVNGI. Schwemm.

FVngi, Græcis μύκητες neq; ex plantarum, neq; radicum, neq; florum, neq; ſeminum ſunt cenſura, ſed nihil aliud niſi ſuperflua terræ, arborum, lignorum putridarumq; rerum humiditas, ob quam breuiſſima quoq; eorum eſt duratio, quippe ſeptem diebus & oriuntur & occidunt, pluuioq; potiſſimùm naſcuntur cœlo. Vnde: Et facient optata tonitrua cœnas Maiores. Differentia eorum eſt multiplex. Naſcuntur enim uel ex terra, uel ex arboribus, uel ex lignis, rebusq; putridis, necnon in ſtramineis domorum tectis. Rurſus eorũ qui ex terra prodeunt, plura ſunt genera. Summaria tamen ſunt duo. Alij enim ſunt edendo, alij minimè, ſed letales, & intra corpus ſumpti ſtrangulantes. Germani omnes communi nomine Schwemm uocant. D

Eorum qui edendo ſunt, ſeptem ſpecies eſt uidere. Prima eſt quæ Germa. Morcheln nominatur. Copia horum paſſim eſt frequens, & in ſummis ciborum, præſertim Fridbergæ in Wedrauia delicijs. Menſe naſcuntur Maio, nec alio anni tempore uiſuntur, in arenoſis uiarũ & agrorum marginibus, rotundi, pilei figura, faui apum inſtar foraminibus pleni, incani, humore pleni. Coquuntur autem, in aqua prius elixi, in butyro & aromatibus. Sunt qui tubera exiſtiment eſſe Dioſcoridis, Itali trufflas uocant.

Tuberd. Truffle.

Secunda ſpecies Heyderling & Drüſchling Germanis dicitur, quod nimirum in campeſtribus aridisq; locis, præſertim uerò in iumẽtorum paſcuis naſcantur. Viſuntur menſe Iunio, pluuio cœlo, rotundi & lati pilei modo, inferius punicei, ſuperius uerò liuidi. His exterior prius membrana detrahitur, antequam ad cibos ueniant, hinc ut prædicti Fungi apparantur, Boletos & Amanitas hos uocant.

Boleti. Amanitæ

Tertia ſpecies Germa. Pfifferling/ q.d. Pfefferling/ à Piperis guſtu: Naſcitur ſyluis denſis & altis, figura lata & orbiculata, colore candido, liquore intus lacteo. guſtu piperis. Toſtos in prunis cum ſale hos nonnulli

A nonnulli edunt. His Boletorum orbiculatorum nomen tribuitur.

Quarta ſpecies Germa. Rheling/Hendelſchwem̃/Latinis Digitelli. Syluis naſcuntur humidis colore ſplendido & luteo. Et hi elixi & comminuti in butyro & aromatibus gulæ apparantur. Horum altera quoq; eſt ſpecies, locis ſimiliter humidis & putridis, & iuxta putrida ligna ferè proueniens, ramoſa, muſci inſtar, ſucco plena, frigidę naturę, concoctionisq; difficilis. *Boleti orbiculati.*

Quinta ſpecies eſt punicea, boletorũ magnitudine, ſucco dulci et lacteo: Naſcitur altis ſyluis. Ger. Brötling. His crudis nõnulli ueſcunt.

Sexta ſpecies iuxta quercus arboris radices Auguſto menſe inuenitur, magna, incana & liuida, aſpectu formam interaneorum uituli referens, Germanis Eychſchwem̃/& Haſenörlin/Latinis Lepuſculi. *Lepuſculi.*

Septima ſpecies in exuſtis rubis uiſitur, forma Amanitarũ, ſed pallidior, circa Diuo Iacobo ſacrum diem, Germani Rötling/Rotſchwem̃/Augſtſchwem̃. Atq; hæ ſunt fungorum ſpecies, qui cibis ferè ſunt dicati.

Reliquæ uerò ſunt letales eorum ſpecies. Vt ſunt quos Muſcarios uocant, quòd Muſcas ex lacte occidant, German. Muckenſchwem̃/Fliegenſchwem̃/quorum alij ſunt rubri, alij albi, ſub betulis naſcentes arboribus. Præterea ſunt ægiritæ, qui circa radices arborũ naſcuntur. Item Arborei, qui caudicibus ſeu ſtipitibus arborum adnaſcũtur. *Aegiritæ Arborei.*

B Ignarij quoq;, quorum ad ignem excipiendũ, cùm arefacti fuerint, eſt uſus. Agaricum Dioſc. uocat fungũ abieti adnaſcentem, Ger. Dannẽſchwam̃, Officinis nomen genuinum retinet. Duplex: Candidus, cuius præcipuus in medicina uſus, niger qui reprobatur. Alij quoq; terrę cohærent, nullo fulti pede, in globum circinati, membrana obducti alba, ueluti corio, nec ulla parte patentes, qui cùm rumpuntur fuliginem eructant atrã, quos Ger. Bübenfiſt/hodie ouatos, uocant, Galli crepitũ lupi appellãt. Locis naſcunt gramineis, capitis humani ſæpe magnitudinẽ æquãtes: nihilq; aliud niſi putrida quædã terrę ſunt exhalatio. *Ignarij. Agaricus. Ouati. Crepitus lupi.*

Hæc præcipua ſunt fungorum genera nobis etiã cognita. Plura qui uolet facilè obſeruare poterit, Varias quoq; ſpecies in fimarijs, tectisq; ſtramineis, lignis putridis, uarijsq; arboribus, nec non ſaxis eſt inuenire. Porphyrius fungos & tubera deorum filios appellat, quòd nimirũ ſine ſemine uidentur prodire. Vnde & γηγενὲς Poëtę uocãt, hoc eſt, terra natos, quorum ſcilicet pater aut ſemen ſit ignotum. Varia præterea ipſis nomina à forma & loco etiam tribuuntur. Nonnulli enim Spongioli, à raritate, alij Porriginoſi, à craſſitie & rugoſitate, aliqui Digitelli, à longitudine, quidam Seſſiles: rurſus ſunt quos Spinulos, Cardeolos & Prunulos appellant, qui ſunt innocentiſſimi. *Fungorũ uaria genera. Spõgioli. Porriginoſi. Digitelli. Seſſiles. Spinuli. Cardeolũ Prunuli.*

Monſtrant & Pharmacopolæ in ſuis Officinis Fungos, quos Boletos & Ceruinos fungos, ſeu Ceruiboletos uocant, quos in ſyluis ex ceruorum *Ceruinus fungus Ceruiboletus.*

ceruorum ſemine enaſci,& Venerem ſtimulare comminiſcũtur: quod C utrunq; falſum eſſe conſtat, cùm & ijs locis, quos certũ ſit ceruos non adire, naſcantur, præterea cùm natura ijs ſit Veneri contraria, frigida nimirum & pituitoſa, cruda, & noxia.

TEMPERAMENTVM.

Fungorum omnium natura eſt ſtrangulare. Qui in cibos ueniunt idem faciunt, niſi bene cocti & conditi fuerint, ægrè autem concoquũtur. Temperamentum ijs frigidum, pituitoſum, humidum & crudum.

VIRES, INTRINSECVS.

Agarici candidi ad omnes penè internas membrarum adfectiones, ex uitioſis humoribus ortas, eſt plurimus uſus, utiliterq; cuiuis, uel in uino, uel in mulſa, pro affectus, ætatisq;, & uirium ratione, præberi poteſt. Drachmæ uerò pondere Dioſcorides dandum præſcribit. Paulus Aegineta duarum drachmarum quantitate cum melicrato. At Meſue, cuius commodior uidetur cõfectio, tuſum Agaricum in uino forti imbuendum docet, drachmis Agarici quatuor una Zinziberis tuſi addita, & cunctis inuicem temperatis ſiccatisq;. Alij trochiſcos inde formant, aut pilulas, ijs utentes. Traguseiuſmodi cõpoſitionem oſtendit: Recipe Agarici cum Zingibere præparati, ut antè dictum eſt, drachmas duas, medullæ candidæ & fungoſæ Colocynthidis peregrinæ, tuſæ, ſemidrachmam, Maſtiches tuſæ ſemidrachmam, croci tuſi oboli põdus, Aloëpatici tuſi unciam unam: Singulis in uino bono ſub- D actis, fiat maſſa, ex qua 11. aut 13. plus minúſue, pilulæ, piſi quantitate, una uice ſumantur. Conferunt hæ pilulæ ſecoris, pulmonis, & lienis affectionibus, hydropicis item & ictericis, colica quoq; infeſtatis et dyſureticis. Pallidis item mulierculis, quibusq; menſes ſunt impediti, Podagricis articulorumq; doloribus. Eædem pilulæ uitioſos humores, è quibus putridæ naſcuntur febres, per ſedes educunt. Vermes corporis & alia intra corpus noxia ſumpta, dictæ pilulæ, aut agaricum per ſe, expellunt.

Qui fungos ederit noxios, ſtrangulationem inferentes, Agaricum drachmæ pondere ex uino tuſum, aut dictas pilulas, ſumat. Fungorũ remedia, ſi quis aut plures quàm par ſit, aut noxios ederit, Dioſcorides alijq; docent: Vomitu primùm ſuccurrendum, hinc oxymel bibet, aut gallinacea oua cum poſca, adiecta Ariſtolochia drachma. Aut Abſinthium ex uino melleq; ſumptum, & ex aqua potũ. Liguſticum quoq;, aut radix Angelicæ tuſa, ex uino.

EXTRINSECVS.

Extra corpus exiguus fungorum eſt uſus. Qui ſambuco adnaſcuntur, tumores & inflammationes ex aqua roſacea & uino impoſiti ſedare feruntur. Ouati antiquis damnis exiccandis & ſanandis conferunt. Rubri muſcarij cum lacte muſcas perimunt.

Qui

A Qui arboribus adnaſcuntur ad ignarios uſus coquuntur, ignem enim ſemel conceptum non facilè relinquunt. Coquuntur autem in lixiuio, hinc ſiccati pulſantur ut molleſcant, ac denuò ex aqua cum nitro coquuntur.

## MVSCVS. Mooß.

MVſcus, Græcis βρύον, Ger. Mooß/ Officinis Vſnea. Huius plures ſunt ſpecies: alius enim in arboribus naſcitur, quem Officinæ Vſneam uocãt, Germa. Baummooß/ Alius in lapidibus, alius in hortis & ſyluis. Nihilq; eſt aliud quàm uilloſum quoddam excrementũ, uel arborum, uel terræ, uel lapidum. Muſcus. Bryon. Vſnea.

Prẹfert Dioſcorides Cedrinum, cui proximus populeus, in quo genere candidus & odoratus præſtat, nigricans improbatur.

Qui in ſyluis & locis uliginoſis naſcitur, præcipuæ eſt æſtimationis apud agyrtas & magos, ex quo enaſcitur flos capillaceus, Polytrichon uidelicet Apuleĩ, Germa. Widerthon.

Alius quoq; eſt Muſcus terreſtris dictus/ Germa. Beerlap. Muſcus item marinus, cuius meminit Dioſcorides libro quarto. Muſcus marinus.

Præterea res eſt quædam odorifera, quam Muſcũ appellant, Germa. Biſem. Sed hæc non eſt arborum canicies, ſed Indici cuiuſdam animalis, Capreæ ſimilis, quotannis ex umbilici uomica promanans, quo tempore & pabulo & potu fera abſtinet. De quo uide plura apud Aëtium, deinde apud Ruell. lib. 1. cap. 27. odoratum pus, propriè Moſchum dictum. Animal illud ex quo Moſchus odoratus colligitur, Gazellam Barbaris dici Hermolaus ait. Moſchus Biſem. Gazella.

### TEMPERAMENTVM.

Omnibus natura eſt contrahendi. Præfertur autem reliquis candidus, qui in cedro naſcitur arbore, proximus qui in quercu. Natura ĩjs reſoluendi, aperiendi, & molliendi.

### VIRES, INTRINSECVS.

Muſcus candidus, odoratus ſemidrachmæ pondere ĩjs qui difficulter urinam reddunt, datur. Drachmæ uerò pondere ĩjs quibus menſes impediuntur, ut Auicenna eſt autor. Hydropicis trium drachmarũ pondere datus, aquam intercutem pellit, ut idem ſcribit. Idem medicamentum confert mulieribus, quæ mortuos habent fœtus in utero.

Album Muſcum in uino aliquot dies imbutum, ſi uinũ illud bibat, in profundũ hominem ſomnum inducere tradit Serapio. Idem uinum mediocriter ſumptũ, ſingultib. & uomitionib. prodeſt, ac uentriculo confert.

Decoctum Muſci uuluæ doloribus, Dioſcoride teſte, inſeſſu eſt utile. Ad ſanguinem ſiſtendum Empirici hodie muſco utuntur, ab urſis ſumpto experimento, qui uulnerati, muſco ſanguinem ſiſtunt. Qui in hortorum graminibus naſcitur muſcus, cinere, extincto tamē prius, hoc eſt, ex quo lixiuium prius fuit confectum, menſe Martio inſperſo aboletur.

## VISCVM.

VIſcum, Græcis ἱξός. Germa. **Miſtel/ Affolter.** Nemini non eſt notum, ut ſuperflua ſit eius deſcriptio. Propria ſede carens in aliena uiuit. Satum autem non prouenit. Vnde Verg. Quod non ſua ſeminat arbos. Per auium autem aluum redditum prouenire aiunt. Vnde Plautus: Ipſa ſibi auis mortem creat, cùm Viſcum ferat, quo poſtmodum ab aucupibus capiatur. D

Naſcitur in arboribus, præſertim quercu, necnon pyro pomoq;, perpetua uirens coma, ramulis lentis & inuicem complicatis, folio & colore buxi, acinis candidis. Quæ uetterum de hoc fuerint ſuperſtitiones, quantaq; in decerpendo religio, Vide apud Tragum capite de Viſco, parte tertia, capite tertio.

### TEMPERAMENTVM.

Temperaturæ eſt mediæ: neq; nimis calidum, neq; nimis frigidum: plus habet humidæ quàm terrenæ aut ſiccæ ſubſtantiæ. Tumores diſcutit & mollit.

### VIRES, INTRINSECVS.

Viſcum quernum, coryli item & pyri arboris, quod terram non attigerit, tuſum ex uino potum, comitialibus mederi ferunt, qua de cauſa nō nulli puerorum collo, filo tranſmiſſo, alligant, aut argento etiam includunt.

### EXTRINSECVS.

Succus ex Viſco uiridi qualicunque exemptus, & auribus infuſus, parotidas diſcutit & mollit, dolorem item ſedat. Tuſum & illitum uiſcum tubercula aurium pellit. Cum thure antiqua hulcera purgat & ſanat. Cum calce inextincta tuſum & illitum, lienem conſumit:

A consumit: Dictis si fæx uini addatur, scabros ungues polit. Iumenta, in pabulo datum, nutrire aiunt, bonumq; ijs habitum inducere. Fit ex hoc Viscum, eodem nomine appellatum, German. Vogelleim/quo aues capiuntur. Fit autem ex baccis immaturis, hoc est, uiridibus, nondum candidis, quæ messis tempore colliguntur, deinde siccantur, & aridæ tunduntur, ac conditæ in aqua putrescunt, duodecim ferè diebus. Inde in profluente rursus malleo tusi, corticibus amissis, interiore carne lentescunt.

## ARBVTVS.

Κόμαρος. Memecylos.

### NOMINA ET DESCRIPTIO.

B

ARbutum Latini uocant, quam Græci, teste Plinio, Comaron & Memecylon. Arbor, describente Dioscoride, est Cotoneæ malo non dissimilis, folio tenui, cuius fructus pruni magnitudinem implet, nullo intus nucleo. Fructus eius eodem cum arbore nomine, Memecylos uidelicet, appellatur, qui maturus flauet aut rubescit, esu acetosus. Plinius autem lib. 15. cap. 24. fructum eius Vnedonem uocat. Vnedo, inquiens, pomum inhonorum, ut cui nomen ex argumento sit, unũ tantùm edendi, duobus tamen hoc nominibus appellãt Græci, ex quo apparet totidem esse genera & apud nos: alio nomine Arbutus dicit. Ex quo loco Plinij constat, Plinium similitudine quadam deceptum diuersas arbores confudisse. Siquidem Vnedo nõ est fructus Arbuti, sed alterius quæ Epimelis Græcis dicitur, ut Galenus lib. 6. Pharm. simp. scribit. Epimelis, inquiens, acerba planta est, & ut dicere possis, syluestris malus, cuius fructus ἀνεδώνη in Italia appellatur, ac plurimum in Calabria nascitur: fructus eius acerbus, stomacho incõmodus, & caput dolore grauans. Vnde liquet. Vnedonem propriè fructum esse Epimelidis arboris: Arbuti uerò fructum esse Memecylon. Plinius itaq; uel ab alijs Græcis sua hæc descripsit, uel ex facultatis quadam conuenientia inter utrasq; arbores falsus, eandem credidit esse Comaron & Vnedonem.

### TEMPERAMENTVM ET VIRES.

Comaros qualitatis est acerbæ. Stomacho, Dioscoride testimonio, aduersatur, capitis dolorem mouet. Quod idem Galenus etiã perhibet.

# ANAGYRIS.

Acopos. Malua terrestris.
Lignum putidum. Stinckend baum.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

Anagyris. Acopos. Malua terrestris. Lignum putidum.

ANagyris Plinio frutex dicitur, quẽ alĩ uocant Acopon. Hodie Malua terrestris, quòd instar maluæ humi iaceat. Rusticis Galliæ Lignum putidum, à fœtore, sicut Germa. Stinckend baum.

Fruticat arboris instar, foliis & ramis uiticis, odore fœdo, flore Brassicæ, Siliqua terete, qua semen continetur renibus simile, cum messibus matureſcens, uarium, rotundum, solidum. Notum est prouerbium ab odore fruticis huius factũ, ἀνάγυρίν κινεῖ, hoc est, Anagyrin mouet.

TEMPERAMENTVM.

Facultate discutiẽdi & molliẽdi est prędita.

VIRES, INTRINSECVS.

Folia drachmæ pondere bibuntur, si emortuus fœtus hæreat, & mẽses ac secũdæ morentur. Suspiriosis eodem modo prosunt. In uetere uino ad phalangiorum morsus, & capitis dolores, cõferũt. Semen cõmanducatum uomitiones facit.

Lentiscus.

EXTRINSECVS.

Tenera folia illitu collectiones tumoresq; reprimunt. Difficulter parientibus eadem alligantur. Radicis cortex discutiendis concoquendisq; adhibetur.

# LENTISCVS. σχῖνος.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

LEntiscus, q̃liquore quodã lentescat, nomen accepit: nã ubiq; resinam sudat, Græcis σχῖνος uocat. Germ. & Offici. arbor incognita.

Arbor est roboris magnitudine, Sorbi folio, Terebinthi odore, acinis syluestris punicæ, rubentibus, ubi maturuerint nigris, tantisper dum coquuntur rubris. Flo

ret

A ret anno ter, fronde uirens perpetua. Vnde Ciceronis extant uersus:

*Iam uerò semper uiridis, semperq; grauata*
*Lentiscus, triplici solita est grandescere fœtu,*
*Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi.*

Arbor est resinifera, ubiq; resinam sudans: ex qua etiam Mastiche dicta colligitur: sed eam tantùm in Chio Insula fundit. Oleum ex fructu eius conficitur, quod Lentiscinum uocant. Plinius aliam describit Lentiscum præter hanc, folio Pistacij, sed minore, per extremitatem rubente, in summo siliquæ pisorum, sed corniculi modo intortæ, in quibus resina iucundi odoris continetur. *Mastiche* *Oleũ Lentiscinum.*

## TEMPERAMENTVM.

Adstringendi uires Lentisci semen, folia, rami, cortex, & radix possident.

Mastiche calida est cum humore quodam, ut autor est Aëtius. Oleum quod è semine fit, adstringendi quoq; ui est præditum, & refrigerandi.

## VIRES, INTRINSECVS.

Eadem est semini, foliis, cortici & radici facultas. Potu ualet aduersus omnes sanguinis reiectiones, alui profluuia, & dysenterias: contra
B sanguinis item eruptiones in uulua, & sedis aut matricis procidentiã: Per omnia autem Acaciæ & Hypocisthides uicem sustinet. Resina quæ Mastiche dicitur, stomachi, intestinorum, epatisq; imbecillitati prodest. *Mastiche*

Oleum Mastichinum, quod è trita fit Mastiche, mediocriter calfacit, adstringit & emollit. *Mastichinum oleũ*

Resina Lentiscina utilis est sanguinem reijcientibus, & tussi ueteri, stomacho auxiliatur, sed ructum mouet. *Resina Lentiscina.*

## EXTRINSECVS.

Decoctum Lentisci fotu caua explet, & ossa ferruminat, uuluæ fluxus sistit, nomas arcet. Mobiles dentes collutione firmat.

Oleum Mastichinum aduersus prominentes stomachi duritias, ecce *ol. Mast.*
lia corũ dysentericorumq; cruciatus est utile. Faciei maculas extergit, & colorem eiusdem corrigit.

Oleum Lentiscinum scabiem iumentorum canumq; sanat: utilissimum est pessis, acopis, & leprarum medicamentis: sudores ciet. *ol. Lentiscinum*

## SILIQVA. Κεράτια.

Ξυλοκέρατα. Fructus.

S. Joannes broot.

NOMINA ET DESCRIPTIO. C

Xyloca racta.

SIliqua arbor à siliquis quas fert nomen est sortita, nobis incognita, sed fructus eius ad nos adferuntur. Arborem Græci κερατιαν & fructum eius ξυλοκέρατα appellãt. Officin. corruptè Xylocaracta fructum uocant. German. S. Joannes brot. Arbor est siliquas ferens, digitorum hominis longitudine, falcatos, pollicari crassitudine, in quibus semen, quod neq; caro neq; lignum, neq; cartilago dici potest. Siliquæ ipsæ, quamuis lignosæ, dulcedine tamen cibis expetuntur. Semen in siliquis damnatur, ipsæ autem siliquæ sunt dulces. Seritur Februario & Nouẽbri planta potissimùm: semine quoq;, sed minus feliciter: nullum enim fructum fert, breuiq; moritur. Loca amat maritima, sicca, calida, & D campestria.

TEMPERAMENTVM.

Vim habent diureticam & laxatiuam.

VIRES, INTRINSECVS.

In medicina exiguus earum est usus. Ad stomachum fulciendum post cœnam commendantur, ad uentris item profluuia, si quis præsumpserit. Recentes siliquæ stomacho inutiles, aluum soluunt. Eędem siccatæ sistunt, & stomacho utiliores fiunt. Vrinam cient: maximè uerò quæ uinaceis condiuntur, ut tradit Dioscorides.

## RHVS, SVMACH.

Rhus rubrum, obsoniorũ. Sumach.

RHus quod aliàs rubrum uocant, & obsoniorum, quòd obsoniis adspergatur, Græcis ἐρυθρὸς ἢ ὀψαρικός, Gaza fluidam in Theophrasto reddit, à ῥέω, id est, fluo, Officinæ Sumach cum Barbaris uocant.

Byrsodepsicon.

Duo faciunt huius genera: alterum quod ad obsonia uenit: alterum Byrsodepsicon: quoniam qui pelles condepsant, spissandis corijs folio eius utuntur.

• Arbuscula

A Rhus, Sumach.

Arbuſcula eſt, Dioſcoride depingente, binûm cubitorum altitudine, foliis oblongis, modiceq; rutilis, ſeratimq; per oras inciſis, acino uuarum gracilium, denſo, magnitudine terebinthi, latiuſculo, corticea racemorum tunica. Semen obſoniis adſpergitur.

Ruellius deſcribit fruticem in mõtibus & petroſis Galliæ naſcentem, ramulis digitali craſſitudine, bicubitalibus, foliis ulmeis, piloſioribus, quæ paribus internodiis, aduerſis pediculis coniugatim adhærent, per ambitum minutiſſimè ſerrata. Flos albus racematim enaſcitur, eoq; marceſcente acini oſtenduntur in uuam congeſti, grano lentis magnitudine, latiuſculo, & uelut leniter utrinq; compreſſo, cùm ématuruit rubro, radice per ſumma ceſpitum uagante, flexu ferè inuictam. Hanc Gallis Viurnam dici ſcribit. Ac uel Rhus eſſe ſuſpicatur, uel Viburnũ, cuius meminit Vergil. in Eclogis: *Viurna. Viburnũ.*

B *Quantum lenta ſolent inter uiburna cupreſſi.*

TEMPERAMENTVM.

Folia, teſte Dioſcoride, uim habent adſtringendi, refrigerandi q;, & Acaciæ effectus præbent.

VIRES, INTRINSECVS.

Decoctum eius dyſentericis infunditur, & in potus eorum inſeſſusq; adiicitur. Semen dyſentericorum & cœliacorum obſoniis inſpergitur.

EXTRINSECVS.

Rhus pro ſale adſpergitur obſoniis. Decoctum capillos denigrat, auribus purulentis infunditur: Folia gãgrænas & pterygia cohibent, ex aceto & melle illita. Liquamentum fit ex foliis aridis, ad craſſitudinem mellis in aqua decoctis, ad eadem ut lycium conueniens. Semen eoſdem effectus exhibet: fracta, deſquamata, liuidaq;, illitum ex aqua, ab inflammatione uindicat: Linguæ aſperitates cum melle abſtergit: Candida fœminarum profluuia ſiſtit, Hęmorrhoides ſanat, cum querno carbone intrito admotum. Aqua in qua ſemen maduit decocta, cogitur coitq;, efficacior medicinæ quàm ipſum ſemen. Gummi frutex ſtillat, quod dentium cauis, ad finiendos dolores imprimitur.

GAIACVM. Frantzoſen holtz.

NOMINA ET DESCRIPTIO. C

GAiacum seu Guaiacum gentilitio nomine dictũ. Lignum est quod hodie ad nos affertur, ad Hispanicam seu Gallicam scabiem præcipuo eius usu cognito. Vnde German. Frantzosen holtz appellant. Ebeni est species, ut hoc eruditorum cõsensus testatur: De uiribus enim cum eodem certat, sola uerò nigritia dissidet. Lignum est, primùm scabro rimosoq; uestitum cortice, materia intus ex atra rufescente, grauissima, ita ut pondere, & ligni spissitudine, in aquis non innatet, sed ilico more buxi sidat. Verùm interna pars, quæ medullacea creditur, candido ligni circulo cingitur, quo delibrato, pullities quadantenus in fuscum degenerans cernitur, hiante nonnunquam intestina materie, quę tanta duritie est prædita, ut aciem ferri respuat, nec temerè ferræ aut scobinæ limationem reformidet. Quòd si accepta est plaga, contrahit se protinus, clauditq; suum uulnus, ob id contumacius transmittit ferrum. De Hebeno uide Dioscor. lib. 1. cap. 111.

VIRES, INTRINSECVS. D

Cõmendatur ligni huius usus, nec absq; multo & certo experimento, ad morbum quem Gallicum uocant. Cuius luis genitrices primùm tradũt fuisse insulas, unde Gaiacum defertur, in quibus omnes passim hac lue corripiuntur, nec alio, nisi ligni huius, remedio morbo medentur. De ligni huius ad usum medicum apparatu, coctione, & cura eorum qui hoc curantur, Vide, præter alios, Fuchsium in libris de curandi ratione, ubi copiosè hæc ipsa exequitur.

DE

# DE NATVRA ET VIRIBVS PLANTARVM.

## AEIZOON.

### NOMINA ET DESCRIPTIO.

AEiζωoν, Latinis Semperuiuum, Græco etymo dictum, hoc nominis à reipsa impositio, perpetuò enim & hyeme & æstate uirescit, nec ulla frigoris iniuria offenditur. Sedū item & Barba Iouis, Germa. Hauſwurtz/Donderbar/Maurpfeffer. *Semperuiuum.* *Sedum.* *Barba Iouis.*

Tria huius Dioscoridi sunt genera:

Primum dictum maius, caules habet cubitales, interdum etiã maiores, pollicis crassitudine, pingues, uirentes, Characię tithymali instar, incisuras habentes: Folia pinguia, carnosa, longitudine pollicis, in cacumine linguæ similia, alia in terram resupinata, alia in capite inuicem contracta, circulo oculi figuram imitantur. Nascitur montanis & testaceis: in tectis etiam domorum seritur. Vnde nomenclaturã à Ger. Hauſwurtz accepit. Floret Maio & Iunio.

Secundum

Secundum dictum Sedum minus, Trithalles Græcis, quòd ter in anno floreat. Vulgò Vermicularis, à foliorum similitudine, quæ rotunda sunt & figuræ oualis, aut uermiculos putes. Item Crassula minor. C

Caules ab una radice exeuntes multos habet, tenues, foliis plenos rotundis, pinguibus, paruis, in summo acuminatis, caule è medio emicãte, palmi altitudine, umbellam aut flores luteos ferente. Germ. Kleyn Hauſwurtz. Nascitur in muris, macerijs uinearum, & petris, parietibusq;. Floret Maio similiter & Iunio.

Tertium genus est Aizoon sylueſtre, alijs Portulaca sylueſtris, uel Illecebra. Telephion quoq; Dioscoridi. Hodie Vermicularis minor, Germa. Katzentreublin/ Maurpfeffer/Steynpfeffer/Erdpfeffer. Nascitur locis petrosis, sepulchris umbrosis, oppidorumq; fossis, foliis pusillis & pinguibus, ad portulacæ figuram accedẽtibus, crassis, hirsutis, breuiore cacumine. Floret Maio tantũm, floribus luteis.

Quod uerò Telephium in fine secũdi sigillatim apud Dioscoridem describitur, uidetur potius, eruditorum testimonio, caput illud in fine secũdi ab alio quopiam adiectum. Hanc itaq; tertiam speciem Aizoi, uerum Telephium, ut à Dioscoride etiam appellatur, credimus. Qui uerò caput in fine secundi Dioscoridis esse uolunt, faciunt Telephion eò loci herbã, quæ uulgò Illecebra, Germa. Fotzwein/Wundkraut appellatur. D

TEMPERAMENTVM.

Prima duo genera frigida sunt in tertio gradu, & in receſſu exiccãtium. Refrigerant & adstringunt. Tertium naturæ est calidæ.

VIRES, INTRINSECVS.

In febribus ardentibus alijsq; calidis fluxibus, tria, quatuôrue aquæ stillatitiæ Aizoi cochlearia sumi possunt. In alijs morbis minus est tutum. Succus, Dioſc. teste, teretes lumbricos, cum uino potus excutit.

EXTRINSECVS.

Folia per se, aut cum polenta illita, conferunt ad erysipelata, herpetas, nomas, oculorum inflammationes, ambusta & podagras. Succus aut stillatitia aqua, cum linteolo applicata, totius corporis inflammationes restinguit. Phrenesin, capiti hoc modo applicatus, sedat.

Iecoris, splenis, renum, & podagræ dolores mitigat. Omnibus in summa inflammationibus aut per se, aut igne factis, confert. Nobiliſſimum etiam ex succo Aizoi & Solani, cum porcina adipe conficitur unguentum.

TRAGVS

# TRAGVS HERBA.

Gallinariæ baccæ. Hünerbeer. Hünertrauben.

B

TRagus, Italis Pegnolla. Germa. Hünerbeer/ & Hünertreublin. Nascitur hæc herba in muris & petris, necnon uinearum macerijs, & parietibus. Scorpion & Taganon nonnullis appellari, scribit Dioscorides, maritimis locis nascens, palmum alta aut amplior, fruticosa, humilis, oblonga, sine folijs, pusillis circa ramos acinis, rufis, multis, magnitudine tritici, acuto cacumine, gustu multum adstringẽte. Esse autẽ hanc, cuius picturam exhibemus, ueram Tragum, testatur Cordus Euricius in suo Botanologico, sic scribens: Eam & ego diu antehac obseruaui, putoq; me noscere, & esse quam Dioscorides Tragum adpellat, Gustaui, & adstringentem eius uim sensi, qua eam facultate præditam, idem autor indicat: Eius nomen à mulierculis inquisiui, quæ Hünerbeer / hoc est, Gallinarias baccas appellari responderunt. Eidem sententiæ Valerius filius subscribit. Nonnulli etiam Katzentreublin nominãt, quod nomen ad Aizoum quoq; refertur. Admodum est autem similis Aizoo minori, ut multi etiam pro eodem hanc ipsam accipiant. Sed differẽtia tamen est in floribus, quos Dioscorides prætermisit. Sunt enim in Trago flores candidissimi, quos Maio & Iunio mensibus producit, in Aizoo uerò minore lutei. Gallinariæ baccæ

## TEMPERAMENTVM.

Facultas ei est adstringendi, ut gustus idipsum declarat, & Dioscorides testatur. Desiccat modicè, & uehementer refrigerat.

## VIRES, INTRINSECVS.

Racemorum acini decem ex uino poti, cœliacis & fœminis fluxũ uuluæ laborantibus auxiliantur. Tunduntur etiam à plerisq;, & in pastillos digesti ad usum asseruantur.

## EXTRINSECVS.

Prodest ad erysipelata, herpetas, omnisq; generis inflãmationes à fluxione natas.

# ANDRACHNE. PORTVLACA.

An Irachne,

C

D

Portulaca.

ANdrachne, Portulaca, Gallicè, *Pourpier, Pourchaille.* Germ. **Burgel/Burtzel/Sawburtzel/Sawbon/Grensel.** Duæ sunt huius speciesː Hortensis & Syluestris.

1. Hortensis caules habet crassos, pingues, teretes, & in altum erectos, lentè uergentes in puniceum, folia pinguia, à tergo candida, flores exiguos, luteos, semina nigra, in herbaceis calycibus contenta. Nascitur in hortis, uineis, locisq; cultis. Germa. simpliciter **Burtzelkraut.**

2. Syluestris nascitur in locis petrosis & incultis, foliis oleæ, multo tamen minoribus, numerosioribus, & tenerioribus: cauliculos habet rubentes, ab una radice multos, in terra sessiles, qui commanducati succo abundant, glutinosiq; & sapore sunt salsi, Germa. **Wild oder Ackerburtzel.** Nec est tertium Aizoi genus, ut quorundam fert opinio. Vtriusq; & folia & flores Iunio, & Iulio potissimùm sunt carpendi; semen uerò mensibus sequentibus.

TEMPERAMENTVM.

Vtraq; in tertio ordine à temperatis ac mediis refrigerat: humectat uerò in secundo.

VIRES, INTRINSECVS.

Portulacæ & folia & semen pota aut comesta, interne uentriculi, iecoris & renum inflammationi maximo sunt auxilio: dysenteriã, aliosq; alui

A alui fluxus compescunt: renum inflammationem refrigerant & confortant: urinæ ardorem pellunt: sanguinis in matrice profluuium, ficus, hæmoptysin, aridam tussim & dyspnœã tollunt. Gomorrhœan item & Veneris insomnia sistunt, sanguinis calorem mitigant, ac impudicitiã refrenant. Stomachum, in acetario sumpta, corroborant. Ad eadem omnia stillatitia aqua pollet.

EXTRINSECVS.

Folia & semen trita cum farina hordeacea, ac temporibus illita, phrenesin compescunt. Eodem modo oculorum, aliarumq; partium inflammationibus, erysipelati item, auxiliatur. Succus aut liquor Portulacæ, cum Irino oleo aut rosaceo temperatus, quietem & somnum, illitus, inducit. Pueris prę nimio calore non commodè dormientibus, cum stupa capiti illinitur, uel stillatitia interdum aqua bibenda datur. Linguæ inflammationibus, cydoniorum nuclei in Portulacæ stillatitia aqua mollefacti, commodissimè illinuntur. Idem præstat Ozimi semen, dicto modo illitum. Dentium stuporem ex acido cibo aut aliunde natum, si aqua eius os colluatur, aut folia commanducentur, corrigit. Vulneribus ad syderationem spectantibus ex polenta illinitur. Plagis sagittarum aut serpentum imposita, uenenum extrahit. Prociduum umbilicum infantium adiuuat. Pustulis cum polenta & sale, aceto & cera inungitur. Hulcera oris, & gingiuarum tumorem, commanducata cruda, sedat: mobiles
B dentes stabilit. Ceruicis dolori, cum Galla & lini semine, pari quantitate subuenit. Mammarum uitia, cum melle aut cimolia creta, emendat. Ardentibus febribus cum polenta imponitur. Podagris calidis & erysipelati, cum sale illita, medetur. Vulnerum doloribus ex oleo cum polenta illinitur. Neruorum duritiẽ emollit.

Cotyledon.

## COTYLEDON.

COtyledon Græcis, Latinis Acetabulum, item Cymbalion, à foliorum forma, quæ Acetabuli formam referunt. Latini quoq; Illecebram, Gal- *Illecebra.*
li, *Grassette*, Officinæ Crassulam maiorem uocant. Alij Fabam crassam. Nonnulli Portulacam *Crassula maior.*
maiorem, alij Scrophulariæ speciem esse uolunt. *Faba crassa.*
Germa. **Wundtkraut/Buchwurtz/Knabenkraut/Tumpenkraut/Fotzwang/Fotzwein. Fettehenne/Donnerbonen.** Orchios speciem aliqui faciunt, Testiculum uulpis appellantes, à te- *Testiculus uulpis.*
sticulorum radicis forma. Duo huius deprehenduntur genera, ex florum differentia, qui in altero cãdidi, in altero sunt purpurascentes. Folia quoq;

nonnihil differunt, quæ in candidis sunt uiridia & herbacea, in purpura- C
scente uerò nonnihil pallida. Herba est radice alba ac nodosa, testiculo-
rum effigie, multis contexta nexibus, caule, quem mense Maio emittit,
rotundo, foliis fabæ, pinguibus, succulentis, quibusdam etiam leuiter in-
cisis: florem fert Iulio & Augusto, per omnia Origano similem, inodo-
rum, stellularum formam, singulis floscul is representantibus. Sunt qui
ad Telephium hanc ipsam herbam referant, de quo in Aizoo est di-
ctum.

Alij acetabulum seu Cotyledona uolunt esse herbam quandam angu- D
loso folio, in cuius medio pediculus est, quam Germani **Nabelkraut** uo-
cant, flore paruo, purpureo. Officinis ea Vmbilicus Veneris, & Cymba-
laria dicitur, cuius figuram cernis appositam. Non parum autem hæc i-
psa ab acetabuli descriptione abest.

*Vmbilicus Veneris.*

*Cymbalaria.*

### TEMPERAMENTVM.

Folia ipsa frigidæ ac humidæ sunt qualitatis. Radix modicè est cali-
da: Symphyti penè temperamento. Glutinandis uulneribus non incon-
ueniens.

### VIRES, INTRINSECVS.

Liquor stillatitius Cotyledonis perutilis est internis uentriculi, pul-
monis, iecoris, matricis, & intestinorum uitijs: ruptis per aliquot dies
pota medetur: nec non intestinorum ex dysenteria exulcerationi. Radix
cum melle in uino cocta, eosdem habet effectus.

### EXTRINSECVS.

Herba ipsa ad uulnera glutinanda mirè est efficax. Tusa sanguinem
ex uulneribus manantem sistit. Ramices puerorum sanari, si intra pueri
ipsius pedes herba in horto in terram plantata radices egerit, superstitio-
sum uulgus credit.

## RHODIA RADIX.

**Rosenwurtz.**

Rhodia,

A

RHodia, Græcis Radix, quasi dicas Rosea, German. **Rosenwurtz**/quòd trita rosas redolet. Gallicè, *Racine sentant la rose*. Officinis ignota. Dioscorides radicem solùm describit, reliquam formam ex aliorum obseruatione licebit sumere. Radix itaq; Costo nascit similis, leuior tamen, minorisq; ponderis, & inæqualis, odorem rosarum cùm teritur reddens. Folia uerò, caules, flores & semina, Portulacæ seu maiori crassulæ similia, ut Valerius Cordus & Georgius Agricola se testantur obseruasse, producit. Radici Dioscoridis descriptio per omnia conuenit, ut absq; omni dubio sit ea, quam uocamus **Rosenwurtz**. Copiosè nascitur in Alpibus circa Saltzenburgum.

TEMPERAMENTVM.

B Galenus calidam in secũdo, aut initio tertij ordinis scribit: quod temperamentum ex uiribus quas ei Dioscorides attribuit, non cognita radice, Galenum collegisse, Valerius Cordus existimat. Constat autem ex cõtrarijs qualitatibus, humida & calida, scilicet terrea & frigida, ut ex odore & sapore facilè patet. Nam odore, sapore & colore omnino rosas radix hæc imitatur.

VIRES, INTRINSECVS.

Capitis doloribus, si madefacta cum modico rosaceo fronti & temporibus apponatur, est utilis. Omnes in summa cum rosa facultates possidet.

## CHAMAEDRYS.

NOMINA ET DESCRIPTIO.

CHamædrys quasi humilis quercus. Vnde etiam quercula minor appellatur. Latinis Trixago, seu Trissago. Vulgò etiam Serratula, à foliorum incisuris. Nonnullis Teucrion, ob similitudinem quam cum Teucrio habet, Germa. **kleyn Bathengel**. Galli, *Chesnette, ou Germandree*. Est autem duplex: uera & uulgaris. Vera est, cuius descriptionem ponit Dioscorides. Locis nascitur petrosis & asperis. Frutex ipse dodrantalis, folia habens exigua, forma & diuisura quercus, flore paruo, penè purpureo. Carpitur semine prægnans. Hodie paucis admodum Pharmacopolis cognita. Hanc ipsam tamen ab Italo quodam acceptam in horto suo

*Quercula minor. Trissago.*

*Chamædrys uera*

Chamædrys.

2. Chamædrys uulgaris.

fouet Ioannes Frenfrebius, Pharmacopola Moguntinensis, ut est diligens harum rerum obseruator & inquisitor: per omnia referentem & forma & sapore folia quercus, adeò ut nemo eam ueram esse Chamædryn possit ambigere. C

Chamædrys uerò uulgaris, qua plerique Pharmacopolæ utuntur, descriptione ab hac est diuersa, ac German. **Gamander/ Blamanderle/** dicitur. Estq; eadem duplex: Altera mas, Germa. **Erdweirauch/** Altera fœmina, German. **Gamanderle/ Blawmanderle.** Nascitur locis aridis, folio per omnia Scordij, amaro, radice longa, tenui, lignea.

D

## TEMPERAMENTVM.

Omnia Chamædrys genera calida sunt & sicca in ordine tertio. Quę nostris tamen Germaniæ locis nascuntur, non usq; adeò, ob loci frigidiorem naturam, calfaciunt & exiccant.

## VIRES, INTRINSECVS.

Chamædrys uiribus à Betonica parum differt. Vtraq; in uino uel aqua

A aqua decocta, colata & cum melle uel saccharo temperata, contra tussim, recentem hydropisin, splenem induratum, stranguriam & urinæ difficultatem est efficax. Idem decoctum uenena expellit, menses ciet, frigidis præsertim mulieribus, quæ albo infestantur fluxu, utile. Reliquas cum Betonica uirtutes communes obtinet.

EXTRINSECVS.

Insessu album fœminarum fluxum, & matricis affectiones sedat. Cum aqua cocta salsa uel aceto, cum fermẽto subacta, eructationes stomachi, & uomitus ex frigore natos, illita sedat. Destillationes capitis puluis eius cum nigellæ semine pari quantitate in sacculo capiti calidus impositus cohibet. Cum aceto, uino, melle uel oleo uulneribus auxiliantur. Furfures, & squamas capitis ac superciliorum, cum lupini farina per acetum & aquam salsam colata pellunt. Ad omnia in summa & hæc & sequens herba, ad quæ Betonica sumi potest: ad decoctiones, potus confectiones, olea, emplastra, balnea, uel desessiones.

## TEVCRION.

TEucrion Græcis pariter & Latinis, Germa. groß Bathengel/ Officinis incognita. Chamædrys item appellatur, ob similitudinem, quam cum Chamædry habet, illi enim est simillima, nisi quòd est maior. Vnde etiã Germ. Groß Bathengel nominatur, sicut Chamædrys kleyn Bathengel. Ac rursus Chamædrys Teucrion plerisq; ob similitudinem dicitur & existimatur. Herba est, Dioscoride describente, Chamædry similis, folio tenui, à Cicere non multum alieno. In Germania non nisi sata prouenit. Florem sicut Chamædrys, Iunio Iulioq; mense, ac inde semen profert.

Chamædrys.

B

TEMPERAMENTVM.

Calfacit in secundo, exiccat uerò in tertio ordine. Vim incidendi habet, tenuiumq; est partium, Galeno teste.

VIRES, INTRINSECVS.

Teucrion uiride in posca, aut aridum decoctũ ac haustum, lienem potenter minuit.

EXTRINSECVS.

Lienosis cum ficubus & aceto illinitur. Venenatorum autem morsibus cum aceto, sine ficubus. Vulneribus quoq; cum aceto, aut si neque at tolerari, ex fico uel aqua.

# VERONICA.

C

1. Veronica mas.

Herba tunici. Serpentina. Teucrio.

2. Veronica fœmina.

Sedum agreste.

VEronica, à rege quodam Galliæ sic dicta, ut Brunschuigius asserit. Germa. **Ærenbreiß/Grundheyl.** Gallis, *L' herbe aux Ladres.* Duo sunt eius genera: Mas & fœmina. Mas per terram serpit, cauliculo dodrantali, nonnunquam longiore, rubescente & lanuginoso, foliis oblongis, nigris, hirsutis & serratis, floribus in summo purpureis, semine in uasculis loculorum formã habentibus, radice tenui. Vulgò appellant Herbã tunici, & Serpentinã. Germ. **Ærenbreiß/mãnlin.** Tragus speciem esse Chamędrys asserit, ac in Teucrio Dioscor. lib. 3. describi. Hanc cum sale tritam, tussi pecorum mirè conferre pastores tradunt.

Veronica fœmina caule item per terrã serpit lanuginoso, foliis rotundis, instar centummorbiæ aut numulariæ, minimè in ambitu incisis, paulò quàm maris uiridioribus: floribus in luteo purpureis: semine in uasculis rotundis: radice tenui, sicut mas. Germ. **Ærenbreiß weible / Grundtheyl weible.** Veteribus Sedum agreste, ob similitudinem, quam cum ea herba habet, est dicta. Vtraq; locis nascitur incultis & syluestribus. Floret Iunio, & semine est prægnans.

D

### TEMPERAMENTVM.

Naturæ est calidæ & siccæ, amaritudinem enim quandam & adstrictionem in gustu præ se fert.

### VIRES, INTRINSECVS.

In uino imbuta & distillata, ʒ. j s. uel ij. pondere, cum theriaca modica sumpta, febribus pestilentialibus præsentissimũ est remedium: uenenum nanq; ac malos humores à corde pellit, et

per

A per ſudores educit. Idẽ præſtat decoctio herbæ in uino: iecoris itẽ ac lienis pulmonisq; obſtructionibus ſubuenit. Aqua Veronicæ ſtillatitia, per aliquot dies unciæ unius ſemis aut duarum pondere pota, uertiginem pellit, memoriam adiuuat, lentos & uiſcoſos humores diſcutit, ſanguinem purgat, matricem item ac ueſicam: ſudores, uenena, calculum renum, omniaq; intra corpus uenena expellit. Eadem aqua duarum unciarum, uel ʒ.ij.s. pondere, cum drachma pulueris foliorum Veronicæ, & drachma corticis mediĳ amaræ dulcis, mixta & pota per dies aliquot, pulmonis uiſcoſitatem diſcutit, pectus per eiectiones purgat, tuſſim, dyſpnœam & pulmonis uitia ſanat. Vnde cum ſale à paſtoribus contra tuſſim pecori datur.

EXTRINSECVS.

Herba Veronicæ in aceto trita, uel in eodem cocta, lienem induratum impoſita mollit. Drachma chalcitidis tuſa, & in aqua Veronicæ reſoluta, omnia putrida hulcera, cutis uitia, ſcabiem, ſerpiginem, papulas & pſoram, ſi ea abluantur, purgat ac ſanat. Idem præſtat ſuccus, aut per ſe aut cum alumine. Galliæ regem elephantię morbo correptum, huius herbæ beneficio à quodam uenatore curatum eſſe ferunt, idq; hoc inditio, quòd is ceruum à lupo uulneratum, eius herbæ comeſtione, & aſſidua in ea uolutatione, curaſſe ſe ipſum animaduerterat.

B

## XYRIS.

XYris non eſt alia quàm quæ Officinis Sphatula fœtida dicitur. Sphatulâ uerò à gladioli forma, quam folia referunt, Spatha enim gladium ſignificat. Sunt tamen qui negent eſſe Xyrim. Germanis **Wandleußkraut**/ à necandis cimicibus. Gallicè, *Sphatule puante*. Folia habet Iridis, latiora, & in turbinem mucronata, quorum è medio caulis erumpit craſſus, cubitalis, ex quo ſiliquæ triangulares depẽdent, in quibus flos purpureus, in medio puniceus, ſemen in folliculis, ſimile fabis, rotundum, rubrum, acre. Radix longa, geniculata, rufa. *Sphatula fœtida.*

TEMPERAMENTVM.

Calfactoriam deſiccatoriamq; qualitatem obtinet. Acris enim eſt uehementer, & adſtringens.

VIRES, EXTRINSECVS.

Expreſſus ſuccus manantem ſcabiem & ſerpiginem, papulasq; illitus ſanat. Vim habet corrodendi & aperiendi.

## ARCION.

Personata. Prosopiō.

Lappa maior. Bardana.

Ακειον, Personata Latinis, Græcis προσώπιον ἢ προσωπίς, quòd in theatris uultus eorum qui nolebant cognosci, huius foliis uelabantur. Officinis Lappa maior, Vulgò Bardana, Germa. Groß Klett/ad differentiam minoris, Gallicè, *Gleteron*, *Napolier*. Folia habet cucurbitæ, maiora tamen, duriora, nigriora, & hirsuta: parte auersa herbida, aduersa cana, caulem in purpureo albicantem, interdum nullum, radicem grandē, intus candidam, foris nigram. Nascitur passim, circa prata maximè & agros, lappas mense Iulio cum floribus suis producens.

TEMPERAMENTVM.

Digerit, desiccat & adstringit mediocriter, teste Galeno.

VIRES, INTRINSECVS.

Radix, teste Dioscor. drachmæ D pondere cum pineis nucibus pota, sanguinem & purulenta excreantibus auxiliatur. Succus cum uino ueteri in potionem datus, omnes morsus serpentum mirificè sanat. Succus foliorum cum melle potus, urinam prouocat, & uesicæ dolorem tollit. Ischiadicis puluis seminis eius cum uino optimo per quadraginta dies datus prodest.

EXTRINSECVS.

Recentia folia uetustis hulceribus utiliter illinuntur: calorē nanq; restinguunt & dolorem mitigant. Luxatis & confractis membris impositа folia prosunt. Nonnulli capillos huius semine, adiecto nitro, flauos & nitidos faciunt. Folia febricitanti apposita, febrem mitigant, & calorem sanant.

Decoctum foliorum eius cum nitro, axungia, & aceto mixtum & tritum, uulneribus illitum & impositum, ea curat, uulneribus decocto primùm lotis & purgatis. Rabidorum canum morsus, trita cum modico sale radix illita, sanat.

## XANTHION.

NOMINA

NOMINA ET DESCRIPTIO.

B

XAnthion effectu dictũ, quòd flauos capillos efficiat: ξανθὸς siquidem flauum Græcis significat. Lappa minor, et Lappa inuersa uulgò. Germa. **Klein Kletten/Bettlers leuß/Bůbenleuß/Igelskletten**. Galli. *Gratteron tenant aux robbes*. Pinguibus prouenit locis, circa sepes item, aliaq; loca, præsertim ubi pecora agunt. Caulem Dioscoridi fert cubitalem, pinguem, angulosum, alasq; in ipso multas: folium Atriplicis incisura, mollia & cinericea, Altheæ foliorum instar, odore nasturtij, semine rotundo, ceu grandiore oliua, spinoso, platani pilula, uestibus tenacitate sua adhærente. De huius fructu naturæ proditur miraculum. Maturæ enim Lappæ eius apertæ in se duo ordei grana continent, quæ fœcunditatem designare ferunt: uel auenacea duo, quæ annonæ caritatem designant.

*Lappa minor.*

*Lappa inuersa.*

TEMPERAMENTVM.

Xanthion calfaciendi & exiccandi qualitatem obtinet.

VIRES, EXTRINSECVS.

Fructus, Dioscoride teste, antequam penitus inarescat, collectus, tussus, & in fictili uase repositus, capillos flauos reddit, si quis usu postulante tribly i ex eo pondus sumat, tepidaq; madefaciens aqua, nitro prius capite præparato, illinat. Alij cum uino tusum reponunt. Fructus tumoribus utiliter illinitur.

## TRIBVLVS.

TRibulus ex Cardui est genere, cuius duas facit Dioscorides species: terrestrem & palustrem.

Tribulus terrestris folia Dioscoridi habet Portulacæ, tenuiora tamen, ramos in terra iacentes, exiguos, iuxta quos spinæ difficiles, præduræ. Nascitur secundum fluuios & in ruderibus. Putatur nonnullis ea quam Germa. uocant **Wegdorn**. Ignota tamen uidetur nostris Germaniæ locis.

1. *Tribulus terrestris.*

Tribulus aquaticus in palustribus nascitur, utpote limosis & stagnantibus fluuijs. Ger. **Wassernuß/Weihernuß/Seenuß/Stachelnuß/Spitznuß.**

2. *Tribulus aquaticus.*

**Spitznuß**. Gallicè, *Macres*. Folium fert ad effigiem Vlmi, coma duntaxat extra aquam extante, pediculo longo, caule cacuminibus craſſiore quàm ima parte, capillamenta fert ſpicacea: fructum fert aculeatum, cauum, nigrum, tria cornua ſiue aculeos habentem.

3. Tribulus ſyluestris. Lappula căpestris.

Præterea tertia tribuli inuenitur ſpecies, in agris inter ſegetes naſcens, Germa. **Feldkletten/Ackerkletten**/Latinis Tribulus ſyluestris, Lappula campeſtris, Cuius Virg. Georg. 1. mentionem facit, quorundam ſententia, cùm inquit: Intereunt ſegetes, ſubit aſpera ſylua, Lappæq; tribuliq;.

Caulem fert rotundum, cubitalem, ramulis diuiſum, Coriani formâ, floſculis albis, coronæ formam referentibus, aceris modo, exterioribus interiores magnitudine & latitudine uincentibus, qui cùm deciderint, lappulæ prodeunt binæ, latæ, aculeatæ, rotundæ, cimicum aſpectu, præterèuntium ueſtibus adhærentes. Plura de hac apud autores non conſtant.

TEMPERAMENTVM.

Tribulum utrunq;, terreſtrem ſcilicet & aquaticũ, refrigerandi & ſpiſſandi naturam obtinere, tradit Dioſcorides. Tertiam ſpeciem, Tribulum ſeu Lappulam ſyluestrem, cum reliquis lapparum ſpeciebus par temperamentum obtinere, eſt ueriſimile.

VIRES

VIRES, INTRINSECVS.

Drachma terrestris tribuli pota, illitáue, ictos à uipera Dioscoridi recreat: contra uenena cum uino aptissimè bibitur. Idem, siue etiam semen recens potum, calculosis medetur.

EXTRINSECVS.

Folia imposita tumores sedant, dolorem mitigant. In mulso decocta, hulcera oris, tonsillas, putredines, gingiuasq; perlanant. Succus oculorū medicinis adhibetur.

De Tribulo aquatico, Baptista Fiera hunc in modum:

*Tribule in undosis si nate paludibus erras,*
*Cur tamen tratæ cornua frontis habes?*
*Secretas tutamur opes: sub cortice dulcis*
*Esca latet, dulce hoc nec nisi ab igne datur.*
*Et mihi ab æthereo numerosa potentia rore:*
*Me maris & cœli prouida cura fouet.*
*Languentes uereor fauces: me mandere lumbus*
*Discupit, urina huic cùm nocuitue lapis.*
*Ex me mica iuuat: grauidas sed contrahit aluos.*
*Me miserum: mortis dos mea causa mihi.*

B

## CNICVS.

CNicus Græcis, uel Cnicus hortensis, ad syluestris Cnici differentiam, de quo in atractylide dicitur, Latinis Cnecus. Officinis Cartamus hortensis, & Crocus hortensis. German. **Garten Saffran / wild Gartē Saffran** / Similiter ad Cartami seu Cnici syluestris discrimen, quē Germa. **wild Feldsaffrā** nominant. Nascit in hortis & agris satus, folijs angustis et longiusculis, incisuris diuisis, asperis, & aculeatis, caules habet bicubitales, in qbus capita oliuæ magnitudine rotūda, acuminata & aspa, quæ

Cnicus. Cnecus. Cartamus hortensis.

quæ menſe Iulio florem ferunt Croco ſimilem: ſemen durum, candidũ & rufum, oblongum, anguloſum, quod menſe Aprili terræ mandatur.

TEMPERAMENTVM.

Natura Cnico eſt calida. Semen tertij excalfacientium, extrinſecus ad habitum, eſt ordinis.

VIRES, INTRINSECVS.

Cibis croceum colorem inducit, pauperum cõdimentum: aluum dura mollit. Tuſum ſemen & ſuccus expreſſus, cum iure Gallinaceo potus, aluum non tantùm emollit, ſed uiſcoſa quoq; phlegmata, Dioſcoride teſte, educit. Confectio, quæ Diacartamum dicitur, ad eadem eſt efficax.

EXTRINSECVS.

Croceo colori inducendo conducit: Pulmentis quoq;, quibus lectos mulierculæ oblinunt, admiſcetur.

## DIPSACVS.

DIpſacon uelut ſitibundam Græci à cõtrario appellarunt: perpetuò enim humorem in foliis continet. Latini Labrum Veneris, & Carduum Veneris nominant, à foliorum nimirum habitu, quæ anfractuoſa ſinuum ambage, peluis ferè ſpeciem conſtituunt, ac plerunq; humorem intra ſe cõtinent. Officinis Virga paſtoris, ab uſu fortè. Cardo quoq; ſeu Carduus fullonum, quòd hoc rudes pannos fullones expoliant. Hinc Germa. **Karten/Weberkarten/Bübenſtrel/Wolffſtrel**. Gallicè, *Chardon a carder*.

Duplicis eſt differentiæ: alter ſatiuus, qui ad uſus fullonum in hortis ſeritur, flore candido, quem Dipſacum album uocant: alter agreſtis, qui ſponte in campis prouenit, flore purpureo: hunc Dipſacum purpureum, Germa. **braun Kartendiſtel** nominant. Gaudet locis humidis: alter ſatus, alter ſponte proueniens, caule alto, ex deſcriptione Dioſco. ſpinis horrido, foliis lactucæ, caulem amplectẽtibus, geniculis in ſingulis binis, oblongis, aculeatis, dorſi medio bullas quaſdam intus & extrà ſpinoſas habentibus, concauo, quo ſe in geniculis coniungunt, ſinu, quo aquæ & rores aſſeruantur. In ſingulis caulibus, in cacumine capitulum unum, echino ſimile, oblongum, aculeatum, quod cùm aruerit, Iunio nimirum & Iulio, cãdidum apparet, in

cuius

A cuius medio seu medulla, si dissectum fuerit, uermiculi insunt, qui per echini cauitatem in caudicem transeunt. Discrimen est, principiò in foliis, quæ in satiuo latiora & magis sunt incisa, in spontaneo uerò sunt angustiora minusq; laciniata: Deinde, ut antea dictum est, in flore: Postremò in echinis, qui in satiuo magis sunt aculeati, in altero minus.

## TEMPERAMENTVM.

Radix in secundo statuitur excalfacientium ordine, ac nonnihil absterforium habet.

## VIRES, EXTRINSECVS.

Vermiculos, qui in capitulorum medio seu medulla inueniuntur, in folliculo aliquo alligatos, & collo brachióue appensos, quartanis febribus remedio esse, scribit Dioscori. Folia imposita Phrenitin sedare ferunt. Aurium uermes succus foliorum necat. Hulceribus oris aqua stillatitia collutione prodest.

In uino cocta radix usq; dum ceræ crassitiem assumat, rimas fistulasq; sedis illita sanat. Quod medicamentum in testaceo uase ad annuum tempus recondi potest: uerrucas quoque pensiles curat.

Aqua foliis insidens oculorum caligini & rubedini medetur. Eadem aqua maculas faciei exterit.

B

# CHAMAELEON.

CHamæleon à uarietate foliorum nomen est sortitus: siquidem colorem cum terra mutat, hic enim niger, illic uiridis, alibi cœruleus, alibi croceus, atque aliis coloribus inuenitur: humi in qua nascitur semper exprimens colorem: non aliter atq; animal Chamæleo reddit quemcunque proximè colorem attigerit, præter cãdidum & rubrum. Latinis Suarius Carduus, quòd nimirum sues in polenta perimat: unde German. etiam **Eberwurtz**. Officinis & uulgò Cardopatium, corrupto, ut credunt, nomine, à Panneratio, quo olim Chamæleonem fuisse nominatum, scribit Apuleius.

Duo sunt eius genera: albus & niger. Chamæleon niger est, qui uulgò

dicitur Eberwurtz. C Italis Carlina. Nascitur Dioscoridi siccis, cãpestribus, cliuosisq; & maritimis locis. In Germania uerò non nisi locis cultis, foliis Scolymo similibus, minoribus tamen, tenuioribusq; & rubentibus, caule dodrantali, digitali crassitudine, subrubro, qui in summo habet umbellam, & spinosos flores tenues, hyacinthi æmulos, uersicolores: radicem crassam, nigram, densam, quę nonnunquam corrosa spectetur, quæ dissecta subflauescit, & cõmanducata interdum D mordet. Sed obijciat aliquis, quod ad radicẽ, Nigri chamæleonis radicem intra corpus sumptam, Galeno teste, uenenatam esse: radicem uerò eam, quæ nobis Eberwurtz dicitur, maximos intra corpus contra pestem & uenena usus præbere. Huic respondemus cum Cordo, Radicem Chamæleontis non semper uenenatam esse, neq; in omnibus locis, sed ijs tantùm quibus uisco simile quiddam, quod Ixiam uocant, in radice producit, quod si non habeat, non est uenenata. Et albi quoque Chamæleontis radix, si sine Ixia sit, intra corpus contra uarios morbos sumitur. Cùm uerò adnatam Ixiam habuerit, uenenata redditur. In nigro quoque Chamæleone nonnunquam Ixia inuenitur, ut rectè Plinius dixit, Chamæleonis genera Viscum ferre. Per Viscum autem ijs Plinij locis Ixia uenenum est intelligendum, non id quo aucupes utuntur. Vnde etiam Hesychius ait, non omne genus Chamæleonis Ixiæ, hoc est, uiscilaginis, cognomen contraxisse, sed eum duntaxat qui uisco manaret.

Ixia.

Chamæleon albus, German. Welsch Weiß distel/ & klein Eberwurtz. Gall. *Carline noire.* Foliis nascitur Scolymi, asperioribus tamen & acutioribus, nigrioribusq;, nigro Chamæleone ualidioribus, caule uacat, Verùm è medio sinu spinas, Echini marini aut Cinaræ modo, erigit,

A Chamæleon albus.

gít, flores purpureos, crinitos, qui in pappos euaneſcunt. Fructus Cnico aſsimilis. Radix lætis & pinguibus craſſa, ieiunis & mõtoſis gracílior, cãdida guſtu, dulcis, odorata, ſed uirus aliquantum olens. Hũc peculiariter Carduum ſuarium uocant. Sues enim, canes, mureſq;, ſi in polenta exhibeatur, aqua & oleo additis, perímit. Ixiam quoque eundem uocant, quòd in quibuſdam locis uiſcum gignit album ſub foliorum alis, maximè circa canis ortum, quo thura dicuntur naſci: ex quo etiam ſerpentes fabulantur emergere, quo pennas ſagittarum quoq; glutinare ſolent. *Carduus Suarius.*

Nonnullis Vlophonon, quaſi cuncta necans, uel ὅλον φονευτικόν, ut Nicandri interpres habet, idipſum dicitur. Item Cynozolon propter odoris grauitatem, quaſi caninum uirus olens. *Vlophonon.* *Cynozolon.*

B Et Cynomazon, quòd in offa uel pulte detur necandis canibus. *Cynomazon.*

TEMPERAMENTVM.

Radix Chamæleonis utriuſq; exiccat in tertio, calfacit autem in ſecũdo ordine.

VIRES, INTRINSECVS.

Radicis Chamæleonis albi ſuccus, acetabuli menſura cum uino modico pota, latas interaneorum tineas pellit.

Hydropicis quoq; in uino drachmæ pondere bibitur. Vrinam quoq; ciet, & uenenis aduerſatur. Trita radix drachmæ pondere cum uino pota, peſti eſt ſalutaris. Vnde radicem hanc pecori & porcis præſertim, peſte eos inuadente, nonnulli præbent: tutum à peſtis contagio pecus futurum credentes. Aliqui eadem de cauſa radicem lintri infigunt, ut cibum ſuper hac porci ſumant.

EXTRINSECVS.

Ferunt radicem hanc confortare eos qui geſtauerint ipſam, alijs uerò uires adimere, ut deſtituti uiribus uideantur.

Chamæleonis nigri radix cum aceto cocta, ſcabiem, pſoram, papulas aliaq; uitia ſanatu difficilia curat. Chamæleonem album ſues, canes & mures interficere Dioſcorides ſcribit, quod de uulgari noſtro Chamæleone intelligi nequit, quem porcis ſalutarem eſſe conſtat.

ATRACTYLIS.

Fusus agrestis. Colus rustica.

ATractylis aut κνικος ἄγριος, id est, Cnicus seu Cartamus syluestris. Atractylis dicta, quòd caule eius antiquæ mulieres pro fuso, Græcis ἄτρακτος dicto, utebantur. Cnicus uerò syluestris, ad hortensis Cnici differentiam, de quo suprà est actum. Latinis Fusus agrestis, & Colus rustica. Gallis, *Saffran sauuage doulx*. German. **Wilder Feldsaffran**. In mõtibus enim & aruis nascitur, mense apparens Augusto, semine tamen ante autumnum non maturescente.

Spina est, describente Dioscoride, Cnico similis, folia uerò longiora multò in uirgularum summitate habens, caulem ex magna parte nudum & asperum, quo mulieres etiam pro fuso utuntur: Capitula in cacumine aculeata, florem pallidum, radicem tenuem & inutilem. Alij tamen duas faciũt atractylidis species: alteram iam descriptam, propriè atractylida dictam: alteram quæ uulgò Carduus uocatur benedictus, quibus suum relinquimus iudicium.

TEMPERAMENTVM.

Temperamentum calidum siccumq; atractylidi tribuitur. D

VIRES, INTRINSECVS.

Atractylidis folia, coma & semen, trita, cum pipere uinoq; pota, contra scorpionum ictus prosunt, teste Dioscoride. Sunt qui dicant à scorpionibus percussos, quàm diu eam herbam teneant, non sentire dolorem, depositа uerò dolore affici.

## ACANTHIVM.

ACanthion dictum est, facto diminutiuo ab acantho, quasi dicas, Spina parua. Est sine omni dubio, eruditissimorum testimonio, spinæ illa species, quæ hodie Carduus benedictus appellatur, ob singularem nimirum eius facultatem, aduersus pestilentes putresq; alios affectus, contra serpentium, & scorpionum morsus, capitis dolores uehemen-

A uehementissimos, uertiginem, idq; genus morbos alios. Carduus igitur benedictus est hirsutus, caulem & folia Soncho non asperæ similia habens, humi ferè reptantia: propter sui enim mollitiem sessilis ueluti, caducusq; solo procumbit, semine minuto, frequenti, amaro, & pilis barbato, quod molli lanugine operitur. Flos ei pallidus lutéusue. In hortis passim prouenit, semen quod in lanugine, uelut in reliquis carduis concluditur, serò maturescit. Germ. **Cardobenedict/Bonwurtz/Gesegneter distel/**& **Spinnen distel/** quòd telis aranearum capita ipsius simili septa sunt lanugine.

TEMPERAMENTVM.

Temperamento est calido & sicco, quod gustus eius amarus demonstrat. Desiccat & modicè digerit.

VIRES, INTRINSECVS.

Præstantissmæ plurimæq; Carduo benedicto sunt uires, ut non immeritò id nominis & Latinis & Germanis habeat.

In cibo uel potu sumptus, ab immenso capitis dolore, qui circa oculos grassatur, à nonnullis monopagia dictus, liberat. Vertiginem pellit: Memoriam amissam & auditum, pari ratione, restituit. Folia in puluerē trita, in uino pota, phlegmata stomachi consumunt & educunt: commodiùs tamen sumuntur, si pilulæ ex puluere componantur. Pectus item & sanguinem purgat, plurimumq; Phthisicis confert. Folia in uino cocta,
B & calida pota, tormina sedant, sudores prouocant, calculum frangunt, menses adiuuant.

Puluis foliorum, quantitate mediæ iuglandis nucis, in uino potus, cōtra pestem præsentissimum est remedium, si intra 24. horarum spacium quem inuaserit. Idem uinum cum herba decoctum præstat. Eadem ratione si sumatur, putridis uentriculi febribus, & quartana laborantibus auxiliatur.

Affirmāt nonnulli puluerem uel succum, aut decoctum huius herbæ, uenena omnia pellere: cuius rei exemplum Hieronymus Tragus adducit. Fuisse enim puellam quandam, quæ insciacum pomo dono dato uenenum ederit, moxq; corpus eius inflatum, nec ullis antidotis sedari tumorem potuisse: Tandem uerò aqua stillatitia huius herbæ data, tumorē se remisisse, atq; sic ueneni malo & periculo liberatam.

Idem ex alijs refert, puero in campo dormienti serpentem per os hiās irrepsisse, ac herbę huius aqua porrecta, per inferiora mox serpentem secessisse, nec quicquam amplius puero fuisse periculi. Omnibus, in summa, uenenis, & intra & extra corpus, præcipuum, huius herbæ puluerē, succum, decoctum, uel stillatitium liquorem, esse remedium tradunt.

EXTRINSECVS.

Aqua aut succus instillatus, oculos prurientes & rubentes adiuuat. Tusa & imposita folia, adustiones igni factas, pustulasq; pestilentiales sanāt. Stillatitius liquor ad eadem pollet. Scorpionum item & serpentium

ictus, ac morsus curat. Contra carcinomata, aliaq; putrida hulcera, uix C.
aliud Cardui benedicti foliis, succo, decocto, aut aqua est præstantius.
Ac constat insignes affectus, præsertim in muliere, cuius mammæ ad ipsas usq; costas carcinomate consumptæ fuerant, aqua hac purgatos, mox eiusdem puluere sanatos esse.

Insessiones & desudatoriæ balneæ, ad calculum & menses prouocandos utiliter ex hac herba cõficiuntur.

Pæderotes.

## ACANTHVS.

ACanthus uel Acantha, duum est generum: Satiua & syluestris. Satiua est Italica, Græcis Pæderotes, Dioscoridis descriptioni per omnia respondens, foliis multò quàm lactuca latioribus, bicubitali magnitudine, Erucæ modo incisis, nigricantibus, pinguibus, leuibus, & modicè amaris. Caule leui, binûm cubitorum, digitali crassitudine, ex interuallis sub ipsum D
usque uerticem foliolis quibusdam oblongis, ueluti nucamentis aculeatis, ex quibus candidus flos promitur, semine oblongo, luteo, capite thyrsi specie: radicibus oblongis, muscosis, rubris, & glutinosis, gustu subacribus. Officinis Branca ursina, German. **Welsch Bernklae/Berntatz**. Gal. *Branche ursine*.

Acanthus Germanica.

In huius defectu Officinæ Acãtho Germanica utuntur, quæ est diuersa à Dioscoridis descriptione, spinis & aculeis carens. Germ. simpliciter **Bernklaw**/ in hortis & pratis passim crescens ad umbelliferas herbas pertinens, anethi enim fert umbellam. Iunio & Iulio dum floribus est prægnans, colligitur.

Syluestris

Syluestris acanthus putatur esse, quam hodie uocant Carduum pratensem, & Brassicam pratensem, Germ. **Wisenkol/Grasskol.**

Nascitur in pratis, foliis longis, latis, utrinq; scolymi instar diuisis, caulem fert inter folia cubitalem, bina circa genicula habentem folia, capitulum oblongum, aculeatum, flore penè acanthi, in cuius medio apex conspicitur purpureus: semen in alba lanugine capiti includitur, quæ in pappos tandem euanescit. Radix uillosa, candida.

TEMPERAMENTVM.

Folia mediocriter digerunt: radix exiccat, & leuiter incidit, tenuiumq; est partium.

VIRES, INTRINSECVS.

Radices potæ urinam cient, aluũ sistunt, tabidis, ruptis, & conuulsis sunt utiles.

B EXTRINSECVS.

Radices adustis & luxatis illitæ prosunt. Podagris quoq; calidis, tritę & calefactæ imponuntur.

## SPINA ALBA.

PRincipiò monendus est lector, de ipso nomine, diuersa esse ἀκάνθην λευκήν, & λευκακάνθην. Cùm dicitur ἀκάνθα λευκή discretis nominibus, intelligitur ea de qua hoc loco agitur, Latinis Spina alba, Officinis Bedegarim dicta. German. **Weiß distel.** Bedegarim.

Cùm uerò per compositionem dicitur λευκακάνθα, hoc est, Alba spina, intelligitur alia species, de qua Dioscorides separatim agit, à nobis infrà descripta, **Weiß Garten distel**/ad huius differentiam appellata.

Spinæ igitur albæ, quæ Ger. simpliciter **Weiß distel** appellatur, duo sunt genera. Primum folio albi Chamæleonis, angustiore tamẽ & cãdidiore, subdẽso, subaspero, & aculeato. Caule binos cubitos excedẽte, pollicari aut maiore crassitudine, subalbo, intus cauo. Capite in cacumine aculeato,

echini marini similitudine, minore tamen, & oblongo: floribus purpureis, in quibus semen Cnici forma, sed rotundius. Nascitur in montibus & locis syluosis, ac in hortis etiam plantatur. Floret Iunio & Iulio. Colligitur dum semine prægnans conspicitur. Vulgò Carduus Mariæ. Germa. **Marien distel/ Frawen distel/ Yehdistel/ Stechkraut**. Gallis *Artichaut sauuage*. C

*Carduus Marie.*

Alterum genus syluestre est, circa sepes & uias, locisq; incultis passim nascens, proximè ad primi generis descriptionem accedens, eodemq; florens tẽpore. Germa. **Weiß wegdistel**. Hoc genus Dioscorides, ob similitudinem fortasse cum priore, intactum reliquit.

TEMPERAMENTVM.

Radix exiccat & modicè adstringit. Semen essentiæ est tenuis & naturæ calidæ.

VIRES, INTRINSECVS.

Radix cum uino cocta, sanguinem excreantibus, stomachicis, & cœliacis prodest. Coxendicis laterumq; dolori D subuenit. Semen potum conuulsis & ruptis in corpore medetur: à serpente morsis auxiliatur.

EXTRINSECVS.

Radix œdematis illinitur. Dentes dolentes iuuat, si decocto eius colluantur, aut si radix ipsa dentib. masticata ore teneatur.

## LEVCACANTHA.

DE nomine Leucacãthę in præcedente monuimus capite. Leucacantham etiamsi pleriq; nobis incognitam putant, Tragus tamen eam Spinæ putat esse speciem, quam **Weiß distel** appellant, uel ad differentiam Spinæ albę, **Weiß Gartendistel/ Jungkfrawen distel**/quòd in uirginum serta & coronas ueniat, **zam Gartendistel**: cuius sententiæ, donec ueriorem

alius

A alius ostenderit, placet subscribere. Nascitur in hortis, Spiræ maximè, foliis Chamæleoni nõ dissimilis: caulem altero post sationem anno fert mense Iunio altum, aculeatum, scolymi sylvestris modo: capitula aculeata, multa, flore candido & odorato, semẽ in lanugine, sicut in Acanthio est inclusum: Radix est lõga, alba, amara, quę unà cũ flore & caule perit.

TEMPERAMENTVM.

Calidam esse constat, siquidem gustu amaritudinem refert.

VIRES, INTRINSECVS.

Easdem cum Spina alba uires propemodum habet. Et Dioscorides quoq; in hac easdem quas in Spina alba uires & facultates repetit.

Radix in uino decocta, bina ternáue in die uice pota, ueteri laterum dolori & ischiadicis medetur. Idem potus ruptis & conuulsis auxiliatur.

EXTRINSECVS.

Radix manducata dentiũ dolorem mitigat. Quibus uiribus cùm hanc plantam præditam esse constet, commodè ad Dioscoridis Leucacanthã uidetur referri posse.

## CARDVVS.

B

CArduus, Græcis Scolymos, & Latinis Carduus hortensis, Germa. **Strobildorn/Welsch distel**. Gall. *Artichaut*, *Articoca*. Duo traduntur huius genera, alterũ aculeatum, alterum minimè, hortense utrunq;. *Carduus. Scolymos. Carduus hortensis. Scolymos aculeata.*

Nascitur apud Italos quibus Carchosilos dicitur, quasi dicas, Carduus Strobilus. Strobilum enim Latini uocant, quòd capitulum eius nucem pineam, structili nucleorum serie referat. Nonnulli Arcocum, alij Alcocalum commodiùs uocant, à nucis quoq; pineæ similitudine: Cocalum nanq; nucem pineam significat. Vulgò Articocalus & Articoclus, & Articols uel Articoca, Sicut & Germanis. Italis hac ipsa nil in cibis est frequentius, adeoq; conuiuiorum apparatibus in iuribus, aut ex oleo, aceto, & sale adhibetur. Folia Chamæleonis & Acanthæ albæ habet, sed nigriora & crassiora. Caulem oblongum, pollicis crassitudine, foliis oblongis, subpallidis, bicubitalibus ferè, aculeatis, incisis, Agrimoniæ forma, capitulũ oblongum, spinosum, corticosis unguibus turgens, spicisq; squamatim coagmentatũ, flos in purpureo rutilat, qui in pappos tandem euanescit. Semen Cnici figura. Radix lõga, quam ad Salgama Itali, sale, aceto, & pipéris polline præparant. *Carchosilos. Strobilus. Arcocus. Articoca.*

Altera

2. Carduus non aculeatus Cinara.

Altera ſpecies priori ex omni parte ſimilis eſt, niſi quòd aculeis caret. C Ad cibos plus quàm altera expetitur. Tantus eius uſus, ut nulla ſit cœna Italis, quin Carduum hunc habeant. Hanc Tragus Cinaram facit Columellæ.

Vtrunq; genus his uerſibus complexus eſt Columella:

*Hiſpida ponatur Cinara, quæ dulcis Iaccho*
*Potanti ueniat, nec Phœbo grata canenti.*
*Hæc modò purpureo ſurgit glomerata corymbo,*
*Myrtiolo modò crine uiret, deflexaq; collo*
*Nunc adoperta manet, nunc picea uertice pungit.*
*Nunc ſimilis calatho, ſpinisq; micantibus horret,*
*Pallida nonnunquam tortos imitatur acanthos.*

Græci hoc faciunt diſcrimen, quòd ſcolymos eſt ferus & ſylueſter, Cinara uerò domita cultu, ruditate mitior & altilis. Sic dicta à Cinara puella. Athenæus aliam attexit fabulam, de oraculo ligneum canem nominante, unde Cinaræ ſit appellatio ducta. Alij quòd cinere reſpergi gaudeat. Sed hæc perſequi non eſt præſentis loci.

Præterea ſylueſtris eſt quædam Cardui ſpecies, in agris paſsim impedimentum, Germ. **gemeyn Haberdiſtel**. Cuius meminit Vergilius: Carduus & ſpinis ſurgit Paliu D rus acutis. Latinis Scolymus ſeu Carduus ſylueſtris poterit appellari. Naſcitur in aruis, maximè auenaceis, bicubitali altitudine, ſæpe maior, aut etiam minor, foliis aculeatis, inciſis capitulis aculeatis, flore in quibuſdam purpureo, in quibuſdam albo, in quibuſdam puniceo. Teneram aſini maximè expetunt. Bobus etiam non ingrata.

TEMPERAMENTVM.

Scolymon calidum eſt in ſecundo completo, aut tertio incipiente ordine: ſiccum in ſecundo. Sylueſtris Scolymus ſeu Carduus idem temperamentum obtinet.

VIRES, INTRINSECVS.

Scolymus recẽs aſparagi modo in oleribus coquitur. Radices ex ſale, & pollinis pipere, in ſecundis menſis hyeme eduntur. In cibis decocta urinam cit copioſam, fœtidamq; educit.

EXTRINSECVS.

Radix illita graueolentiam alarum totiusq; corporis emendat. De hac Baptiſta Fiera in Cœna ſua:

Carduus

A *Carduus hortensis cui spina est mollior arte,*
*Cui calor est modicus, cui tumidusq; liquor,*
*Est stomacho & lumbis sapidus: Si duxit olentem*
*Vrinam, os redolet, nec sapit Ala caprum.*
*Hunc tibi ius præpingue coquat: præstantior inde est,*
*Ibit & in numeros sic Venus apta suos.*

## ANONIS.

B

Anonis, Ononis. Resta bouis. Remora aratri. Acutella.

ANONIS uel Ononis, quasi dicas, asini oblectamentum. Vulgò Resta bouis, & Remora aratri, quòd radicibus suis aratrum remoretur. Euricius Cordus Acutellam dici affirmat. Gall. *Bugraues, Arreste beuf.* German. **Ochsenbiech/ Hewhechel/ Stallkraut**/ab urinaria ui, quòd decoctum eius equites, meiere nequeuntibus equis offerunt. **Hawhechel**/quòd crebris sit aculeis, instar instrumenti quo stupam seu linum fœminæ expurgant, ut Cordus explicat. Item **Katzenspeer/ Wetzsteinkraut**. Ramos habet fruticosos, dodrante maiores, frequentibus geniculis cinctos, cauis alarum multis, capitula multa. Foliis est exiguis, tenuibus, ceu lentis, ad rutæ aut pratensis loti formam accedentibus, subhirsutis, odoratis iniucundè olentibus. Rami spinis acutioribus, ac ueluti spiculis firmioribus horrent. Radicem habet candidam, seu in nigro candicantem. Florem fert minutulum, Pisi dilutiore micantem purpura, in siliqua non undequaq; septum. Nascitur culto, pingui & glutinoso solo, segetibus præcipuè & aruis. Mense floret Iulio & Augusto.

### TEMPERAMENTVM.

Calida est gradu tertio. Vim habet quandam absterſoriam & incisoriam. Radix calfacit & extenuat.

### VIRES, INTRINSECVS.

Cortex radicis cum uino potus urinam ducit, calculos rumpit, & crustas expellit, Dioscor. & Plinio testibus. Radicis decoctum hæmorrhoidas sanare creditur. Antequam spinosa fiat sale conditur, & est cibis gratissima.

### EXTRINSECVS.

Decocta radix in posca dentium dolorem collutione mitigat.

## ERYNGIVM.

Eryngium

Eringus. Centumcapita

ERyngium Græcis & Latinis. Officinis Iringus, quibuſdam Centumcapita. Gallis, *Chardon, ou Cent teſte*. Nomen ex rei natura accepit, ab eructatu nimirum, quem Græci dicunt ἐρυγγὴν. Nã ſi qua forſan capella caulem Eryngij morſu ſectũ ore ſuſtulerit, totus ſtatim grex uelut attonitus ſubſiſtit, relictoq; paſcendi ſtudio, rei nouæ ſpectaculo captus, non prius herbã demirari deſinit, quàm raptum caulem eructarit, aut paſtor prorſus abſtulerit: quod Ariſtoteles in nouo grege præſertim uſuuenire prodit: & poſt hunc Plutarchus & Galenus. Centumcapita, à capitulorum uocatur numero. Germa. **Manſtrew/Brachendiſtel/Radendiſtel/Wallendiſtel**. Aculeatarũ, teſte Dioſcoride, eſt generis, in campeſtribus & aſperis naſcens. Folia habet lata, & extremo ambitu aſpera, guſtu odorata, quæ ubi adoleuerunt, multis caulium faſtigijs in ſpinas aculeantur: in cacuminibus capitella in formam pilæ coacta cernuntur, ſepientibus ſtellatim aculeis, per orbem acutiſsimis, prædurisq;. Color ijs modò candidus, modò uiridis, modò cœruleus inuenitur. Radix oblonga, lata, ſummo cortice nigra, candida interius, pollicari craſsitudine, odoris boni. Folia adhuc tenera ſale condita, in Græcorum ueniunt cibos. 6

Altera quoq; Eryngij eſt ſpecies priori non diſsimilis, ſed folijs multo anguſtioribus, nigrioribusq;, aculeis longioribus, acutioribusq;, flore in capitulis prorſus purpureo, quam atram nominant, à foliorum forma.

### TEMPERAMENTVM.

Eryngion caliditatis eſt temperatæ, exiccat uerò mediocriter.

### VIRES, INTRINSECVS.

In uino radix cocta & pota, prodeſt iocinoroſis, lienis, & lumborum affectionibus: tormina ſedat, urinam & menſes ciet: Sumpto ueneno, drachmæ pondere cum ſylueſtris paſtinacæ ſemine trita bibitur. Huius radicis uſu à calculo quendam liberatum, ſcribit Aëtius.

### EXTRINSECVS.

Strumas & Parotidas appenſa radix fertur diſcutere. Trita & illita cum ſalſa adipe, ſentes & aculeos corpori infixos extrahit.

Carnem tibiarum deciduam curat. Radix geſta gratos & humanos, quorundam ſuperſtitione, efficere creditur.

## PEVCEDANVM.

Peucedanum

A

PEucedanum quòd foliis suis piceæ, quæ πεύκη Græcis dicitur, sit similis, nomen habet. Officinis & uulgò Fœniculum porcinum, Pinastella item Latinis à Pinu, German. **Sewfenchel / Harstrang / Schwebelwurtz.** Gallicè, *Peucedame, ou queue de.* Mõtibus nascitur opacis, caule tenui, macilento, fœniculo simili, coma circa radicem densa copiosaq;: flore luteo, quem Iulio et Augusto profert, radice admodum longa, foris nigra, intus alba, odore graui, crassa, liquore plena, cui lachryma interdum concreta, thuris similitudine, sicut & caulibus, adhærens inuenitur. Officinarum Peucedanũ, cùm radice sit lignosa, non succo plena, & odore quoque iucundo, non est genuinum.

*Fœniculũ porcinũ.*
*Pinastella*

TEMPERAMENTVM.

B

Calfacit Peucedanum in secundo, exiccat uerò in tertio ordine.

VIRES, INTRINSECVS.

Decoctum radicis ex uino, uel radix trita & assumpta, pectus purgat, frigidum & uiscosum phlegma educit, tussi ueteri, ex frigiditate natæ, summo est auxilio. Succus eius tritus eadem potest. Colligitur autem succus hunc in modum: Tenera radix cultello conciditur, ac profluens inde succus in umbra siccatur: nam in sole statim euanescit. Caput autẽ & nares, dum succus exprimitur, rosaceo perfunduntur, ne dolor caput premat, & uertigo sentiatur. Cum melle mixtus succus potus, strangu-riam adiuuat: serpentum ueneno medetur. Vnde illiti hoc succo ex oleo temperato, à serpentibus sunt securi.

Suspiriis, torminibus & inflationibus, Dioscoride teste, subuenit. Lienem absumit: difficiles partus mirè adiuuat: ad uesicæ cruciatus & renum distentiones bibitur: Vuluam aperit.

EXTRINSECVS.

Radix trita cum aceto, & oleo, illita, omnibus neruorum uitiis prodest. Ex oleo & rosaceo, lethargicis, phreniticis, uertiginosis, comitialibus, & longis capitis doloribus resolutis, ischiadicis, conuulsis medetur. Aurium doloribus ex rosaceo instillatur. Dentium cauernis succus eius

inditus, dolorem mitigat. Ruptis infantibus, quibusq; umbilicus nimium prominet, succus utiliter illinitur. Naribus infusus succus uel puluis eius, lethargicos excitat, & mulieribus quę ex matricis dolore concidũt, auxiliatur. Lachryma, seu gummi eius quod caulibus & radici adhærere inuenitur, recentia uulnera sanat. Idem præstat radix. Vetera damna & putrida hulcera puluis radicis insperſus purgat, & ad sanitatem perducit. C

## BOTRYS.

Ambrosia

BOtrys Græcis & Latinis, à semine quod racematim adnascitur ramulis, nomen accepit. Officinis incognita. Germa. eadem ratione **Traubenkraut**/ quibusdam **Krottenkraut**/ Gallis, *Mille graine*. Olitoribus **Türckischer Beifůß**. Hinc quidam Artemisiam nominant. Cappadoces Ambrosiam. Amomum quibusdã Pharmacopolis. Fruticosa Dioscoridi est herba, tota lutea, sparsa, multaq; alarum caua habens: flores multos, exiguos, luteos ab imo ad summum usq;. Semen circa totos ramulos adnascitur. Folia Cichorio sunt similia, totaq; ualde odorata: unde uestibus apponitur. Circa fluentes aquas & torrentes nascitur: Carpitur Augusto & Septembri, quo tempore ad maturitatem peruenit. D

### TEMPERAMENTVM.

Amara est, uimq; incidendi habet, unde calidam siccamq; esse facilè colligitur.

### VIRES, INTRINSECVS.

Botrys in uino cocta & pota difficultate spirandi laborantibus auxiliatur.

### EXTRINSECVS.

Arida herba uestimentis odoris gratia apponitur.

## DIGITALIS.

DIgitalis à forma florum, quæ digitale referunt, appellatur, Germa. **Fingerhůt**. Græcis an cognita fuerit, quóue sit appellata nomine, non constat. Licebit tamen ad Latinæ & Germanicæ appellationis formam Dactylitin appellare, Germa. quoq; **Waldglöcklin**. Gallicè, *Gantelez*. Duum ex flore est generum: lutea & purpurea, ac utraq; nihil aliud quàm Verbasci est species, ut satis foliorum caulisq; forma ostendit.

Nascitur montosis umbrosisq; locis, altitudine cubitali, foliis latis & oblongis, Plantagini similibus, in extremitatibus serratis: floribus Iulio potissimùm mense, à caulis lateribus ordine dependentibus, digita-

lis

B

lis referentibus formam, purpureis uel luteis, quibus decidentibus semen in calycibus latum & longum profert. Radix exigua & candida. In foliis quoq; est discrimen, quæ in purpureo minora pauciora; sunt in luteo uerò maiora & copiosiora.

TEMPERAMENTVM.

Qualitatis est calidæ & siccæ.

VIRES, INTRINSECVS.

Vires Digitali eædem quæ Gentianæ adscribuntur. Extenuandi, abstergendi, purgandi, soluendi, & incidendi uim habet, Menses mouet, pus ex thorace & pulmone educit.

MANDRAGORA.

Circæa.

MAndragoras, quòd iuxta madras inue- C
niatur, nomen accepit, ut nonnullorum
est sententia. Circęa, à Circe Græcis dicta, quòd
radix ad amatoria conducat. Pythagoræ an-
thropomorphos, à forma radicis, quæ huma-
nam quadantenus effigiem refert, Germa. **Al-
raun**. Quas agyrtæ radices humana effigie di
uendunt, fictitias esse nemini ferè non constat.
Ex Cannarum enim aut Bryoniæ radicibus e-
iusmodi formam sculpunt, ac terra obruunt,
quæ cùm aliquandiu delituerit, per terrã colo-
rem mutat, ac ab ipsis deinde effoditur, ut sic
creuisse existimetur, qua miserè imponunt mortalibus. Veri tamen Man
dragoræ radicis cortex in Officinis hodie habetur.

Duo apud Dioscoridem & Plinium cognoscũtur eius genera: Mas
& Fœmina. Fœmina nigra est, Græcis à foliorum similitudine Thrida-
cias. Prouenit in syluis & locis umbrosis, foliis lactucæ, sed angustiori-
bus & minoribus, grauiter odoratis & uirosis, per terram sparsis, iu-
xtaq; folia pomis uitellis oui similibus, pallidis, odoratis, in quibus semẽ
quale pyri. Radicibus magnis, binis
terniſue, sibi inuicem implicatis, in su- D
perficie nigris, intus candidis & crassi
corticis: absq; caule.

1. Fœmina. Thridacida.

2. Mas. Morion.

Mas candidus Dioscoridi appella
tur, Græcis Morion, folia habet ma-
gna, lata, candida, læuia ut Betæ. Ma-
la duplo maiora, quàm fœminę, croci
colore, cum grauitate odorata, quę co
medentes pastores soporantur. Radix
fœminæ similis, sed maior cãdidiorq;:
caule uacans. Nascitur ijsdẽ locis qui-
bus fœmina. Huius hic figura exprimi
tur. Vtraq; in Italia adhuc cognoscit.

Theophrasti Mandragora ab hac
Dioscoridis est diuersa, sed est ea quæ
propriè Morion dicitur, radice gran-
di, caule procero, foliis mediam Sola-
ni & Mandragoræ formam referen-
tibus, flore nigro, fructu grandi, uuæ
acino simili, qui uinosum succum gu-
status emittit. Germa. **Dollkraut**/& **Schlaffbeer** dicitur. Gall. *Morelle marine.*

A *marine*. Hanc Theophrasti Mandragoram Solanum esse somnificũ Trago placet, ut cap. de Solano, huius quoq; fit mentio, ad quod etiam potius uidetur referenda, siquidem foliis, florum forma, fructu & uiribus Solanum refert.

TEMPERAMENTVM.

Mandragora in tertio refrigerãtium ordine statuitur. Poma aliquid humiditatis & caloris habent. Cortex desiccandi quoq; uim obtinet.

VIRES, INTRINSECVS.

De Mandragora multa scribunt ueteres, multa etiam alij fabulantur. Succus eius, Dioscoride teste, ex aqua mulsa potus duobus obolis, atram bilem per uomitiones purgat: Potu autem largiore uitam adimit.

Radix in uino cocta pota insaniam parit, & lethargicos efficit: Vnde ante sectiones & ustiones commodè dari poterit, ne sentiantur. Remedium uerò huic potioni, si quis largius eam biberit, & diutius somno corripiatur, esse tradunt, acetum capiti affusum, & piper, aliáue sternutamenta prouocantia medicamenta naribus admota.

EXTRINSECVS.

Viridia folia imposita, siue radix uiridis cum melle & oleo temperata, recentia uulnera sanant. Trita radix cum aceto applicata, sacrum ignẽ efficaciter restinguere fertur. Eadem cum aqua illita, strumas & tubercula discutit. Cum polenta articulorum cruciatus mitigat. Plura lege apud Dioscoridem.

B

## MALA INSANA.

MAla insana dicta censent, quòd difficulter concoquantur, non quòd mortem inferant: siquidem in cibos ueniunt. Neapolitanis, apud quos nascuntur, Melanzana. Nonnullis ab elegantia et pulchritudine, Amoris poma. Gal. *Pommes d' amours*. Germa. **Melanzan/ Dollöpffel**. Duo genera ex pomorum sunt forma: alia enim purpurea ferè tota, alia uerò lutea aut candorem quendã præ se ferentia. Nascuntur etiam in Germania hodie, in fictilibus potissimùm, frutice qui propemodum Personatiam caule & foliis refert: quæ tamen longiora sunt & magis laciniata: flos Augusto uel Septembri mensibus ijs purpureus, speciosus, sex foliis è calatho stellatim radiatis: fructus oblongi mali forma

*Melanzana.* *Poma amoris.*

& magnitudine, in quibus ſemen ſiliquaſtro non diſsimile. Radix mul- C
tis capillata fibris, & lutea. Gaudet eodem ferè cultu, quo Cucumeres &
Melones.

TEMPERAMENTVM.

Frigidam humidamq; malis inſanis naturam tribuunt.

VIRES.

De uiribus nihil conſtat. Nonnullis tamen ex oleo, ſale, & pipere fu-
gorum modo cocta eduntur.

Alij aliis modis apparãt, in acetarijs, ex oleo, pipere & aceto, cũm igni primùm inferbuerint, ac in taleolos diuiſa fuerint, edentes. Alij muria cõ diunt acida. Reuera tamen cibus eſt incommodus, minusq; ſanus.

## STRAMONIA.

Meloſpinus. Paracoculi.

NOn prætereunda uidetur herba illa, quæ ſimiliter pomi ſpeciẽ profert, quam Stramoniam Itali uocant, ſiquidem in Germaniæ quoq; hortis plantari hodiè eſt cœpta. Venetis Melo ſpinus dicitur, & uulgò Paracoculi, Germanis **Stechöpffel/Rauchöpffelkraut.** Nonnulli, ob poma quæ fert, Malis inſanis annumerãt, aliqui uerò Sthrychnis, hoc eſt, Solanis, ob foliorum aliquam ſimilitudinem. Folijs menſe Maio enaſcitur binis, Atriplicis ferè aut Solani forma, cinericcis, caulem fert duos palmos altũ, ramulis quibuſdam, folijs teneris, Circa ſummitatem caulis, iuxtaq; enatos ramulos, capitula primùm uiridia, longa & rotunda, digiti longitudine naſcuntur, è quibus flores campanulæ forma, & lilij odore prodeũt, quibus decidentibus pomum ſubſequitur ſpinoſum, ſemine plenum. Frigoris eſt impatiens, ac quotannis à ſemine renouatur. D

TEMPERAMENTVM ET VIRES.

De uiribus huius plantulæ nihil conſtat, niſi quòd à uiribus poſteriorum Solani ſpecierum non multum diſtare tradunt.

## CHARANTIA.

CHarantiam Itali uocant, quam Germa. **Balſamkraut oder Balſamöpffel**/Gallicè, *Merueille*. Charantia uerò dicta eſt, quòd ſepti modo in hortis feneſtriſq; per cancellos facilè digeratur. Balſaminen quoq; uocant, à uiribus quas in glutinandis uulneribus cum Balſamo, ſi præparata fuerit, habet. Solent autem pomum oleo prius imbutum dies aliquot inſolare, deinde ſimo uel terra, donec prorſus intabuerit, obruere: ac ſic Balſami uires uulneribus glutinandis ferunt aſſumere.

Duo

Duo cõſpiciuntur huius genera: Primum, quod propriè Charantia dicitur Italis, Liguribus & Padanis Balſamina. Hetruſcis Pomum Hieroſolymitanum. Nonnullis Mamortica. Naſcitur hoc tenuibus prælongisq; flagellis, ultrò citroq; reptantibus, foliis bryoniæ, articulatioribus, exilibus pampinis ex alarum ſinu prodeuntibus, quibus illigantes ſeſe, cancellatim uicinis implicant pergulis, flore cucumeris ex albo in luteum langueſcente, turbinato utrinq; fructu, cute carnoſa, & per uerſus uerrucoſa, rigidioribusq; bulbis intumeſcente, cucumeris ſyluestris puſilli ſimilitudine: Puniceus eſt maturo color, Cartilago intus punicea uel lutea, ſuccus ſanguineus. Pomum maturitate diſſilit, inanitasq; confracto patet: ſemina pomi intus formam referentia continens. In Germania non niſi ſatum prouenit. Huius pictura expreſſa eſt appoſita.

1. Charãtia. Balſamina. Pomum Hieroſolymitanum. Mamortica.

Alterum genus eſt, quod fœminam uocant, quod Balſaminum neutro genere Itali uocant: Caule naſcitur craſsiſsimo, portulacæ ſimili, in herbaceo rufeſcente. Foliis ſalicis, in ambitu inciſis, floribus magnis purpureis, inſtar Conſolidæ regalis caudatis, fructum priori fert propemodum ſimilem, primùm herbaceum, deinde pallidum luteúmue, piloſum, qui itidem maturitate diſſilit, inanitasq; confracto apparet: ſemina intus aliquot lenticulæ ferè figura.

2. Fœmina Balſaminum.

TEMPERAMENTVM ET VIRES.

Temperamẽtum & uires pares cum Telephio aſsignant, præſertim ſecundo generi.

Ad uulnera glutinanda, & ſananda ualet plurimum.

Hermolaus ex ſeminibus præcipuum ad uulnera oleum exprimi tradit.

Pomis in oleo imbutis tanta uis adſcribitur, ut abſciſſas quoq; partes coniungat, adeo ut reſecta albo equo auris, nigri equi abſciſſæ ſimiliter auris parti, huius beneficio glutinari poſsit.

# STRVTHION.

STruthion à Dioscoride quidem nominatur, minimè tamen, ut notissima describitur. Est autē omnium ferè hodie sententia, eam esse herbam, quā Latini Radiculam, siue Lanariam herbam uocant: diuersa tamen à radicula, quæ Raphanus appellatur. German. **Seyffenkraut/Speychelwurtz.** Gallicè, *L' herbe a foulon*. Struthion dictam arbitrātur quasi Passerinam, à foliorum fortè positu, quæ auium alas imitentur: Vel quòd Venerem stimulet: ob auis nimirum istius salacitatem. Græci nāq; στρουθὸν passerem nominant. Lanariam & Saponariam dixerunt, quòd ad mollitiem candoremq; lanarum usi ea sint ueteres, quodq; eluendis uestium maculis, expurgandisq; sordibus saponis uicē præbeat. Radiculæ nomē à præcipua parte, qua usum præstat, accepit. Herba item fullonum, ob dictos effectus, est appellata. Officinis Condisi.

Describitur ab alijs herba spinosa, caule lanuginoso, folijs oleæ, ex interuallo quasi geniculatim prodeuntibus, quinis plerunq; in unum coëuntibus: floribus in colicu- D lorum summo candidis: radice quam in summo cespite fundit, magna, tereti & oblonga, quæ purgandis uestibus conciditur. Nascitur in hortis hodie plantata, duos continuos menses, Iunio maximè florens.

## TEMPERAMENTVM.

Calfacit & exiccat in quarto quadantenus ordine.

## VIRES. INTRINSECVS.

Radix semidrachmæ pondere cum melle sumpta, uiscosos humores, & phlegmata discutit, & educit, iocinorosis, lienosis, & difficulter spirantibus prodest: urinam ciet, aluum soluit, menses adiuuat.

Frigefactis & debilitatis ex Venereo usu uiris prodesse fertur.

## EXTRINSECVS.

Admota radix secundinam & mortuos fœtus pellit, ac cum ratione eius usus esse debet.

Succus uel puluis radicis naribus inditus, per sternutamenta cerebrū purgat: Cum polenta & aceto illita, lepras tollit, tubercula discutit: idem præstat cum farina hordeacea & uino decocta. Malagmatis & oculorum collyrijs quoq; miscetur.

Lanis quoq; & uestimentis purgandis eius est usus.

LVNARIA

A

## LVNARIA MINOR.

LVnariam minorem uulgò, German. uocant **Monrauten/Monkraut.** Gall. *Taure*: neque quicquam de appellatione aliud constat.

Nascitur in montibus caule rotundo, foliis utrinq; annexis septem, humani cordis ferè formã referentibus, in summitate caulis semẽ Betæ simile profert. Mense inuenitur Maio & Iunio.

### TEMPERAMENTVM.

Frigidam siccamq; naturam obtinet.

### VIRES.

Foliis glutinandi uis tribuitur. Ad supprimendos mensos, & album mulierum profluuium est efficax. Multa præterea de hac fabulantur Chymici, quibus in maximo est usu.

## IVNCVS ODORATVS.

B

IVncus odoratus, Græcis Schœnos, hoc est, Iuncus simpliciter per excellentiam, dicitur, quòd reliquis iunci speciebus præstet. Omnibus aliàs iunci speciebus id nomen tribuitur. Est autẽ duplex: Alter anguloso caule, qui Cyperus seu Cypérus, uel Iuncus odoratus angulosus dicitur, German. **Wilder Galgan**/Gallicè, *Souchet*. Plinius tamẽ inter Cyperum & Cypirum facit discrimen, cùm reuera nullum sit: Cùm enim longas radices habet, Cyperus Romanus uel longus dicitur, qui est Cyperis: cùm uerò oliuæ similes & sibi ipsis cohærentes, Cyperus rotundus uocatur, qui est Cypirus. Erysiscептrum aliàs Dioscoridi, & Aspalathus. Folia, Dioscoride describente, fert porri, longiora tamen & graciliora, solidioraq;, caulem cubitalem, aut etiam maiorem, angulosum, schœno similem, in cuius cacumine folia minuta proueniunt, inter quæ semen producitur. Radices habet oblongas, oliuarum modo implexas inuicemq; commissas, aut rotundas, nigras, odoratas & amaras, quarum est usus. In Germania non nisi cultus in hortis nascitur. Cultis alioqui & palustribus locis gaudet.

*Cyperus. Cypérus. Iuncus odoratus angulosus.*

*Erysiscептrum. Aspalathus.*

Altera

Altera Iuncí odorati ſpecies eſt caule rotũdo, qui C
ſimpliciter Schœnos, & Latinè Iũcus, uel Iuncus odoratus rotundus appellatur, Germ. **Kamelſtro/** qui uenit accipiendus quoties ſimpliciter Schœnos ſcribitur. Huius flores Græcis σχοίνου ἄνθος, & compoſitè Schœnanthum, & Barbaris Squinantum uocantur.

TEMPERAMENTVM.

Calfactoriam & exiccatoriam, citra morſum, uim habet.

VIRES, INTRINSECVS.

Cyperus uenarum ſpiracula laxat. Vrinam & menſes ciet. Ad calculos & aquam ſubtet cutem cõmodiſsimè bibitur. Scorpionum ictui medetur. Pota, teſte Galeno, uuluas aperit. In tribus uini heminis ad tertias decocta, tuſsi, Plinio autore, medetur.

EXTRINSECVS.

Præcluſionibus & refrigerationibus uuluæ fotu prodeſt. Farina eius ad oris hulcera depaſcentia eſt efficax. Malagmatis præterea calfacientibus & unguentorum ſpiſſamentis additur. Hulceribus quoq; ſerpentibus illinitur: Ex uino uerò uel aceto, D
ijs quæ in ſtomacho ſunt hulceribus medetur.

## LITHOSPERMON maius.

PEregrinum naſcitur in Germania ſemẽ, & tardè matureſcens, foliis longis, ſphatulæ ferè fœtidæ, ſemen inter folia & caulem ferens durum, incanum, lapideum, Piſtaciæ magnitudine, ciceris forma, ex quo corollaria nonnulli conficiunt. Germa. **Groß ſteinſamen/ Groß Meerhirſen.** Galli, *Gremil* appellant. Tragus exiſtimat Lithoſpermon eſſe Plinij lib. 27. cap. 11. quod Ciceris formã magnitudinemq; referre ſcribit. Poterit igitur, qui uolet, Lithoſpermon maius aut Lithoſpermõ Plinij appellare. Inter Lithoſpermon referre placuit, ob ſeminis lapideam duriciem, alioqui nihil cum eo commune habet.

## CELOSIA.

Celoſiam

A CElosiam uocant Itali herbam, quam Tragus, incognito Germanis nomine, **Widerschein**/à forma & splẽdore uocat. Nascitur altitudine cubitali, foliis propemodum Persici mali, per transuersum partim purpureo, partim luteo & uiridi colore resplendentia, à longe aspicientibus iucundissima, Vnde nomen Germa. **Widerschein** commodè respondet. Plura in præsentia non constant.

## NERIVM.

B NEriõ & Rhododaphne, hoc est, Laurus rosea, à rosæ scilicet floribus, & lauri foliis, Rhododendron, hoc est, Rosea arbor, Officinis & uulgò Oleander. German. **Olander**/ & **Vnholdenkraut**/ quasi dicas, non amabilis, eò quòd noxia sit planta & iniucunda. Gall. *Rosage, ou rosagine.* Frutex est aspectu iucundus satis, arbusculi instar crescens, foliis amygdalæ, longioribus tamen & crassioribus: florem fert rosarum figura, fructum amygdalæ similem, ueluti cornu, qui dehiscens lanea natura plenus est, pappis acãthinis similis. Vnde nomen uidetur traxisse, quòd Inamabilis quibusdam nominatur. Radix acuminata, longa, lignosa, gustu salsa. Loca amat humida, uelut secũdum amnes, aut in hortis riguis.

### TEMPERAMENTVM.

Calidum in principio tertij, & siccum in secundo fertur.

### VIRES, INTRINSECVS.

Noxium est & hominibus & pecori, Galeno teste, intra corpus enim sumptum perimit uescentes.

Aquam præterea, in qua folia Nerij maduerint, potantes oues, aut pecora, mori tradit Dioscorides: Cum Rutæ uerò foliis coctum Nerium, aduersus uenenatorum morsus potum homini salutare esse, idem scribit. Eadem refert Plinius,

## RVSCVS.

Ruscus

Oxymyrsine. Myrtacantha. Bruscus. Myacantha. Spina murina.

RVscus Latinis, Græcis Oxymyrsine, siue Sylvestris myrtus, & Myrtacantha. Officinis Bruscus, Myacantha etiam Græcis, hoc est, Spina murina, quòd ad fugandos Vespertiliones ad carnes suspenditur. Hinc Germanis **Meußdorn**/& **Keerbesen**/quòd ad infumibulorum purgandam fuliginem scopæ ex eo fiant. Locis gaudet opacis, nec alibi temerè nascitur, foliis myrti, latioribus, cuspidis specie mucronato cacumine, baccis per maturitatem rubentibus à mediis dependentibus foliis: nucleo duritia est ossea: Radicem habet graminis, gustu adstringentem, acerbum, & subamarum, à qua ramuli uiticis, frequentes, lenti, fractu contumaces. Hæc descriptio affabrè picturæ huic respõdet, quam Hieronymus Tragus, summè de herbaria re meritus posuit, Venetisq; ad scoparios usus frequentem esse scribit. Serapio fructum eius cum Cubebis aromaticis granis confundit, cùm fructus sint diuersi, ut primus Leonicenus animaduertit, quem alij postea sunt secuti. D.

Alterum præterea genus faciũt, proceritate arborem æquans, folio lato, duro, & per angulos aculeato, perpetua coma uirens, baccis rubentibus & racematim collectis, ex quo similiter scopæ conficiuntur, sicut ex priore. Vergilius Ruscí meminit in Eclogis, cùm inquit: Horridior Ruscó, proiecta uilior alga.

VIRES, INTRINSECVS.

Seminis & foliorum usus est ad calculum, difficultatem urinæ & menses, si in uino decoquãtur. Idem decoctum morbum regium sanat, capitisq; dolores mitigat. Cauliculi recentes asparagorum uice in cibis eduntur.

EXTRINSECVS.

Scopis ob ramulorum flexibilitatem, & foliorum horriditatem inseritur: Ad carnes præterea suspenditur, horrido suo aspectu uespertiliones deterrens.

# ALOE.

ALoe communi omnibus nomine appellatur, Gallicè, *Perroquet*. Folium eius Scyllæ similitudinem habet, crassum, pingue, modicè latum, rotundum, retrorsum pandum: folia gerunt utrinq; ex obliquis aculeos raros et breues. Caulem profert antherico similem, florem album, semen Asphodeli, odore tota est graui, & gustu amarissima, radice una, ceu palo, in terram depacta. In India copiosissima nascitur. Locis etiã prouenit maritimis quibusdam, & insulis, hodieq; in Germaniæ nostræ hortis plantatur. Succi & pinguedinis est plena, unde suspensa in æstuarijs crescit, ac noua subinde folia, alijs decidentibus, absq; omni additò fomento profert: Semperuiuum marinum nonnulli appellant, à foliorum crassitudine, quam Aizoo similem habet.

## TEMPERAMENTVM.

Succus Aloes calidus est in fine primi ordinis, aut initio secundi: siccus in tertio: amarus uehementer: adstringit modicè & sine morsu. Estq;
B Aloe ex numero eorum medicamentorum, quæ ἐκκοπρωτικὰ appellant, teste Iano Cornario, hoc est, stercus educentia: est Item ἀυσόμαχον, præcipuè elota: Repellit, digerit, terget parum, glutinat serius, stomachũ purgat, somnum conciliat, exiccat, corpora densat, aluum soluit.

## VIRES, INTRINSECVS.

Aloe pondere duorum cochlearium in aqua frigida aut tepida pota, sanguinis excreationes, Dioscoride autore, cohibet. Regium morbum curat, tribus obolis ex aqua, aut drachmæ pondere in potu. Deuorata cum resina, aut cum aqua, aut cocto melle excepta, aluum soluit. Trium drachmarum pondere perfectè purgat. Mixta purgatorijs alijs medicamentis stomacho minus ea noxia reddit. Sanguinis eruptiones ex hæmorrhoidibus factas sanat.

## EXTRINSECVS.

Siccata & insperſa Aloe uulnera glutinat, & hulcera ad cicatricem perducit, compescitq;, priuatim autem exulceratis genitalibus medetur, & rupta infantium præputia agglutinat. Condylomata rimasq; sedis cum passo mixta sanat. Digitorum reduuias ad cicatricem perducit. Liuores & sugillata cum melle tollit.

Palpebrarum scabrities angulorumq; prurigines lenit. Dolores capitis sedat, temporibus & fronti ex aceto cum rosaceo inuncta.

Capillos defluentes cum uino cohibet. Tonsillis, gingiuis, omnibusq;

oris hulceribus ex melle & uino prodest. Oculorum medicamentis in te- C
sta pura & candente torretur, rudiculaq; subinde uersatur, donec torrea-
tur æqualiter. Vel lauatur, ut quod est arenosissimum subsidat, tanquam
inutile, & leue, & pinguissimum assumatur.

## DE ALOES SVCCO.

Duo sunt succi concreti genera, inquit Dioscorides: Vnum areno-
sum, quod sedimentum purissimæ Aloes uidetur, Officinis Caballinum
dictum: Alterum iecoris modo coactum, Succotrinum Barbaris appel-
latum. Eligito puram, quæ nihil sensit doli, sine calculis, splendentem, sub
ruffam, friabilem, iocinoris modo concretam, facilè liquescentem, exi-
miæ amaritudinis. Reprobato nigram, & fractu contumacem.

## CORIANDRVM.

Corianon. Corion.

**Coriander. Wantzkendyll.**

*Corianon Corion. Coriandrum.*

CO rianon aut Corion Græcis, Vul-
gò Coriandrum dicitur. Corion au
tem dictum à cimicibus, quos Græci κόρις uocant: quòd folia eius & caulis ad-
huc uirens, cimices olent, German. **Co-** D
**riander/Wantzkendyll.** In hortis &
agris nascitur. Caule exili, sesquicubita-
li, ramoso, folio adianti primùm, dein fu
mariæ, odore graui, flore candido, semi-
ne rotundo ac nudo, firmo & diutino,
radice lignosa, breui, nec admodum fi-
brata. Seritur Maio. Prouentu, ut Theo-
phrastus scribit, est contumax, quippe si
nouum sit nasci recuset, nisi cõuoluatur.
Ex ueteri semine celerius exit.

### TEMPERAMENTVM.

Coriandrum adhuc uiride frigidæ est complexionis, nec intra cor-
pus sumitur. Maturum uerò semen odoris est grati, & temperamen-
ti calidi, & intra & extra corpus admouetur.

### VIRES, INTRINSECVS.

Coriandri frequens & immodicus usus, ut Dioscor. monet, est fugi-
endus: infensissimum enim est capiti si crebrius sumatur. Vnde etiam in-
ter uenena lib. 6. Dioscor. connumerat. Mediocriter autem semen sum-
ptum stomacho est bonum, & eundem corroborat: cibos in uentriculo
donec probè concoquantur retinet. Semen per noctem in aceto imbu-

tum,

tum, exiccatumq; stomacho est utilissimum: uenenatas enim exhalationes reprimit, nec nisi imbutum prius, ut dictum est, sumi debet. Cum dulci uino eodem modo potum lumbricos necat, & menses ducit. Tostum igne uentrem sistit. Prodest ad phlegmonas & calidas temperaturas. Sanguinis profluuium, potum, & si imponatur, sistit. Succus etiam eius potus uenenum est, & occidit. Qui enim hunc bibunt muti fiunt & desipiunt, ut Simeon Sethi refert. Adiuuat hos aqua salsa pota, & testa ouorum trita immixta.

EXTRINSECVS.

Herba cum Fabarũ aut Viciorum farina & rosaceo oleo contusa, inflammationibus omnibus in locis, præsertim uerò genitalibus, mirè medetur. Cum lactuca, albumine oui, & oleo rosaceo folia trita, & imposita, erisy pelatã adiuuant. Carnem à putredine & uermibus, si semine eius in aceto tuso, salsa madefiat, conseruat.

## NIGELLA.

Melanthion.
Gith.
Papauer nigrum.

NIgella Latinis, Græcis Melanthion, utrisq; à seminis nigro colore dicta. Gith itidem & Papauer nigrum, Germanis **Schwartz Kümmich/ Schwartz Coriander.** Gallicè, *Barbue, Poiure, Comin sauuage.* Tria sunt eius genera hodie cognita, quæ Tragus etiam & Fuchsius describunt: Hortensia duo. Syluestre unum.

1. Schwartzer Kümmich.

Prima hortensis species, frutex est pusillus, ramulis tenuibus, altitudine palmorum duorũ, uel amplior, foliis paruis, Senetioni herbæ similibus, multò tamen exilioribus, capitulo in cacumine exiguo, ceu Papaueris, oblongo, intercursantibus interne distinctionibus loculorum quinq; aut sex, in summitate extrinsecus corniculatis, quibus semen nigrum, acre & odorum includitur. Germa. **Schwartz Kümmich.**

2. Schwartzer Coriander. Nigella Damascena.

Hortensis altera, quę Nigella Damascena dicitur, Germa. **Schwartz Coriander/** quòd folia Coriandri foliis non dissimilia habeat, substantia priore est maior, odore uerò minor, & aspectu iucunda.

Wild Schwartzer Coriander.

Syluestris nigella, secundæ hortensi non est multum dissimilis, foliis anethi: flores habet primo similes, nisi quòd sunt colore elegantiores, capitulum aquilegiæ respondet, ac semina in se continet nigra & odorata. Germa. **Wild schwartz Coriander.** Syluestrem hanc speciem Fuchsius tertium potius Cumini syluestris genus non malè existimat.

Est & aliud præter hæc genus semine subflauo, in reliquis primo generi per omnia simile.

## TEMPERAMENTVM.

Calida sunt & sicca omnia Melanthij genera in ordine tertio. Discutiunt & educunt.

## VIRES, INTRINSECVS.

Semen Nigellæ in uino per aliquot potum dies, urinam ciet & menses, lumbricos pellit, lac nutricibus auget, pulmonem purgat, pectus soluit, tormina sedat.

Semina

A Semina autem non uiridia, nec etiam copiosiora aut frequētiora sunt sumenda: corpus enim sic lædunt.

EXTRINSECVS.

Extra corpus adhibita semina, easdem cum Coriano uulgari uires habent: tumores, œdemata discutiunt, papulas & serpiginem sanant, inflā mationesq; imposita restinguunt.

Tusum semen cum aceto rosaceo fronti circumlitum, phrenesi medetur.

Sylvestris nigella uiribus & odore etiam est præstantior. Serpentes et uenenata sylvestris nigellæ fumus fugat.

Ad orthopnœas & defluxus capitis facit odoratum, præsertim si calefactum fuerit, ut Simeon Sethi testatur. Tritum item, & cum aceto uentri impositum, lumbricos necare dicitur, ut idem est autor.

## PAPAVER RHOEAS, seu erraticum.

Μηκωνίδιας Græcis, Latinis Papauer fluidum seu erraticum, à flore sic dictum, qui ei protinus decidit. Μήκων Græcis dictum, à μὴ κωνεῖν, id est, à non ministrando, quòd eo uescentes suis fungi officijs non patiatur: quod de satiuo intelligitur. Officinis Papauer rubeum. Gallicè, *Coquelicoc*. Germanis à strepitu quem pueri harum foliis edunt, **Klapperrosen**, quasi crepitaculares rosas, & **Kornrosen**, quòd in frumentis nascantur, appellant Item **Feldmagsamen**. In segetibus passim à Maio ad autūnum usq; nascuntur. *Papauer rubeum.*

B

Duo sunt eius genera. Maius Germa. propriè **Klapperrosen**: Minus Germanis **Kornrosen**, non nisi magnitudine differentia.

Folium habet, Dios. autore, origano simile, aut erucæ, aut intybo erratico, aut thymo, incisum, sed longius & scabrius, caule iunceo, aspero, cubitali, recto: flore rubeo, interdū candido simili Anemone: caput oblongum, sed quàm anemones minus: semen rufum, radix longa, subcandida, minoris digiti crassitudine, amara. In aruis & segetibus passim nascitur. Floret uere & messis tempore. Porrò Dioscorides non bene papauer foliis origani & thymi comparat, ut ostendit etiā Cordus, cum nulla sit ipsi cum his similitudo, sed folia habet Erucę, aut Cichorij modo incisa. Vnde abundare ista apud Dioscoridem colligitur, & ab alio quodā adiecta.

Altera ſpecies priori ſimilis eſt, foliis Cichorij. Non autem eſt anemone papauer rubeum, ut docet Ruellius. C

TEMPERAMENTVM.

Omnia papaueris genera refrigerant in quarto ordine.

VIRES, INTRINSECVS.

Quinq; uel ſex huius papaueris capita, cum tribus uini cyathis decocta, donec ad duos reducantur, bibuntur contra uigilias, ut ſomnos accerſant. Tuſum ſemen cum melle ſumptum, aluum emollit. Aqua ſtillatitia, internum calorem reſtinguit: In ardentibus febribus utiliter abſq; dãno bibitur. Iecur enim aquæ iſtiuſmodi refrigerant: colli inflammationes & linguæ, gargarizatæ, mitigant ac compeſcunt.

EXTRINSECVS.

Aqua ſtillátitia eryſipelati medetur circumlita, narium fluxum, iecori cum panniculo madefacto impoſita, ſiſtit. Oris uitia & hulcera, decoctum eius collutione, ſanat. Mulierum item menſtrua profluuia compeſcit, decocto eius ſi lauentur. Temporibus illita aqua phreneticis auxiliatur. Calidos oculorum dolores cum linteo impoſita mitigat. Succus eius cum nitro & ſulphure ſcabiem ſanat, omniaq; cutis uitia extergit.

## PAPAVER SATIVVM.

1. Papauer album. Thylacite.

2. Nigrum, Pythite.

Μηκώνιον.

Opium.

PApauer ſatiuum, Germa. **Magſamen oder Mön/Oelmag/Oelſamen.** Gallis, *Pauot.* D

Duo ſunt eius genera: Alterũ quod Papauer album dicitur, Græcis Thylacite, ab oblongo, et utriculis ſimili capite: ſemine candido.

Alterum nigrum, Græcis Pythite, à dolij forma, quod nigrum ſemen in lato, ſeſsili, & doliolo ſimili capite, concludit. Officinis & uulgò Papauer nigrum.

Foliis conſtat longis, per ambitum ſerratis, nulloq; pediculo cauli adhærentibus: Floribus uel candidis, uel ex candido leniter purpureis: capitibus oblongis, in quibus ſemen atrum uel candidum. Succus Papaueris Μηκώνιον dicitur: non Opium, ut quorundã eſt error. Eſt enim Opium liquor eius lacteus, ut pòſt dicetur. In hortis ſatũ prouenit. Floret Iunio & Iulio potiſsimùm, ac ſubinde in capitulis ſemen profert.

Tragus quinq; obſeruata à ſe ſatiui genera enumerat, flore & ſemine differentia. Primum floribus in ſummo candidis, maculis purpureis diſtinctis, ſemine cano, quod cùm maturuerit ſpõte ex fathiſcentibus circa ſcapum capitulis excidit. Hocq; eſt uulgare Papauer.

Alterum

A Alterum flore prorsus candido, capitulis nonnihil quàm in altero longioribus, semine etiam candido.

Tertium floribus similiter candidis, sed maculis circa capitulū rubris tinctis, semine subflauo.

Quartum flore penitus rubro, semine atro.

Quintum flore puniceo, maculis circa caput fuscis, semine similiter nigro.

Præter hæc adhuc duo, alterum candido, alterū rubro flore, foliis in flore scissis, & in extremitatibus diuisis, alterum candido, alterum fusco semine, tradit. Omnibus semen in capitulis est conclusum. Primi tantùm generis capita, maturo semine fathiscunt, sicut papaueris erratici.

## TEMPERAMENTVM.

Quarti est ordinis, sicut & reliqua Papaueris genera, refrigerantium.

## VIRES, INTRINSECVS.

Papauer album in panem & cibos commodè & utiliter miscetur. Vertiginelaborantibus, ut experimento constat, auxiliatur. Soporem allicit in pueris & uiris. Infantibus in pulte semen datum, somnum ijs cōciliat. Succus eius efficacior est, sed magis noxius corpori.

Papauer nigrum uel succus eius, per se aut cum uino potus, fluxus à capite in pulmonem decidentes sedat, tussim asperam lenit: omnisq; ge
B neris defluxiones constipat, in uiris & fœminis.

## EXTRINSECVS.

Papaueris semina, succus, herba, aut stillatitia aqua, phreneticis, frōti illita, sunt auxilio, matrici indita dolores sedant, & fluxus sistunt: idem præstat decoctum capitulorum papaueris; ignem item sacrū restinguit. Cum oleo Amygdalino auribus infusum, tinnitum compescit. Ad eadē pollet liquor foliorum, capitum, & seminum stillatitius. Ex nigro autē Papauere lacteus liquor, leniter incisis uasculis colligitur, quem Opium in Pharmacopolijs nomināt. Exprimitur etiā ex tusis uasculis & foliys succus, & in sole exiccatur: eum priuatim Græci uocāt Meconium, sed uiribus est liquore imbecillior, propter inconcoctā et aqueam substātiam, quam ob causam facilè putrescit & teredinem sentit. Opium itaq; Papaueris est liquor: non igitur exiguo errore succus papaueris à multis uertitur, cùm succus eius dicatur Meconium.

*Opium est liquor lacteus papaueris.*

*Meconiū est succus foliorū et uasculorū papaueris.*

## OLEVM DE PAPAVERE.

Oleum Papaueris impinguat, asperam arteriam lenit, febrium ardorem & insomnium mitigat. Exprimitur autem ex semine utriusq; Papaueris, tam albi quàm nigri.

## SIRVPVS DE PAPAVERE.

Sirupus de pāpauere ualet ad catarrhum & tussim, causamq; insomniæ. Conficitur hunc in modum: Recipe capita papaueris albi uel nigri ana ʒ. lx. aquæ pluuialis lib. iiij. coquantur donec maneat aquæ tantum, lib. j. s. Colaturæ adde sacchari, penidiarum ana ʒ. vj. Fiatq; sirupus. Et

hunc appellant simplicem. Compositus uerò de papauere sirupus confici C
tur, hoc modo: Recipe papaueris albi uel nigri, ana ʒ.l. Capillorum Ve
ris ʒ.xv. Glycyrrhizæ ʒ.v. Iuiube numero xxx. Seminis lactucæ ʒ.xl. Se-
minis Maluæ & seminis cytoniorum, ana ʒ.vj. Coquantur in lib. qua-
tuor aquæ duas, & cum sacchari & penidiarum, ana ʒ viij. fiat sirupus.

## PAPAVER CORNVTVM.

Græcis Ceratitis.

Papauer marinum.

PApauer cornutum, Græcis Μήκων κερατίτης. Germa. **Gelb ölmagen.** Gall. *Pauot cornu.* Folia habet candida, tenua, hir suta, uerbasco similia, ser rato ambitu, sylueſtris papaueris modo, cui nec caulem habet dissimilē, flore luteo pallidōue, ca-lyce pusillo, inflexo ut cornicula, effigie fœni-græci, unde cornutū, seu corniculatum est dictū: D semine nigro exili, quale est papaueris, radice per summa cespitum, sublimi, crassa. Locis nascitur maritimis & gracilibus, ut autor est Dioſc. apud nos non nisi satum prouenit. Floret Iunio. Semē messis tempore colligitur. Marinum alij appellant, quòd in maritimis crescat. Errant qui memythen, id est, Glaucium, hoc idem appellant, foliorum decepti similitudine. Differt enim ab eodem. Sicut & ij errant qui idem cum rhoade, hoc est, papauere erratico, German. **Klapperroſen**/ de quibus paulò antè, existimant. Theophrastus Papauer sylueſtre facit.

### TEMPERAMENTVM.

Facultatis est calidæ & siccæ, ut gustus eius qui nitro est similis, ostendit.

### VIRES, INTRINSECVS.

Radix, teste Dioſc. in aqua ad dimidiam partem decocta, ischiadicis & iocinorosis medetur, nec non difficulter mingentibus. Semen tusum cum mulso aluum purgare fertur.

EX-

Folia floresq; cum oleo illita, sordida & maligna hulcera iuuãt. Eadẽ inuncta iumentorũ argemata & nubeculas emendãt. Sed hulceribus purgatis, ab hoc abstinere oportet, ut docet Galen. adeò enim abstergere uallet, ut & puræ carnis nonnihil eliquet, atq; hoc facultatũ robore, non sordes solùm, sed & crustam hulceribus detrahit. Folia ex melle carbunculis medentur.

B

## ANEMONE.

Ἀνεμώνη Græcis, Latinis Anemone, eò quòd flos eius nunq; nisi spirante uento, qui Græcis ἄνεμος dicitur, se aperiat: siquidem afflatu uenti statim flores eius dehiscũt, & in folia se explicãt. Duorum est generũ Dioscoridi: alterum syluestre: alterum locis cultis nascens, diuersas quoq; species habẽs: nũc enim phœniceo, nũc candido, nunc lacteo, nũc purpureo flore cõspicitur: folia Coriano sunt similia, sed scissa tenuius in terrã inclinãtur. Cauliculi exiles lanuginosiq;, super quos flores exeũt papaueris, & in medio capita coloris cœrulei, aut nigri. Tragus **Anemone rõßlin** Germanicè appellat. Nonnullis papauer creditur esse rubrum, sed magno errore, cùm folia manifestè repugnẽt.

Anemone uerò syluestris, satiua seu ea quæ cultis nascitur, per omnia est maior, foliis latioribus & duriorib̃us, capite oblongiore, flore puniceo, tenuibus multisq; radicum capillamentis. Capita tamen in Anemone non sunt Papaueris forma, sed asparagi potius modo in acutum fastigiata hirsutaq;.

Hæc est quam Officinæ uocant Herbam uenti, German. **Ruchenschell/ & Küschell** / item **Hackelkraut/ & Schlottẽblüm.** Italis Cocles. Gall. Coquerets, Coquelourdes. Herba uenti. Cocles.

Locis

Locis naſcitur ſabuloſis mõtoſiſq; & ſyluis Cæduis, inter ſentes: flos C
in capitula rotunda, lanuginoſaq; & hirſuta, erinacei figura, aut ſicut a-
ſparagi capitula, mutatur, ac uelut in ſpicam faſtigiatur: non ſicut in pa
pauere rotundatur, ut quidam exiſtimarunt, confundentes Anemonen,
Argemonem & Papauer erraticum: cùm manifeſtum ſit inter hęc, quod
*Diſcrimẽ Argemones, Papauẽris erratici, & Anemones.* à Dioſcoride refertur, diſcrimen. In Argemone enim & Papauere erra-
tico, capitula ſunt papaueracea, ac in Argemone quidem ſupernè eſt la-
tiuſculum, in Rhœade uerò ſeu papauere erratico eſt ſubanguſtum. A-
nemones uerò caput recentis aſparagi modo uelut in ſpicam faſtigiatur.
Deinde Argemone ſuccum habet croceum, acrimonia inſigni: rhœas
uerò lacteum, candidumq;; At Anemone nullum eiuſmodi. Poſtremò ſe
rius etiam Anemone floret.

*Argemone.* De Argemone Dioſcor. lib. 2. cap. 170. hodie incognita, licet quidã
ad Agrimoniam detorqueant, de qua ſuo loco. Iam ad deſcriptionem
Anemones ſylueſtris redeundum: folia ſunt in ramulis fœniculi ferè, co
moſa. Floret menſe Martio. Acris eſt uehementer. Vnde Hieronym. Tra
gus ex Ranunculi ſpeciebus eam cenſet.

TEMPERAMENTVM.

Dioſcorides utriq; acrem uim attribuit, temperamento potiſsimùm
eſt calido & ſicco. Ad ranunculorum quadantenus temperaturã acce-
dens.

VIRES, EXTRINSECVS. D

Ob inſignem acrimoniam extrinſecus potius quàm intrinſecus adhi-
betur. Succus naribus infuſus caput purgat. Idem præſtat aridæ radicis
puluis, naribus inditus. Commanducata radix, pituitam trahit. Sordida
& putrida hulcera purgat, gangrænisq; adhibetur. Lenior & commo-
dior eſt aqua ſtillatitia. Folia uiridia cum ſucco tuſa, ungues craſſos &
deformes conſumunt.

## PSEVDOMELANTHIVM.
Githago.

PLurima apud autores de herba quæ inter ſe-
getes naſcitur, Germanis **Raden**/ uel **Rat
ten**/ & **Kornneglen** dicta, eſt controuerſia.
Non paucis placet eſſe Lolium ſeu Aeram, ocu-
lorum peſtem, de quo Verg. Et careant lolijs o-
culos uitiantibus agri. Poſſet quidem uideri nõ
incommoda horum ſententia, niſi Lolio auto-
res ſpicam, ſicut reliquis frugibus tribuerent. Vt
infrà inter fruges ſigillatim, capite de Lolijs di-
cetur. Herba uerò quam Germani **Raden** uoca
mus, non habet ſpicam, ſed uaſculum hiſpidum, ut in deſcriptione oſten-
detur, & ex pictura quoq; liquet. Deinde multorum eſt opinio, eam eſſe
Nigellam,

A Nigellam, seu Melanthion, quorũ manifestus apparet error, descriptionem Melanthij cum hac nostra herba conferentibus. Alijs Pseudomelanthion seu Githago existimatur: quorum potius sententię, ne anonymos Planta maneat, uidetur subscribendum, donec uel Lolium, uel alia aliqua herba esse certò possit ostendi. Pseudomelanthium uerò quasi adulterinum Melanthium est dictum: à uero enim Melanthio longè abest. Pseudomelanthium. Githago.

Nascitur in segetibus passim, foliis allij modo acuminatis, sed breuioribus pilosisq;, coloris cinericei aut nigricantis, florem fert mense Iunio purpureum, paruæ & quinq; foliæ rosæ similem, quo decidente capitulum seu uasculum manet, longiusculum, angulosum, hirsutumq;, in quo semen nigrum.

TEMPERAMENTVM.

In tertio excalfacientium ordine, & fine secundi exiccãtium statuitur.

VIRES.

Folia cum semine Chirurgis sunt in usu. Membra dura, neruosq;, per fomẽta, siue insessu, aut balneis aqueis emollit: alij eum furfure tritici aut hordei, addito oleo, uel aceto, uel uino, calidum membris imponunt.

## SIDERITIS PRIMA.

### Glidkraut. Zeyßkraut.

B

Sideritis, Ruellio teste, dicta est, quòd glutinãdis uulneribus apta, præcipuum in bello usum habeat. Primam uocant, ad differentiam alterius, quam inter Gerania referunt, Herbam Roberti dictam. Item alterius quæ Heraclea dicitur, quam Orminõ faciunt. Sideritis igitur prima locis nascitur asperis, petrosis & incultis, foliis Marrubij, lõgioribus tamen, ad Saluiæ seu Quercus figurã accedentibus, sed minoribus & asperis. Caules habet quadratos, dodrantales, aut longiores, gustu non ingratos, aliquo modo adstringentes, in quibus per interualla, uelut in marrubio, uerticilli in orbem circũacti, in quibus semen exiguum. Germ. **Glidkraut/Zeyßkraut.** Officinæ pro uera Chamæpity hac utũtur, sed magno errore. Ruellius Iudaicam herbam Gallis appellari scribit. Iudaica herba Ruellij.

TEMPERAMENTVM.

Naturæ est humidę potissimùm, ac mediocriter frigidæ.

VIRES.

Ad uulnera glutinanda maximè est utilis, tantãq;, Plinio teste, uim habet, ut, quamuis recenti gladiatoris uulneri illigata, sanguinem sistat.

# HYOSCYAMVS.

C



D

Hyoscyamus.

HYoscyamus Græcis, Latinis Suilla faba, quòd sues, ut autor est Aelianus, pastu huius herbæ resoluantur, & conuellantur: sed remedium nouere: aquas enim statim adeunt & cancros uenãtur, atq; ita protinus salui fiunt. Latinis Apollinaris, quòd Apollo sit eius inuentor. Arabibus Altercum, quod qui biberint, ut autor est Antonius Largus, caput graue uenisq; distentum habent, menteq; abalienantur, cum quadam uerborum altercatione. Officinis corruptè Iusquiamus, German. **Bilsen/ Bilsamkraut/ Sewbon/ Dollkraut/ Schlafkraut**. Tria sunt eius genera: nigrum, flauum, & album, à seminis forma cognominata.

Faba suilla.

Iusquiamus.

Frutex est aspectu tristi, folio lato, lõgo, pingui, hirsuto, uenoso, & laciniato: caulibus crassis, è quorum latere flores prodeunt, tanquam malorum punicorum cytini, muricatis calycibus, ramos continua serie uestientibus, semine intus papaueris refertis.

1. Primum autem genus floribus est ferè purpureis, folio Smilacis, nigro semine, cytinis duriusculis & spinosis: Alterum floribus effigie mali, foliis & folliculis simplicioribus, semine Irionis subflauo. Vtrunq; insaniam & capitis uertiginem pariens, ac proinde abdicantur usu.

2.

3. Tertium est medicis in usu, pinguius cæteris, molle, lanuginosum, floris & seminis candidi, nascens in maritimis & ruderibus, sicut & secundum,

A dum: hoc si haberi non possit, flauo erit utendum. Plinius quatuor facit genera: nigrum, uulgare seu candidius, flauum, & album.

TEMPERAMENTVM.

Prima duo genera tanquam uenenata, usu sunt abdicata. Tertium album est ex tertio quodammodo refrigerantium ordine.

VIRES, INTRINSECVS.

Albi hyoscyami semen contra uehemētes capitis fluxus, è quibus acris tussis excitatur, cum uino, Dioscoride referente, bibitur. Est autem extra corpus potissimùm eius usus. Intra corpus enim uenenum est.

EXTRINSECVS.

Folia, flores & semen somnum conciliant: nimius autem usus dementes efficit. Succus cum panniculo illitus, oculorum inflammationem & fluxus compescit. Idem aurium dolorem instillatus mitigat. Viridia imposita folia, tumores reprimūt. Cum farina trita folia, membrorum dolori & podagræ medentur. In pedum lauacra admixta herba, aut etiam in desessionibus somnum allicit. Easdem habet uires oleum seminis, cū aceto fronti & temporibus illitum. Pectoris tumores idem illitum discutit, & dolores lenit. Iisdem uiribus est prædita aqua stillatitia.

Radix cum aceto cocta dolorem dētium, si os calido decocto colluatur, sedat. Contra sumptum Hyoscyami semen aut folia, lac caprinum, uel aqua mulsa, uel semen Cucurbitæ, aut nux pinea est remedio. In horū
B autem defectu poterunt prodesse semen Vrticæ, Nasturtij uel Sinapi, Raphanus, Cepa uel Allium, cum uino comesta.

Aquilegia.

OLEVM DE HYOSCYAMO.

Oleum de Hyoscyamo ualet fluxibus, & inflāmationibus oculorum prodest: aurium dolores mitigat, tumores sedat, dolorem membrorum mitigat, podagræ medetur.

Exprimitur autem ex semine Hyoscyami eodē modo quo solet fieri ex Papauere.

## AQVILEGIA.

AQuilegia notissima hodie herba, à Dioscor. nō tradita, German. **Agley/Ackeley/Ageley**, Gallicè, *Ancolie*. Hieronymus Tragus Centaurium maius Dioscor. lib. 3. cap. 6. existimat, siquidem Cē taurij maioris & Aquilegiæ descriptio exiguum quid differāt, flore nimirum qui in Centaurio est lanuginosus, et croci similitudine. Herba est nemini non cognita: folia habet Chelidonij maioris, sed paulò rotundiora ac molliora. Caulem cubitalem, & interdum proceriorem, in cuius summo flores sunt purpurei, ex caudis quibusdam, ueluti

Centaurij maius.

muliebres loculi propendentes, quibus decidentibus capitula ſubnaſcun C
tur: haud ſecus atq; in melanthio, quibus ſemen ineſt atrum. Radix eſt craſſa. In hortis paſsim & pinguibus pratis naſcitur. In montibus tamẽ & petris ac macris etiam inuenitur. Floret Maio & Iunio.

TEMPERAMENTVM.

Calida eſt mediocriter, ac modicè digerit.

VIRES, INTRINSECVS.

Radix uino cocta & pota, rupta & conuulſa omnia intra corpus, ſanat. Prodeſt dyſpnœicis, hydropicis. Vitiatum pulmonem & laterũ hulcera purgat. Sanguinem expuentibus eſt ſalutaris, omnibusq; internis corporis uitijs medetur. Quòd ſi patiens febricitans etiam fuerit, radix cum ſaccharo in aqua decoquẽda erit. Trita in farinæ modum drachmæ pondere, cum croco, oboli quantitate, in uino pota, cooperto mox & ſudante corpore, ictericis mirè confert, iecoriſq; obſtructiones ſoluit. Stillatitia florum aqua ad eadem eſt utilis, eſtq; præcipuum contra ſyncopen confortatiuum. Interna corporis hulcera diſcutit, omniaq; uenena & tormina pellit.

EXTRINSECVS.

Radicis & foliorũ ſuccus uulnera cõglutinat: quod uel hinc colligere licet, quòd carnibus coquẽdis appoſita, eas in olla coaleſcere facit. Peſſum in ſucco eius madefactum, mẽſes & mortuos fœtus educit. Fluxus et D
dolores capitis ſuccus aut aqua illita compeſcit, furfures capitis ſuccus cũ aceto illitus, ſalſa primũ aqua purgato capite, pellit. Caliginẽ oculorũ infuſus ſuccus diſcutit. Aurium dolori inſtillatus prodeſt, uermiculos & pulices earum enecans. Fiſtulas aliaq; oris hulcera, naribus infuſus ſuccus, aut ſi oseo colluatur, curat. Scabiem omniaq; cutis uitia tollit. Idem facit radix in albo uino ad mediam partem decocta, ſi decocto cutis abluatur, & madefactus in eo panniculus circumponatur.

## CENTAVRIVM MAIVS.

Officinis Rhaponticum, falſò.

CEntaurium à centauro Chirone nomen habet. Folia habet nucis iuglandis, oblonga, uiridi braſsicarum colore, ſerrata in ambitu, caulem rumicis, binũm ternũmue cubitorum, adnatis multiplici ſobole fruticantibus ab radice, in quibus capita, ceu papauerum, è rotũdis oblonga. Flos in cœruleum inclinatus, ſemenq; cnico ſimile,

A simile, floccis inuolutum, ut in lanugineis solet floribus, radice uasta, solida, ponderosa, bicubitaliq;, madida, acri cum adstrictione quadam, nec citra dulcedinem rubescente. Rubet & succus. Gaudet pingui solo nasci, apricis fruticosisq; collibus. Officinæ hodie impropriè hãc radicem Rhaponticum appellãt. Est enim Rhaponticum, quod Officinæ hodie ostendunt, Centaurium illud maius. Germanis cum Officinis eodem errore **Rhapontic** nominatur. Errant & ij qui Centaurium hodie depingunt cubitali cauliculo, frondibus salignis, aliquanto maioribus, per interualla binis, auersa parte candicantibus, interna uirentibus, & ferè connexis, flore luteo: quæ lysimachiæ magis descriptio conuenit.

*Rhapõticum Officinarũ.*

*Rhapõtic.*

TEMPERAMENTVM.

Radix Centaurij est acris, subadstringens, subdulcis, & subamara, glutinandi uim habet. Ad duodecim annos, nec ultra radix asseruari ualet.

VIRES, INTRINSECVS.

Radicis decoctę succus medetur omnibus morbis: priuatim uerò aduersus angues radicis drachma in uini cyathis tribus bibitur. Sanguinem excreantibus in febribus in aqua datur: sin febris non sit, in uino. Eodem modo torminibus, uuluarumq; doloribus medetur. Per se faciles facit excreationes; sanguinem ejicientibus prodest. Stomachum corroborat. Dyspnœæ medetur in eclegmate: Pleuriticis & peripneumonicis bibitur cum dauco. Phthisicis in uino prodest. Regium morbum qui sit citra febres, impugnat: tormina discutit.

B

EXTRINSECVS.

Inspersum uel illitum, hulcera quæ cacoëthe uocant, sanat. Recens tusa radix, aut arida antè madefacta uulnera glutinat & coniungit.

Mẽses & partus in tenuitatem collyrij derasa, & subdita euocat. Carnibus adiecta coalescere eas facit, si simul coquatur.

## CENTAVRIVM MINVS.

CEntaurium minus, Græcis Λιμνήσιον & Λιμναῖον, quòd circa paludes & scatebras aquarum proueniat, est dictum. Latinis Febrifuga, à uiribus, & Fel terræ, ab amaritudine quam habet, appellatur, German. **Tausentgulden/ Fieberkraut/ Erdgall/ Biberkraut/** & **Aurin**. Galli, *Fiel de terre*.

*Febrifuga*

*Fel terræ*

Herba est Origano hypericõue similis, caule sesquipalmum alto, fruticanti, anguloso, lychnidis floribus, è puniceo purpuratis, folio rutæ, prælongo, & minuto, semine tritici, radice tenui, superuacua & leui. Nascitur Dioscoridi iuxta lacus, & loca rigua. Hodie uerò in solo passim arido, & in pratis minus pinguibus est inuenire. Floret æstate & autumno.

Naturæ est calidæ & siccæ. Exiccat maximè absq; mordacitate: est enim amarum cum exigua adstrictione.

VIRES, INTRINSECVS.

Manipulus Centaurij cũ floribus in uini aut aquæ mensura dimidiata ad mediã decoctus partem, bilioſos & uiſcoſos ex stomacho humores per inferna educit. Ictericis & febri assiduè laborãtibus prodest. Iecoris & lienis obstructiones, dies aliquot potus, aperit: uitioſos corporis humores educit. Vermes uentris necat, mortuos fœtus & menses pellit: Colicæ passioni, in qua obstet obstructio, medetur. Suauior est aqua stillatitia, sed uiribus imbecillior. Eosdẽ præstat usus puluis herbæ cũ uino, uel pilulæ ex eo cõfectæ, quæ non parum coxendicum, articulorũ & podagræ quoq; doloribus auxiliantur. Ad clysteres etiam non est inutilis.

EXTRINSECVS.

Succus cum melle collyrijs oculorũ miscetur. Menses ciet & secundinã, pesso in eo madefacto. Vetera hulcera purgat, et ad sanitatẽ perducit. Viridis herba tusa & illita, uulnera recentia cõglutinat & sanat. Succus expressus ac in sole arefactus ijsdem pollet uiribus. Succum Dioscorides hoc modo conficit: Legitur herba in ipso flore, & diebus quinq; madefacta, ad mediã decoquitur partem, mox linteolo exprimitur, ac quod expressum est, iterum, donec mellis crassitiem induat, coquitur.

## RHA PONTICVM, ET BARBARVM. D

Rhaponticum officinarum.

Sceniticũ.

RHaponticum & Rhabarbarum eruditissimorum testimonio, Ruellij, Valerij Cordi, aliorumq; eiusdẽ herbę seu radicis sunt nomina. Officinarũ enim hodie Rhaponticum, ut paulò antè est ostensum, est Centauriũ maius. Rha dictũ à fluuio eius nominis, Põticum uerò à natali solo, Barbarum uerò, ut ostẽdit Ruellius, ætate Pauli appellari cœptũ est, quòd ex Barbarorum regionibus asportaretur. Sic Gręci etiã posteri Sceniticũ à Scenitis Arabiæ populis, apud quos nascit, dixerũt. Atq; hoc modo etiã Rha arabicũ appellare licebit. Idẽ igit sunt Rha ponticũ, Barbaricũ, Sceniticũ. Vires etiã sunt eædẽ. Quod uerò de odore obijci posset: qa quod in Põto nascit inodorũ est: quod uerò in India, est maximè odorũ, hoc ratione est cœli & loci: in India enim ob maiorẽ calorẽ fit odoratius. Pro cõditione nanq; loci eadem herba qualitate sæpe uariat. Nemo igitur ambiget nostrum Reubarbarum, sicut uulgò uocãt, esse Dioscoridis Rhaponticum. Quid uerò Rhaponticum sit, quod monstrant Officinæ, antea dictum est. Nunc igitur descriptionem Rha ex Dioscor. subijciemus.

Rha, quod alij Rheum, Latini Rhaponticum uocant, radix est nigra, maiori Centaurio similis, minor & rufa magis, sine odore, fungosa, minimè

A nimè ponderosa. Probatissimum quod teredines non nouit, si gustu glutinosum, cum quadam adstrictione, et commanducatum impallescat, colorémq; reddat ad crocum inclinantem.

Est & hodie quod seritur in hortis, quod Rhabarbarum monachorū uocant, quod Lapathi uel Rumicis est species, de quo infrà.

## TEMPERAMENTVM.

Rhapontici uis præcipua est spissandi, & guttantia substringendi, cū quadam calfactione.

## VIRES, INTRINSECVS.

Rhaponticum dysentericis datur & cœliacis, si febre careant, in uino: sin aliter, in aqua datur. Datur & decoctum eius bibendum duplici mensura, ad rupta, conuulsa, contusis, & ex sublimi deuolutis. Si pectoris sint dolores, additur piperis aliquid & myrrhæ: si dissolutio stomachi, ex frigida aqua sumitur, siue intus, siue extrà purulentis excreationibus: item lienosis, hepaticis, ischiadicis: ad renum uitia, suspiria, orthopnœas. Arteriæ scabritias lenit, ex passo, tribus obolis pōtum tritum, quod idē præstat eius decoctū. Bibitur contra inflationes, perfrictiones, febres frigidas, singultus, tormina, asperitates, capitis grauitatem, melancholiam, uertigines, lassitudinem, dolores & conuulsiones. Datur in singulis ualetudinibus eadem qua Agaricum mensura, si febri careant, in
B mulso: sin aliter, in aqua mulsa.

## EXTRINSECVS,

Illitu collectiones inflammationesq; sedat, uulnera sanat, epiphoras oculorum discutit. Ex passo illitum, insignita cum melle rapit, & alia liuentia ex aceto. Farina eius inspergitur contra cacoëthe, & sanguinem reiscientes, denarij pondere in aqua.

## TROCHISCI DE RHABARBARO.

Trochisci de Rhabarbaro ualet ad hepatis obstructionem, dolorem, tumores præter naturam, affectus inueteratos eiusdem, hydropem & icterum, & formæ corruptionem. Compositionem docet Mesue.

## PILVLAE DE RHABARBARO.

Pilulæ de Rhabarbaro in febribus diuturnis, iecoris obstructionibus, & aquæ intercutem initijs conferunt. Compositionem docet Mesue.

## LAPATHVM, SEV RVMEX.

QVia Rhabarbarum monachorum, quod sic uocant, è rumicis est genere, de hoc ordine seruato agetur. Lapathum Græcis à λαπάζειν Lapathū.
dictum, quod uacuare & exinanire significat, siquidem omnium Lapathi generum decocto aluus mollitur. Latinis Rumex dicitur. Barbaris

Lapatiũ. Rumex unda.

Ampffer.

Oxylapathon. Lapatiũ acutum.

Lapatium, Gallis *Patience*. C Rumex autem quòd ex eo succus non aliter atq; ex mamma, quam ueteres rumen dixerunt, sitientibus exugi soleat. Quod de quarto potissimùm genere intelligitur. Germ. **Ampffer.**

Dioscorides quatuor facit Lapathi genera: Primum foliis duris & in cacumine acutis, semine herbaceo, acuminato, ex minutissimis dependente pediculis, radice longa & lutea, uel potius procera. Græcis Oxylapathon, & Latinis. Officinis Lapatium acutum, Germ. **Mengelwurtz/Mengelwurtz / Grindtwurtz/ Streyffwurtz/ Zitterwurtzel / Wild Ampffer / Lendenkraut.** Nascitur in palustribus potissimùm, & circa fossas.

D



2. Lapathũ hortense.

Secundum genus Oxylapatho est quàm simillimum, foliis tamen latioribus & tenerioribus, caule interdum bicubitali, striato, floribus exiguis, luteis, semine ut Oxylapathon triangulari, radice longa, & lutea, seu crocea. Græcis Lapathum hortense. Hæc Fuchsio est Rhabarbarum monachorum, quod per omnia huic descriptioni respondet. In hortis provenit consitum.

Rhabarbarũ monachorũ. Münch Rhabarbara.

Tertium

Tertium genus est syluestre, paruum, plantagi ni simile, molle & humile, Græcis Lapathon agre ste: quod Fuchsius eam esse herbam ostendit, quę uulgò Bonus Hendrichus, Germa. **Güter heyn- rich** appellatur, **breyter Saurampffer**. Tragus **Schmerbel** uocat. Circa sepes & uias nascitur, Folio Oxalidis, aut Ari, aut Plantaginis, caule prioribus duobus humiliore, in quo flores & se- mina racematim dependent. Radice longa & sub flaua.

3. Lapathũ syluestre. Güter heynrich Bonus Hendri- chus. Breyt Saur- ampffer. Schmer bel.

Quartum folia syluestri seu paruo humiliue Lapatho ha- bet similia: caule non adeò grã di, sesquicubitali: semine acu- minato, rubro, quod foliaceo uestit inuolucro, sapore acri, quod in caule & adnascẽtibus cauliculis nascit, Græcis Oxa lis, quòd in gustu acrorem ha- beat, dicitur. Latinis eadem ra tione Acetosa, & Ger. **Saur-** B **ampffer**. Gall. *Vinette, Oseille, Salette*. Hancq; pro- priè Rumicem ueteres dixerũt. Nascitur in omnibus passim pratis.

4. Oxalis

Acetosa. Saur- ampffer.

Quintam Tragus & Cordus, alíq; addunt speciẽ maximam, quæ aquosis & palustribus locis nascitur. Græcis Hydrolapathon, id est, Rumex aquaticus, & Hippolapathon, Germa. **Roßampffer** & **Wasser- ampffer**.

5. Hydrola- pathum.

Hippola- pathum.

TEMPERAMENTVM.

Lapathis acetosa, frigida & sicca statuitur in ordi ne secundo natura. Ac discutiendi, teste Galeno, facul tas inest. Oxylapathon mixtas sibi uires uendicat. Hippolapathum à re- liquorum uiribus non differt.

VIRES, INTRINSECVS.

Radix Rhabarbari monachorũ, arida trita, drachmæ pondere, cũ pa- ri zingiberis portione, in iure manè sumpta, cholerã & phlegma purgat. Oẽs Rumicis species, Dioscor. asserẽte, aluũ emolliunt. Semẽ uerò cõtraria ui est præditũ, constipãdi naturã habens: omnibus alui fluxibus sistendis utile. Oĩm Lapathi generũ radix trita sumpta, aut decoctũ foliorũ potũ, iecur & fel purgat. Ictericis & Cholericis cẽ; saluberrimum. Aqua stillati tia, præsertim uerò Oxalidis, pestilentialib. febribus, inflãmationi iecoris & uentriculi, pota, aut extrinsecus cum linteolis imposita, fert opem.

EXTRINSECVS. C

Oxylapathi, item Oxalidis, folia, succus & aqua stillatitia, omnis generis scabiem sanant, præsertim purulenta ex calore nata hulcera. Contra scabiem linimentum conficitur, puluere Oxylapathi cum aceto temperato. Nonnulli succo expresso utuntur, aut radicem & folia in aceto decoquunt. Dentium dolori decoctum Oxalidis aut Oxylapathi medetur. Auribus inditum dolorem mitigat.

## SIRVPVS SVCCI ACETOSAE SIMPLICIS.

Sirupus succi acetosæ simplicis febribus biliosis & pestilentialibus est saluber, cordis & uentriculi æstum restinguit, ipsaq; roborat. Conficitur hoc modo: Recipe succi acetosæ depurati lib. ij. sacchari clarificati lib. ij. & coquantur.

## CHRYSANTHEMVM.

Chrysanthemum.

CHrysanthemum, ab auri splendore, qui in flosculis cernitur, dictũ, Ger. **Schmaltzblũm** / à pinguedine, quæ cõtrito in digitis flosculo, apparet. **Mooſblũm / Maatblũm / gel Wiſenblũm / Dratblũm / Dotterblũm / goldt Wiſenblũm.** Dicitur & Chrysanthemon seu Chrysanthemis Anthemidis species, D quam **Streichblũm** Germa. uocant. Galli, *Marguerite blanche.*

Nascitur fruticis specie in pratis humidis, & locis aquosis, foliis uiridibus, rotundis ceu asari, terra repentibus, & circum incisis, caule rotundo cubitali, adnatis ramulis, in quibus rotunda, pisorum instar, nascuntur capitula, è quibus flos prodit luteus uelut in dracũculo, maior tamen & iucundior. Capitulum, defluente flore, acquirit lõgum diuisum, sicut aquilegiæ, semine luteo: radix cespitosa, digiti crassitie, albis uillis fibrata. Tragus Caltham credit Vergilij.

Caltha.

Alterum est Chrysanthemi genus minus, foliis incisis, sicut Dracunculi, caule uerò & flore priori simile. Vnde Dracunculi quidam ad Chrysanthemum species referunt. Valerius Cordus Buphthalmi facit speciem inter flores Anthemidis.

### TEMPERAMENTVM.

Calidum est & siccum, eiusdem cum Buphthalmo temperamenti.

### VIRES, INTRINSECVS.

Regio morbo correptis coloris bonitatem reddit, à balneo post longiorem in eo moram, in exitu pota. Vesicæ calculos, Plinio autore, eiicit.

EX-

EXTRINSECVS.

Flores cum cerato triti, steatomata discutiunt.

## BVBPHTHALMVM.

BVbphthalmum, Bouis oculus Latinè, à floribus, Gale. teste, sic nominata, qui Bouis oculo similes esse figura uidetur. Tragus Bellidem maiorem uocat. Diuersa autem est hæc herba à Bubphthalmo Dioscoridis, quod Chrysanthemos dicitur, & species est Anthemidis, de quo infrà. Germanis **S. Joannes blům**/ quòd fortasse eo tempore maximè floret. Item **Genßblůmen/Rinds-**

*Bellis ma ior.*

B **aug/Kůaug/Kůdyll/Kalbsaug**. Gallis, *Oeil de bœuf*. Caulem emittit tenerum, folia fœniculo similia, flores luteos, intrinsecus Anthemide maiores per ambitum candidis foliolis radiantibus. In summa, sola magnitudine flores Bubphthalmi ab Anthemidis floribus differunt. Nascitur circa oppida & in campestribus. Floret circa initium Iulij, & durat ad autumni medium. Officinæ Consolidam mediam uocant, à uiribus quas in glutinandis uulneribus habet.

Est & altera Bubphthalmi species, priore minor, foliis nonnihil crematuris laciniatis, coliculis tenuibus, surculosis, palmum altis, flore priori simile, barbulis in uniuersum candidis, medium luteum in orbem concinnè cingentibus, Germa. **Genßblůmen** propriè.

TEMPERAMENTVM.

Calidiores sunt flores Bubphthalmi floribus Anthemidis, & acriores.

VIRES, INTRINSECVS.

Decoctum florum à balneo per aliquot dies potum, ictericis colorẽ pristinum & sanitatem reddere, testis est Dioscorides. Idem decoctum uomitiones adiuuat, & nauseam parit.

EXTRINSECVS.

Flores cum cerato triti & temperati, œdemata & durities discutiunt.

## CALTHA.

Caltha

Calthula. Calēdula.

C Altha uel Calthula, Officinis Ca- C
lendula, quòd singulis calē dis fruticare cernatur. Germa. ab intorto & circinato semine, **Ringelblūmē**. Gallis, *Soulsie*.

Herba est fruticosa, caule dodrantali, ligneso, foliis longiusculis, in angustum desinentibus, floribus speciosis, croceis, luteisue, odoris grati & grauis: semine cuius uagina scorpionis caudam imitatur: radice simplici, multis capillamentis fibrata. Mentionem facit huius Verg. in Alexide: Mollia luteola pingit uaccinia Caltha. Nulla uerò est earum herbarum, quæ heliotropion, Scorpiodes & Leontopodion appellātur. Vide Ruell. lib. 3. cap. 130. & 157. Locis cultis, ac hodie nusquam non in hortis prouenit. Floret initio Maij, ac singulis deinde Calendis, unde nomen est sortita.

TEMPERAMENTVM.

Calida est & sicca eius temperatura, magisq; externis quàm internis D corporis partibus adhibetur.

VIRES, EXTRINSECVS.

Aqua stillatitia, oculorum inflammationibus instillata, aut panniculo imposita, medetur.

Puluis florum cum Xylino dentium dolores sedat. Aridi flores & folia suffitu menses mirè cient. Flos capillos flauos efficit.

Herba ipsa condimentis & acetarijs etiam miscetur.

## ANTHEMIS.

Chamæmelon. Chamomilla.

ANthemis uel Chamæmelon, quòd mali odorem, quod Græcis Μῆλου dicitur, referat. Officinis Chamomilla, German. **Chamillen**. Herba est ramis dodrantalibus, fruticosis, paruulis, frequentes alas habentibus, tenuibus & multis. Capitulis rotundis, intus aureis, flosculo aut foliis capitula ambientibus, candidis, luteis, ac purpureis.

Leucanthemon. Camomilla. Parthenium.

Huius itaq; tria à florum differentia sunt genera: Primum folia habens circa florem candida, Græcis Leucanthemon, à foliorum forma, Vulgò Camomilla. Hanc Tragus uerum Parthenium esse credit. Suntq; duæ eius ex odore species. Altera odorata, quæ Parthenium & Leucanthemum dicitur, quæ iam est descripta. Altera fœtida, quam Cotulam fœtidam appellant, Germa. **Krottendyll/ Hundsdyll**/ solo odo-

re

B

re à priore discrepans. Thalictrum nonnullis Dioscoridis lib. 4. cap. 83. De Thalictro infrà.

Alterũ foliis est luteis, Græcis Chrysanthemos, Germa. **Streichblůmen/Sterckblůmen.** Huius flore arido ad lectos illinendos mulieres utuntur, unde Germanicum nomen accepit. Ad colorem quoq; flauum eius est usus, Vnde Germanis **Goldblůmen** dicitur, itẽ **Steinblůmen.** Atque hanc esse uerum Dioscoridis Bubphthalmon, placet Trago, nec reclamat pictura. Aliàs Calcha & Cotula non fœtida. Foliis Tanaceti, sed minoribus, incisuris diuisis, foliis luteis medium luteum per orbem cingentibus.

Tertia Anthemidis species, Græcis Eranthemos dicitur: caule puniceo, foliis serratis, capitulis cyano ferè similibus, sed maioribus, floseulis purpureis per ambitũ, in stellæ formam capitulum cingentibus. Hæc Trago creditur esse quæ Germa. **Schartenblům** & **Sternkraut** uocatur, de qua infrà in Astere attico. Fuchsius tertiam hãc Anthemidis speciem uult esse eam, quę Cõsolida regalis, seu Calcatrippa uulgò, Germa. **Ritterspoin**

Thalictrũ 2. Chrysanthemos.

Bubphthalmos. Calcha. Cotula nõ fœtida.

3. Eranthemos.

Aster atticus.

ſpoſa dicitur: de qua ſuo loco. Locis gaudent aſperis & macris ſiccisq;, C. iuxta ſemitas & uineta. Menſe colliguntur Iunio.

TEMPERAMENTVM.

Calfacit Anthemis & exiccat in primo gradu. Reſoluit, mitigat, Sūtq; eędem dictis tribus ſpeciebus uires.

VIRES, INTRINSECVS.

Cum uino cocta Anthemis, potu & inſeſsione, menſes, fœtus, calculos, & urinam pellit, iecoris & ſplenis obſtructiones ſoluit: dolores ueſicæ, matricis, renum & inteſtinorum mitigat. Pulmonis exulcerationem diſcutit ac ſanat: dyſpnœam tollit: lyenteriam obſtruit, uentriculum calfacit Aqua ſtillatitia ĩſdem pollet uiribus: puerperis utilis. Flores poti cum aceto, comitialibus proſunt.

EXTRINSECVS.

Flores in aqua cocti, cum oleo Chamæmelino clyſteribus ſunt maximè utiles: Dolores enim renum, matricis, inteſtinorum, & ueſicæ, mitigant & ſanant. Inſeſſu, aut in peſſo ſubditi, uētris & matricis doloribus ſubueniunt. Caput & cerebrum, odor, aqua & lixiuium eius corroborant. Decoctum eius fœtida uulnera purgat.

Oleum. Oleum Chamomelinum tuberculà mollit, tumores ſedat, ac dolores mitigat.

Cotulæ uires. Fœtidum Chamæmelon, Cotula dictum, matrici procidenti in inſeſſionibus eſt utiliſsimum. Odore & uiribus Caſtoreo penè par eſt. D

Experimentum de Chryſanthemo addit Tragus, quod coctum in uino ictericis diuturnis à ſe datum, uerè reſoluere & abſq; dolore educere & pellere deprehenderit.

OLEVM CHAMAEMELINVM.

Oleum Chamæmelinum ualet ad plurima, poros aperit, uapores reſoluit, humores fluentes ſiſtit, qualitates malas corrigit, neruis & membris neruoſis confert, dolores apprimè mitigat. Fit autem ex Chamæmeli floribus & ueteri claro oleo, eodem modo quo Rutaceum deſcripſimus.

## LACTVCA.

LActuca, quòd copia lactis exuberet, dicta, quod uentrem leniter mouere credebatur. Vnde Martialis:

*Prima tibi dabitur uentri lactuca mouendo Vtilis.*

Apud ueteres autem, ut autor eſt Athenæus, lactuca prima menſa nō offerebatur, ſed conuiuia cœnasq; finiebat: nunc uerò ex aceto & ſale cō dita menſas inchoat, Vnde idem ait:

*Claudere quæ cœnas lactuca ſolebat auorum,*
*Dic mihi, cur noſtras inchoat illa dapes?*

Germanis

Germa. **Lattich/ Lactuck/** & **Schmaltz kraut** à pinguibus foliis appellatur, Græcis Thridax. *Thridax.*

Duo numerantur præcipua eius genera: Satiua & syluestris. Satiuæ tres faciunt Græci species, primam lati caulis, alteram rotundi caulis, tertiam sessilem: Latini à foliorum forma diuidunt in crispam, rotundam, & capitatam.

Lactuca satiua crispa, folia habet crispa intybo satiuo similia, in rectũq; surgit, cau- *Crispa.* 1.
B libus in summo brachiata, in quorum cacumine flores sunt lutei. Germa. **Krauß Lattich**. Hanc Columella Cæcilianam & Beti- *Cæciliana.*
cam à regionibus, quibus nascitur, appellat. *Betica.*

Satiua rotũda, priori per omnia similis, nisi quòd foliis prior est magis crispa, hæc uerò minus, Germa. **Breyter Lattich.** *Rotunda.* 2.

Satiua capitata seu sessilis, à prioribus non nisi foliis, idq; ubi paulùm creuerunt, differt, quæ ubi parum à terra attolluntur, mali rotundam obtinent speciem, & instar brassicæ capitatæ in capitis fermè formam extuberant, Germa. **Grosser oder weisser Lattich.** Atq; hæ satiuæ species una satis pictura demonstrari possunt. *Capitata.* 3.

Syluestris satiuæ similis est, radice tamen breuior, caule procerior: foliis candidioribus, gracilioribus, asperioribusq;, gustu amaris, quæ ubi consummata fuerint, ut Theophrastus tradit, aculeantur. Nascitur in aruis, hortorum uinearumq; macerijs. Germ. **Wilder Lattich.** Florent enumeratæ species mense Iulio. *Lactuca syluestris.* 4.

Syluestrem uerò Lactucam, pleriq; uolunt esse eam, quam Officinæ nunc Endiuiam uocant, Germa. **Endiuien/ Genßdistel/ Leberdistel/ Antiffien.** Galli, *Latteron.* Nascitur enim ea in aruis sponte, & uinetorum limitibus, folio cùm adoleuit per oras aculeato, dorso spinulis inhorrescente, quasi prona carinæ parte echinata, supina læuiore, nonnunquam cùm insenuit laciniatim serrato, caulibus bicubitalibus, hirsis, flore luteo, succo candido, acri, amaro, semen in lanugine occulitur. Quæ *Endiuia officinarum.*

sit uera Endiuia, paulò pòst dicetur. Plinius plures facit syluestris species, caprinam, Esopon, & Isatin. Sed de Isati suo loco agitur. Columella plures etiã Lactucæ species numerat, ratione coloris, & temporis satas, quæ omnia hic enumerare lõgum foret. Alij quinq; faciũt discrimina: Purpureas, crispas, Cappadocas, Græcas, & Intubo similes. C

De his generibus uide summatim apud Ruellium. Item quomodo multis nascatur seminibus, odorata, sessilis, tenerior, candida, suauis, ac quomodo, si loci uitio sit durior, sit reddenda tenerior.

TEMPERAMENTVM.

Lactuca refrigerat, stomachũ iuuat, aluum ciet, fastidium aufert, cibi appetẽtiam facit, somnum conciliat, Venerem cohibet. Quæ durior est, & sabulo aut puluere obsita, minus iuuat stomachũ, minusq; emollit uentrẽ. Nigra magis refrigerat, & aluũ subducit. Aestiuæ meliorem prębent succũ, ac plus alunt: autumnales succo uacãt, quare nihil aut parum alimenti præbent. Simeon Sethi satiuã frigidam & humidam statuit in ordine tertio, Syluestris uerò minus refrigerat & humectat. D

VIRES, INTRINSECVS.

Lactuca satiua, præsertim uerò crispa, stomachi inflãmationibus in cibo prodest: Corpus nutrit, somnũ allicit, aluũ emollit, lactis copiã generat, dolorẽ lenit. Cõtinuus tamẽ eius usus, caliginẽ oculis inducit, Venerẽ cohibet, & somnia Venerea. Optimus eius usus pudicitiã amãtibus, siue à rebus Venereis abhorrẽtibus, sicut & Rutæ. Idẽ de semine ac stillatitio liquore sentiendum. Frigidæ cõplexioni est utilis: humores enim bonos cõseruat: Vnde Gale. Lactuca in senio potissimũ uictitasse legimus.

*Endiuiæ uires.*

Lactuca syluestris seu Endiuia Officinarum ad eadem ferè pollet: sed magis refrigeratoriã habet qualitatẽ. Lethargicis in cibo cõfert, uel capiti imposita, sicut & Papauer. Aqua stillatitia mirè in peste aut ardentibus febribus sitim restinguit. Commodissimus eius in febribus & inflammationibus, siue iecoris siue pulmonis, est usus.

EXTRINSECVS.

Folia uiridia imposita, oĩbus capitis, stomachi aut iecoris inflãmationibus opitulant. Idẽ aqua stillatitia illita cum pãniculo præstat. Tusa cũ farina hordeacea & molybdæna, Endiuia, oĩbus inflãmationibus, præsertim sacro igni medẽt. Radix trita scorpionũ & araneorũ ictibus opitulatur. Oculorũ inflãmationi aqua stillatitia Endiuię cõfert.

SIRV-

## SIRVPVS DE SVCCO ENDIVIAE simplex.

Sirupus de ſucco Endiuiæ ualet præcipuè ad omnes æſtus & inflammationes iecoris, aliorumq; membrorum nutritiuorum, & in pleuritide maximè eſt ſalubris Conficitur hoc modo: Recipe ſucci Endiuiæ depurati lib. viij. ſacchari Tabarzeth, lib. v. s. & coquantur.

## SIRVPVS DE ENDIVIA COMPOSITVS.

Sirupus de Endiuia, quem compoſitum uocant, ualet præcipuè ad hepatis nimios æſtus & calores, cordis item aliorumq; membrorum nutritiuorum, & generaliter cuilibet calidæ complexioni conuenit, oppilationum eſt apertiuus, membrorumq; à mala complexione calida debilitatorum eſt confortatiuus, & materiarum cholericarum acutarum eſt digeſtiuus. Confectio eſt talis: Recipe Endiuiæ recentis, Boraginis, Scariolæ, Epaticæ, Bugloſſæ, Meliſſæ, Lactucæ, Eupatorij, ana M. j. Seminum frigidorum, Maiorum ana ʒ. j. Sandali albi & rubei, ana ʒ. j. florum cordialium, ana ʒ. iij. Coquantur in ſufficienti aquæ quantitate, deinde colentur, ac colaturæ adde ſucci endiuiæ depurati lib. j. Vini granatorum ʒ. iij. ſacchari albi lib. iij. & fiat Sirupus.

B

## HIERACIVM.

Hieracium tam Græcis, quàm Latinis eſt dictum, quòd ἱέρακες, hoc eſt, Accipitres, eius ſucco, ſi quando caliginem oculorum ſentiant, oculos tingant, obſcuritatemq; pellant: unde & Germanis **Habichskraut** nominatur. Apuleius Lactucam ſyluaticam appellat: eſt enim ex lactucarum genere. Vocant & Sonchiten, ob ſimilitudinem quam cum Soncho habet. Gallicè, *Piſſenlict, Grande Cichoree.* Hieracium. Habichskraut. Lactuca ſyluatica. Sonchites

Duo ſunt eius genera: Maius & minus. Maius, teſte Dioſcoride, caulem habet aſperum, ſubrubrum, ſpinoſum, cauum: folia ex interuallis rariuſculè diuiſa, ſoncho per ambitum ſimilia. Flores in oblongis capitulis ſunt lutei, qui in pappos diſſoluti diffugiunt, ueſtigia capitibus monachorum ſimilia relinquentes. Naſcitur nuſquam non in pratis. Officinis dicitur Cichorea lutea uel crocea. German. **Habichkraut** & **Wilde Sawdiſtel.** Eſt enim Intybi ſyluestris ſpecies. Cichorea

Minus Hieracium folia ex interuallis habet, in ambitu diuiſa, caules teneros, cauos & uirides, in quibus flores lutei circuli effigiem deſignantes

Dens leonis. Taraxacon. Altaraxacon. Caput monachi. Hedypnois.

conſpiciuntur, qui in pappos ſimiliter C diſſoluti diffugiunt. Officinis dicitur Dens Leonis, quòd ſinuatim per lacinias denticulatum ſit folium. Itē Taraxacon, Altaraxacō, Caput monachi, Græcis Hedypnois, quòd uidelicet flos eius ſuauiter dormire faciat, Ger. **Kōlkrut/Pfaffenrōlin/Pfaffenſtil/Sommerdohr/Pippaw.** Naſcitur ſpōte paſsim in pratis & hortis, iuxta ſemitas. Vtrunq; ſub finem Iulij, & per uniuerſum etiā Auguſtū floret.

TEMPERAMENTVM.

Refrigerat utrunq; ac mediocriter etiam adſtringit.

VIRES. INTRINSECVS.

Hieracij aqua ſtillatitia, ſi quæ alia, apoſtematis, & ardentibus febrib. trium uel quatuor cochlearium menſura pota, eſt utiliſsima: dolores corporis & tuſsim mitigat: calorem reſtinguit. Succus Hieracij maioris ſtomachi æſtum reprimit. Suauior uerò ad uſum eſt aqua ſtillatitia.

EXTRINSECVS.

Oculorum maculas & hebetudinem ſtillatitia aqua efficaciter ſanat. D Succus cadē poteſt, nonnihil tamen eſt debilior. Tuſa folia, aut ipſa aqua cū linteolis illita, nigras & urentes cutis puſtulas, quacunq; corporis parte, ſanant: æſtum quoq; membrorum ſedant. Ad maculas & rugas extergendas, aqua ſtillatitia faciē mulieres lauant. Contra oculorum uitia tanta pollet uirtute, ut collo ſuſpēſa radix caliginem pellere credat.

Sonchus. Cicerbita. Lactucella. Lactercō 1. Sonchus nō aſpera Lactuca leporina.

## SONCHVS.

SOnchus Græcis ἀπὸ τοῦ σῶου χίειν, hoc eſt, quòd ſalubrē fundat ſuccū, Latinis Cicerbita, quod recens apparet eſſe uocabulum. Lactucella item & Lactereon, à Lacteo caule.

Genera ſunt eius duo: Alterum non aſperum ſeu hortenſe, Latinis Sonchus non aſpera, Apuleia, Lactuca leporina, Germa. **Haſenkōl/ Haſenlattich/ Haſenſtrauch/Sewmelck.** Gall. *Lacteron.*

Caulem habet cubitalem & anguloſum, cauum, aliquando rubeſcentem, qui fractus copioſo lacte manat: folia in ambitu per interualla ſunt ſciſſa. Flos ei luteus, ut Senecionis, qui breui in pappos & lanuginem euaneſcit.

Alterum

Alterum aſperum ſeu ſylueſtre, Germa. **Genßdiſtel/Sawdiſtel/ Dudiſtel.** Priori ſimile, ſed ſylueſtrius, aculeatius, & nigrius. In hortorum macerijs uinetisq; utplurimum naſcuntur: Iunio florent & Iulio. 2. Sonchus aſpera.

TEMPERAMENTVM.

Naturam habet refrigeratoriam cum adſtrictione quadam. Reſiccata uerò exiguũ quid caliditatis obtinet.

VIRES, INTRINSECVS.

Succus Sõchi ſorbitione ſua ſtomachi roſiones lenit, unde nomen ei eſt impoſitum. Lactis abundantiam nutricibus ſubminiſtrat. Genitalium locorum inflammationibus in peſſo ſubditus opitulatur. In uino decoctus ſtomachi fluxiones lenit ac ſedat. Tritus ac in puluerem redactus, cum uino potus, aluum emollit. Si febris adfuerit, cum aqua puluis eſt ſumendus, aliàs cum uinõ. Succus eius lacteus orthopnœicis prodeſt. Idem trium cyathorum menſura in uino albo & oleo calefactus, partus adiuuat, ita ut à potu grauidæ ambulent. Hæc de ſatiua ſeu non aſpera ſoncho ſunt accipienda. Nigrioris enim uſus peior traditur. Contra ſanguinem tamen tauri eſſe remedio fertur.

EXTRINSECVS.

Trita ac impoſita folia ſtomacho æſtuanti, coxendicis inflammationibus, tumoribusq; podagricis item proſunt: idem aqua eius præſtat.

Capiti ſuppoſita Sonchus non aſpera, inſcio ægroto, febrim pellere creditur. Palpebris illitus ſuccus, pilos facit earum deciduos. Tam herba quàm radix illita ſcorpionum ictibus ſubuenit.

## SERIS, SIVE INTVBVS.

SEris ſiue Intubus duo Dioſcoridi alijsq; ſummaria habet genera: Satiuum & ſylueſtre, ſiue erraticum.

Satiui, quem propriè Serin appellarũt ueteres, rurſus duæ ſunt ſpecies: altera quæ Officinis Scariola, quod tamen utriq; ſatiuæ competit, uulgò Cichoria hortenſis appellatur. Latinis Intubum ſatiuum latifolium. Caulem edit magnum, rotundum, ſtriatum, ſurculis frequentibus bra- 1. Satiui prima ſpecies. Scariolà. Cichoria hortenſis

chiatum, foliȝs à radice ſtatim germinat uenoſis, flore in ramuſculis cœruleo, ac nonnunquam etiam candido. Endiuia corrupta ab Intubo uoce in Hetruria appellatur, eſtq; uera Endiuia. Vnde Germanis rectè Endivien appellaretur. Officinæ uerò aliam habent, quam Endiuiam uocant, de qua ſuprà in Lactuca ſyluestri eſt dictum Gall. *Cichoree, Scariol.*

*Endiuia uera.*

2. *Intubi ſatiui altera ſpecies.* Altera priori eſt ſimilis, niſi quòd anguſtiora habet folia. Seriola Latinis, à Seris ducto uocabulo, & Officinis corruptè Scariola. German. Scariol. Vtrunq; in hortis ſatiua prouenit: florem fert Iunio & Iulio.

*Seriola. Scariola*

*Cichoriũ agreſte.* Erraticus intybus. Græcis Cichorium agreſte, German. Wegwart/ quaſi uiarum cuſtos, Wegweiſ, quòd peregrinis quaſi uiam indicare uideatur. Item Hindleufft, folio germinat betæ, laciniato, in ſolo ferè ſemper procumbente caule magno, fiſtuloſo, frangi contumace, multis ramulis brachiato, ad uinctum quoq; lentis, radice prolixa, pertinaciter emoriente:

1. *Erraticus Intubus.*

A

emoriente: flore cœruleo, particulatim usq; in autumnum erumpente, qui nubilo etiam die solis exortu panditur, & cum eo circũagitur usq; in occasum, noctu semper compressus & interdiu dehiscens. Nonnulli ab singulari utilitate Chreston uocant: quidã, quòd aduersus omnia polleat, Pancration: Græci, ut dictũ est, Picrida, ab amaritudine, Latinis dicitur Ambubeia. Item Amarago ab amaritudine, à Gaza. Tragò Heliotropium & **Sonnenwirbel** appellatur.

*Chreston.*
*Pancration.*
*Picris.*
*Ambubeia*
*Heliotropium.*
*Amarago*

Nascitur passim iuxta itinera: floret eodem ferè tempore, quo satiuus Intubus, & durat in autumnum usq;. In summa, multiplex est Intybi genus, omnes enim dictæ iã lactariæ herbę, ut Sonchus, hieracea, dictæ Seridis seu Intubi species, Lactuca syluestris, quam Endiuiam Officinæ appellant, ad Intybum referri possunt.

## TEMPERAMENTVM.

B Syluestris intubus, quem Cichorium & Picrida uocant, frigidę & siccæ est temperaturæ: Vterq; uerò abscessu secundo. Satiuus tamen magis syluestri refrigerat, humiditatisq; multæ est admistio, quæ siccitatem restinguit. Vtriq; est uis adstringendi.

## VIRES, INTRINSECVS.

Manipulus Seridis siue Intybi in uino decoctus, bilem & uiscosos humores per aluum educit.

Semen ante febris incursionem tusum, in uino potum, adiuuat.

Decoctum foliorum uel radicis, calidum potũ, iecur & splenem aperit, estq; hydropicis utile.

Aqua stillatitia ijsdem est prædita uiribus, ac præcipuè æstuanti stomacho, ardentibus febribus, cordisq; infirmitati prodest.

## EXTRINSECVS.

Folia omnis generis hulceribus, & tumoribus, inflammationibusq; imposita, sunt auxilio. Podagricis ferunt opem, puerorumq; inflammatis capitibus imponuntur. Efficacius omnia præstat aqua stillatitia, ac contra pestis hulcera est probatissima.

Oculorum quoq; inflammationibus & caligini mirificè confert.

## CONDRILLA.

1. Kleyn Sonnen wirbel. Syluestris Endiuia.

2. Sewdiſtel.

COndrilla ex intybi eſt genere, ſicut & reliquæ prædictæ herbę: nonnullis etiam Seris & Cichorium dicitur. Duæ ſunt eius ſpecies. C

Prima caulē, flores, & folia Cichorię ſimilia habet, unde nonnulli ſyluestris intybi fecerunt ſpeciem, multo uerò ſunt tenuiora & minora, flore interdum cœruleo, interdum candido: in ramulis gummi maſtiches ſimillimum, tuberculo fabę, inueniri ſolet. Naſcitur in uineis quæ gipſoſum habēt ſolum, quales ſunt in collibus Gennenſibus. Germ. **Klein Sonnenwirbel.** Nonnulli ſyluestrem uocāt Endiuiam.

Altera locis naſcitur pinguibus & lutoſis, in hordeaceis præſertim ſegetibus: folium fert oblongum, circumroſum, humi ſparſum, caulē ſucco madentem lacteo: radice tenui, rotunda, leui, uegeta, flaueſcente, ſuccoſa. German. **Sewdiſtel**/quod nomen omnibus ferè intybi ſpeciebus eſt commune. D

TEMPERAMENTVM.

Naturæ eſt frigidæ, ſicut & reliqua intybi genera. Caulis & folia ſecūdæ ſpeciei, concoquendi uim habent.

VIRES, INTRINSECVS.

Pota in uino prima ſpecies, uiperarum morſui medetur. Succus eiuſdem in uino decoctæ, aut per ſe potus, aluum ſiſtit: Concoctionem adiuuat, & obſtructiones iecoris & lienis ſoluit.

EXTRINSECVS.

Gummi quod in ramulis, maſtiche ſimile, inuenitur, in peſſo ſubditū, inſtar oliuæ fœminarum menſes trahit. Idem inordinatos pilos replicat: quod tenera etiā utriuſq; radix prętſtat, ſi intincta eius ſucco acus cilicijs applicetur.

Myoſotis

## AVRICVLA MVRIS.

PRæſens appellatio pluribus herbis tribuitur, principiò Alſine, de qua ſuo dicet loco: hinc præſenti herbæ, quę propriè id nominis obtinet: Deinde etiam Piloſellæ, de qua mox. Græcis ſicut & Latinis, à foliorum forma, quæ Murīū auriculas imitantur, Myoſotis appellatur. Germa. **Meuſohr.** Gallis *Peluette.*

Duo

A

Duo traduntur eius genera: Maius & minus. Maius quod uulgò à tonsoribus **Heydnisch Wundkraut** nominatur. Nascitur locis opacis, lucisq;, unde quidam Alsinen etiam eam appellant. Caulem mense Iunio emittit, rotundum, tenuem, pilosum, cubitalem, nudum, & absq; geniculis, folia humi sunt sparsa, forma auriculæ Leporinæ aut Muris, pilosa & modicè diuisa: radicem habet breuẽ, uillosam, sicut arnoglossum: florem in caule fert, qualis hieracei, qui in pappos dissolutus euanescit. Lacteũ tota herba succum emittit. Addit Tragus, circa caulem propè terram humiditatem nonnunquam collectam inueniri, rotundam, canis obductam pilis iuglandis magnitudine, quę aspectu murem referat. Dicitur item Myotis, Myorthocon, Anthyllion, & Myotosplenon, quòd splenis formam referat.

1. Maior. Alsine. Myotis. Myortho con. Anthyllĩ Myotho- splenon.

B

Minor German. **Nagelkraut**: folijs nascitur in terra sparsis, sicut Bellidis, albis, hirsutis, & asperis, Murium auriculas repręsentãtibus: florẽ mense Maio fert subflauum, multiplicem, qui matureſcens sicut & Sonchi, diffugit & euanescit. Herbarijs Pilosella maior appellatur.

2. Minor auricula.

Pilosella maior.

Est etiam tertia species, quã Pilosellam minorem uocant, German. **Hasenpfötlin** / & **Meußörlin** / quam nonnulli tertiam amaranthi speciẽ constituunt, folijs per terrã radij forma iacentibus, cinereis, auriculæ muris per oĩa similib. caule breui & tenui, floribus purpureis, nonnunq; etiam cãdidis, in quibusdã mixtis, inodoris, multis, quinis interdum, senisue aut septenis in caule uno. Locis nascitur aridis incultisq;.

3. Pilosella minor.

TEMPERAMENTVM.

Naturę sunt calidę & siccę, uimq; adstringẽdi cũ modica acrimonia habẽt. Mirificè igit ad purgãda & glutinãda uulnera conducunt.

VIRES,

VIRES, INTRINSECVS. C

Aqua myotidis ſtillatitia, ad omnes inflammationes cordis, ſtomachi, & iecoris pota, eſt mirè ſalubris, ſicut & Cichorij aqua. Radicem eius Maio effoſſam, ſiccatam & in puluerem tritam, potam ſubinde, aut in cibo datam, aduerſus ramicem præſentiſsimo eſſe remedio ferunt. Iecoris obſtructionem in uino decoctæ, & ſaccharo mixtæ, ſoluunt, hydropicis eadem ratione proſunt. Ictericis quoq;, manè & ueſperi ad tres horas ieiuno ſtomacho potæ, ſunt auxilio. Recentis herbæ ſuccum quartanæ febris horrores credunt pellere.

EXTRINSECVS.

Foliorum farina uulnera mirè glutinat. Decoctum eius cum uino potum, & aſperſum, recentibus uulneribus glutinandis eſt utiliſsimū. Aurium dolori ſuccus expreſſus fert opem. Ferrum quod huius ſucco commaduerit, tantam duritiem & robur aiunt contrahere, ut chalybis aciem reſpuant, unde gladiorum aciem, ut omne aliud ferrum domet, ſecetq;, hoc ſucco tingunt.

## TRAGOPOGON.

Tragopogon. Coma. Herba petræ. Saxifica.

TRagopogon, Latinis Hircina barba, Κόμη item, Latinè Coma, quòd à calyce eius promiſſæ pendeant barbæ. D Vulgò Herba petræ, & Saxifica in Hetruria. Gall. *Barbe de bouc*. Ger. **Bocksbart/ Habermalch/ Gauchbrot**. Caule exiguo, lõgo, interdum bicubitali, geniculato: foliis croci, radice lõga ac dulci: ſupra caulem calycem habet magnũ, in cuius ſummo ſemen nigrum: florem luteum, qui in caneſcentes fathiſcit barbulas: ſuccus ineſt lacteus: In pratis Maio & Iunio ſponte paſsim floret.

TEMPERAMENTVM.

Calida eſt & modicè humida.

VIRES, INTRINSECVS.

Herba, Dioſcoride teſte, & cruda & cocta eſt uſui. Liquor eius ſtillatitius in Maio collectus, pleuriticis eſt auxilio. Succus idem præſtat. Aeſtuanti quoq; ſtomacho mirificè herba eſt utilis: thoracis, & iecoris uitijs, renum item & ueſicæ malis opitulatur.

## PYGNOCOMVM.

Pygnocomon

PYgnocomon incognitã alij hodie asserunt. Tragus uerò herbam dicit esse, quæ Germanis **Geyßbart**/ uel **Wald Geyßbart**. Latinè Barba caprina appellatur, cuius descriptionem Plinius ponit lib. 26. cap. 8. nec non Dioscor. lib. 4. cap. 169. Foliis constat erucæ, sed acrioribus, scabris & crassis, caule quadrangulo, modico, tenui, flore ozimi. Locis nascitur saxosis. Pygnocomon. Geyßbart. Barba caprina.

Tragus in duo distinguit genera. Primum locis nascitur aquosis & humidis: foliis asperis, rugosis, diuisis, sicut agrimoniæ, per interualla distinctis, ac subinde maioribus: coliculis purpureis per articuli interuallum distantibus. Flos coactus sicut Ebuli, candidus, uuæ specie, odore grato: semen Prasij semini est simile. Radix longa, extrinsecus nigra, interius uerò punicea, fortis & amara. 1.

Alterum in syluis & uallibus inuenitur, radice tenui, nigra & lignosa, intrinsecus purpurea, foliis maioribus, magisq; incisis, Castaneæ foliorum forma. Caulem priori habet similem: flores fert uillosos ramososq;, ad canæ seu candidæ barbæ formam: semen sicut in priori, in ramulis copiosum, quales sunt ferè Iuli in corylis. Floret Iulio, ac quotannis nouos caules profert. 2.

TEMPERAMENTVM.

Temperamenti est calidi & sicci, præsertim uerò secundum, quod radicem habet purpuream.

VIRES, INTRINSECVS.

In aqua mulsa cocta radix, potaq; aluum emollit, bilem combustam educit. Cum uino rubro cocta, dysenteriæ fert opem. Folia in cibos ueniunt. Semen uerò capiti est noxium.

EXTRINSECVS.

Cum farina illita folia, tubercula discutiunt, aculeos & tela corpori infixa educunt.

## ERIGERON.

Erigeron,

Erigeron. Senecio. Acanthis. Pappus.

ERigeron, Latinis Senecio: utrunq; habet nomẽ, quia flores capillitij modo uere canescũt. Callimachus Acanthida appellat, alij Pappum. Gall. *Du Seneſſon*. Germa. **Creutzwurtz** & **Grindtkraut/Baldgreiſe**.

Herba eſt cauliculo cubitali, ſubrubro, foliis continuis, in extremitatibus crucæ modo inciſuris diuiſis, ſed minoribus multò: floribus luteis, celeriter ſciſsis dehiſcentibúſue, & in pappos defloreſcentibus, unde nomen ſumpſit, radice inutili. Floret uere, & ſtatim etiam caneſcit: herba uerò tota durat æſtate: in ſepibus & circum oppida naſcitur. Italis Petrella dicitur. Quidam Carduum benedictum, nonnulli Naſturtium aquaticum uocant, ſed falſò.

Petrella.

2. Erigeron maius. Flos S. Iacobi.

Eſt & altera Erigerontis ſpecies, maior prędicta, primo anno folia humi, ſubuiridia, iacẽtia habet, ſicut in arnogloſſo, abſq; caule: altero dein anno caules ſubpurpureos longos emittit, quales artemiſię, ramoſos, in quibus flores flaui, ſtellati cõſpiciuntur, cuiuſmodi ſunt anthemidis, qui maturi in canũ lanuginoſum ſemen mutãtur, quod ſicut in priore diffugit. Radix breuis & uilloſa. Locis naſcitur harenoſis & incultis, circa muros & ſemitas. Floret circa ſolſtitium æſtiuum, circa diem Diuo Ioanni ſacrum, Germ. **Sanct Jacobs blůmen** appellatur. Item **Sanct Joannes blůmen**, quòd eo tempore floreat, Latinis Flos Diui Iacobi dici poterit.

C

D

TEMPERAMENTVM.

Vtrunq; refrigerandi uim habet, ac modicè etiam diſcutit.

VIRES, INTRINSECVS.

Erigeron in paſſo coctum, ſtomachi dolores à bili contractos, ut autor eſt Dioſcor. ſanat. Eadem poteſt altera eius ſpecies.

EXTRINSECVS.

Illita folia, teſtium ac ſedis, omniumq; partium inflammationes ſanãt. Neruorum uulneribus cum thuris manna medentur. Illiti cum aceto pappi idem præſtant.

Pares habet uires aqua eius ſtillatitia.

# CICI.

Cici siue Croton Græcis, Latinis Ricinus, quòd semen habeat Ricino insecto, quod Croton Græci uocant, simile. Ricinus autē animal est paruum, quod ouium, canum ac boum feminibus ac cuti adhæret, exitu carens, colore liuido, eò usq; sugendo se implens, donec rumpatur, ac decidat, Germa. **Zecke** dictum. Officinis hæc herba Cataputia dicitur maior. Arabibus Kerua. Itē Manus Christi, Palma Christi. Gall. *Palme dicu.* Pentadactylon, quòd folia eius humanæ manus effigiem repræsentent. German. **Wunderbaum/ Römischer hanff/ Türckischer hanff**/ab agyrtis, **Creutzbaum/ Zecken körner/ Mollenkraut.**

*Cici.*
*Ricinus.*
*Croton.*
*Ricinus animal.*
*Cataputia maior.*
*Kerua.*
*Manus Christi.*
*Palma Christi.*
*Pentadactylon.*

Arbor est paruæ ficus altitudine, folio Platani aut Aceris, maiore, leuiore, & nigriore, ramis caudicibusq; cauis, in arundinis morē: semen in uuis asperis, quod cortice nudatū ricini animalis effigiem repræsentat. Nuscq; nō in hortis uoluptatis ac amœnitatis gratia seritur, aduersus talparum iniuriam. Autumno dum semine abundat carpitur. Florem fert duplicem. Primus & inferior est flauus, sicut in buxo, qui ex rotundis capitulis, pisorum quantitate, enascitur, ac absq; fructu, cùm defloruerit unà cum capitibus decidit. Alter flos superior, rubet, floribus croci similis, quo decidente aculeata manent capitula, trigona, quibus maturis semina ricinis animalculis similia exiliunt, totusq; cum uniuersa planta caulis perit.

B

## TEMPERAMENTVM.

Calfacit & siccat in secundo ordine, aut initio tertij.

## VIRES, INTRINSECVS.

Stomachum purgant, & pituitam per sedes & uomitum, triginta Ricini grana tusa & pota, educunt. Ventriculum tamen & uniuersum corpus uehementer eiusmodi potio conturbat.

## EXTRINSECVS.

Oleum ex Ricini semine expressum subtilium est partium, ac reliquis oleis calidius: quare ictericis commodè inungitur: papulas & serpiginē illitum sanat: quod baccæ tusæ illitæ quoq; præstant.

Oculorum ac pectoris inflammationibus uiridia folia tusa & imposita, præsertim cum hordeo & aceto, auxiliantur.

# LATHYRIS. 6

Lathyris. Cataputia minor.

Tithymalus.

LAthyris & Græcis & Latinis. Officinæ Cataputiam minorem uocant, uel quòd in catapotijs seu pilulis semen ferat, uel quòd grana eius ad aluum subducendã pro catapotijs sumãtur. Germanis eadem ratione **Treibkraut** appellatur. Item **Springkörner** / quòd maturum semen sponte ex pilulis loculisue suis exiliat. Aliqui Tithymalli faciunt speciem, quoniam similem illis succũ habeat, eodemq; modo purget, paresq; cum ipso facultates obtineat, nisi quòd semen gustu sit dulce. Pharmacopolæ priuatim quoq; Tithymalum eam uocant. Germani etiam **Fuchsmilch** nominant. Galli, *Espurge*. Caule est cubitali, uacuo, digiti crassitudine, in summo eo sunt alæ, folio in caule oblongo, amygdalæ simili, sed latiore læuioreq;: quod autem ramulorũ cacuminibus exijt, proceriusculum, aristolochiæ aut oblongæ hederæ figura cernitur: in cacuminibus surculorum fructus extuberat, loculamentis tribus distinctus, ut Cappa D ris, rotundis, in quo grana tria tunicúlis discreta cõtinentur. Per omnia sanè descriptio eius Cataputiæ minori conuenit. Locis nascitur cultis sabulosisq;: autumno semine prægnans, cùm tunicúlæ quibus inest semen exaruerunt, carpitur.

TEMPERAMENTVM.

Calida est in ordine tertio, ac humida in primo. Calidior autẽ foliis & semine est succus eius lacteus, intra corpus sumptus maximè noxius.

VIRES, INTRINSECVS.

Lathyris duodecim uel quatuordecim baccæ, tusæ in uino potæ, uniuersum corpus commouent: phlegma, choleram, & atrã bilem educunt. Succus uerò eius lacteus corpori est noxius. In iure cocta folia pota, simili ratione & suprà & infrà aluum mouent.

EXTRINSECVS.

Succus lacteus cum oleo in sole inunctus, superciliorum capillos facit decidere: faciem uerò deformat & inflat. Dentium dolorem sedat: dens tamen cera est præmuniendus. Natura succi, sicut & succi Tithymalorum est consumere & erodere: unde ad carnem hulcerum superfluam & malam scabiem consumendam est utilis. Succum aliqui cum farina fabarum aut pisorum miscent, ac ad usum sic reponunt.

## TITHYMALI.

Tithymalus,

A Tithymalus, Latinis Lactaria herba, & Lactuca caprina, seu marina dicitur. Lactaria à lacteo liquore, qui omnibus eius speciebus inest. Caprina, quòd capræ ijs uescantur. Officinis Esula, Vnde Barbarus est uersiculus:

*Tithymalus. Lactaria herba Lactuca caprina, marina.*

*Esula cum lacte, sine lacte linaria crescit.*

Germ. **Wolffsmilch**. Quia uerò multæ sunt herbæ quæ lacteũ liquorẽ fundunt, differentiæ principio earũ constituendæ sunt, anteq; species Tithymalorũ percenseantur. Differẽtias optimè posuit Valerius Cordus, ex quo non piget subijcere. Tres sunt herbarũ lacteum liquorem fundẽti um differẽtiæ. Prima Tithymalorum est: altera intybaceorum: tertię uerò adscribamus eas plantas quæ neq; ex Tithymali, neq; ex Intybaceorũ genere sunt. Discernũtur autem hoc modo: Tithymali omnes oblongo & nullis incisuris diuiso folio cõstant: Intybaceæ uerò herbæ omnes circũroso & inciso per ambitum cõstant folio. Tithymalorũ maxima pars umbellas habet: Quibus uerò hæ nõ sunt, illæ loco earum in medio duorũ foliorum singulos flores & fructus ferunt. Intybacea uerò in singulis pediculis singulos habẽt flores, ex minimis foliolis compactos, colore luteos, sola Cõdrilla minore & Cichorio excepto, quæ interdũ cœruleos, interdũ candidos flores producunt. Intybaceorũ omnium flores in lanuginẽ, uocatam pappos, resoluũtur. Tithymalorum uerò minimè, qui oẽs fructus habẽt tribus loculamẽtis distinctos, & in his singulis singulos nũ
B cleos. Intybaceorũ semina cum pappis per aurã leniter auolãt: Tithymali cũ impetu & crepitu suum semẽ eiaculãtur. Intybaceorũ lacteus liquor amaro gustu statim in lingua percipit: Tithymalorum liquor à bubuli lactis sapore nõ multum recedit, dũ primò gustatur, deinde paulatim totũ os & fauces accẽdit, & coccognidij modo urit, et foris cuti impositus exulcerat, quod intybaceorũ liquor minimè facit, propter tẽperamenti frigiditatẽ. Hæ igit herbæ quæ iam ab Intybaceis suis notis distincte sunt, oẽs Tithymali appellatione ueniũt, estq; hoc generale earum nomen. Intybaceæ uerò herbæ sunt oẽs lactucę species, Vtraq; Condrilla, utrunq; hieraceõ, intubum satiuũ & agreste, quod Cichoreum uocãt, & quęcũq; his similes lacteo liquore manãt. Tertia uerò lactariarum herbarũ differẽtia ad neutrũ genus illorum referri potest, neq; simul unũ propriũ reuera genus habet, ut tithymali & intybacea: nõ emi sibi ipsi, ut illa, similes sunt. At huiusmodi pauca inueniunt, ut Ficus, Erinos herba, Scãmonia, Cyssãpelus utraq;, & tenella minoris Clematidis germina, quę singulæ proprium habent genus, nec omnes sub eodem genere comprehẽdi possunt, ut tithymali & intybacea. Hæc Cordus.

*Differentiæ herbarum lactariarum.*

Nunc ad genera tithymalorum, quæ septem numerantur. Primũ Characias, qui & masculus existimat, ab aliquibus cometes, amygdaloides atq; cobios uocatus. Secundum fœminam putant, myrtiten appellãt, alij caryiten, myrsinitẽ: tertio cognomentũ est Paralius siue tithymalis: quartũ helioscopion: quintũ Cyparissiam: sextũ Dendroides: septimũ Platyphyllon tithymalon.

*Nomina Tithymalorum.*

Characias, hoc est Vallaris Latinè, nulli hodie cognita, caules habet cubitales & ultrà, digitali crassitudine, quinq; aut sex, rubros, lacteo, et acri succo madentes, foliis oliuę, angustioribus, longioribusq;, radice crassa, lignosa. Pendent in cacuminibus caulium comæ iunci, sub quibus caueolæ, soliolis balnearum similes, in quibus semen: Nascitur asperis & montosis. Hunc masculum appellant: Aliquibus Cometes, Amygdaloides, et Cobios.

Tithymalus masculus. Cometes. Amygdaloides. Cobios.

Secūdus est fœmina, quam Myrsiniten, Myrtiten, & Caryiten uocāt. Naturā habet Daphnoidis, foliis myrti, maioribus, firmis, cacumine acuto pungētibus, rami ab radice exeūt semipedales. Fructū fert alternis annis, iunci similē, gustu mordaci: nascitur in asperis. Colligūtur eius comę hordeo turgescēte, siccatæq; in umbra diebus nouem, in sole inarescunt. Fructus non pariter matureścit, sed pars anno sequēte, & nux uocatur, inde cognomē Græci dedere. Quidam tamē nucem Vomicā Pharmacopolis dictū fructum, cornea soliditate, in hac nasci credūt. Germ. **Kronāglin**. Hæc sicut & prima incognita uulgo.

Tithymalus fœmina, Myrtites, Myrsinites, Caryites. Vomica.

Tertiū Tithymali genus Paralius siue Tithymalis, in maritimis nascit, ramis palmū altis, subrubētibus, quinis seniue ab radice, folio circa eos in ordinē cōdito, paruo, cōtractiusculo & prelōgo, ut lini uideri possit, capite in summis ijs rotūdo, in quo semen, ut eruū, colore uario, flore albo. Frutex totus & radix lacte scatet. Theophrastus Coccon appellat. Et hoc adhuc incognitum.

Paralius. Tithymalis.

Coccos.

Quartū Helioscopion appellant, quòd comam suā cum sole circumagat, foliis portulacæ, rotūdioribus tenuioribusq;, surculis à radice prodeuntibus quatuor aut quinq;, tenuibus, palmū altis, rubētib. albi succi plenis, capite anethi, semine ceu in capitulis. Gignitur maximè in ędificiorū ruinis, & circa oppida. Ger. **Sonnenwendende Wolffsmilch**. Cordus Valerius **Hundsmilch** uocat. Alij, **groß Wolffsmilch**.

Helioscopion.

Quintū Cyparissiā uocant, caule palmeo aut etiā proceriusculo, subrubente, foliis Pinus, teneriorib. exilioribusq;, omnino ut nouella pinus possit existimari, de quo & nomē accepit. Succo manat lacteo. Vulgò Esula minor. Hanc Cordus uult esse Pityusam Dioscoridis. Pitys enim Pinus est, cui nupę semine enatæ est similis. Eadē igit erit Cyparissia & Pityusa. Cyparissia uerò à foliorum similitudine. German. **Cypressene Wolffsmilch**.

Cyparissia. Esula minor. Pityusa.

Estq;

Estq; duplex Pityusa: altera minor, quæ à Cypariſsia, ut dictum est, nil differt, Officinis Esula minor. Altera uerò maior locis nascẽs pinguibus & uliginosis: uulgò Esula maior, Germa. **Teufels milch**. *Esula minor.*

Sextum Dendroides & Petrophyes dicitur, nascẽs in petris, opacans supernè in orbem, comosissimum & succi plenum, ramis subrubẽtibus, circa quos folia myrti tenuioris, semen Characiæ. Sic dicta à ramorũ copia, Germa. **Steynmilch**. *6. Dendroides. Petrophyes.*

Septimum Platyphyllon, à foliorum latitudine, Germa. **Breyt blette re Wolffsmilch**/ Fuchsio. Aliàs **groß Teufels milch**. Itẽ **süß Wolffs milch**. Similis est Verbasco, foliaq; reliquis longiora obtinet. *7. Platyphyllon.*

Vltra hæc addit etiam Dioscorides Peplon, quæ similiter est herba ex Tithymalorum generibus, in hortis & uineis nascens. Officinis & uulgò Esula rotunda, Germa. **Teufels milch**/ & **klein Hundsmilch**/ foliis nascitur paruis, qualia rutæ, latioribus tamen, caule dodrantali, rotundo, totus frutex lacte plenus. Semen sub foliis paruum & rotundũ, albo papauere minus. *Peplos.*

TEMPERAMENTVM.

Ordinis calefacientium ſunt quarti, ac ualenter etiam deſiccant.

VIRES, INTRINSECVS.

Radicis Eſulæ exterior cortex, in lacte uel aceto per diem unum mollitus, ac denuò ſiccatus, in puluerem tritus, phlegma & choleram ſemidrachmæ pondere cum uino uel aqua mulſa potus, educit: hydropicis itaq; utiliter bibitur. Semen omnium Tithymalorum eaſdem habet uires, ſed fortiores & calidiores: uomitum & ſedes prouocat. Catapotia cõtra hydropiſin & dyſpnœan hunc in modum licebit formare: Radicis Eſulę minoris cape drachmam unã, aloës drachmas duas, maſtiches drachmã unam, ſingulis in puluerem tritis, cum aqua fœniculi aut menthæ in maſſam ſubigantur, ex qua pilulas pro patientis natura, fortioribus drachmam unam, debilioribus dimidiatam finge. Dicta catapotia aquæ intercute & dyſpnœa laborantibus ſunt ſalubria: leniter enim per inferna & ſuperna purgant.

EXTRINSECVS.

Eſulæ, ſicut lathyris, ad capillos & ſcabiem pellendam uſus eſt præcipuus. Contra porriginem preſtantiſsimum ex foliis, radice, uel ſucco, unguentum licebit conficere.

## SOLANVM.

Solanum,

SOlanum, Græcis Strychnos & Trychnos. Officinis Solatrum. Vulgò Cuculus, Vua lupina, Vua uulpis, Morella. Gal. *Morelle de iardin*. Germa. **Sewkraut**. *Solanum. Strychnos. Solatrum.*

Quatuor eius Dioſcorides enumerat genera: Hortenſe, Halicacabum, ſomnificum, & furioſum.

Solanum hortenſe ſeu urbanum, in hortis cibi gratia ſerebat olim: hodie uerò negligitur. Frutex eſt eſculētus, frutice haud magno, frequentibus alis, folio nigro, maiore quàm ozimi, latioreq;, acinis rotūdis, herbaceis primùm, qui cùm maturuerint nigricant aut rufeſcunt. German. ſimpliciter **Nachtſchatt** appellatur. Item **Sewkraut**/ quòd porcorum morbis ardentibus medeatur. 1. *Solanum hortenſe.*

Altera Solani ſpecies Halicacabus nominatur. Item Véſicaria, à folliculo ueſicę formam referente, in quo fructū profert, Of- 2. *Halicacabus. Veſicaria*

Alkakengi. ficinæ & Arabes Alkakengi uocant. Germa. **Judenhütlin oder Döck C lin/Judenkirſen/Schlutten/Boberellen/Rotnachtſchatten.** Foliſs eſt priori ſimile, latioribus tantùm: caules habẽs cùm increuere, pronos & inclinatos in terram, ſemẽ in folliculis rotundis ad ſpeciem ueſicarum, orbiculatum, rubens & læue, acinorum uuæ figura, quo coronariſ utuntur in ſertula addentes.

Halicacabus peregrinus.

Eſt & alia Halicacabi ſpecies aliunde in Germaniam aſportata, quã peregrinam appellant, & German. **Welſch ſchlutten/Münchsköpff lin**: foliſs oblongis & laciniatis, flore candido, ueſiculis halicacabo ſimilibus, in quibus ſemen includitur Piſis aut Ciceribus ſimile, in cuius medio effigies quaſi cordis humani inciſa & inſculpta apparet. Valerius Cordus Dorycnion eſſe Dioſcoridis oſtẽdit.

Dorycnion.

D

3. Solanum hypnoticon.

Tertium Solanum ſomnificum appellat, Græcis Hypnoticon ab effectu, quòd fructus eius ſoporem inducat. Nonnullis dormitorium & marinum dicitur, quòd in rupibus non longè à mari inueniatur. Ger. **Schlaffkraut/** & **Dollkraut.** Theophraſto ſub Mandragora deſcribitur, ac Morion ei propriè dicitur, ut placet Tragꝰ. Aliſ tamen Theophraſti Morion faciunt tertiam Mandragoræ ſpeciem, quibus non magnoperè repugnamus: ſed foliorum, florum & fructus forma, adeoq; uiribus ad Solanũ magis accedit: Vt ſuprà de Mandragora eſt indicatum.

Frutex eſt ramoſus cauliculoſusq;, fructu ōtumax, foliſs pinguibus, multis,

A tis, similitudine mali cotonei, rubro flore, ampliusculo, semen in folliculis croceum, radice corticis leniter rubente & grandi, nascens in petris, nec procul ab afflatu maris.

Quartum furiosum uocant, Græci Manicon, hoc est, insanum. Officinis Solatrum mortale. Folium habet, Dioscoride describente, Erucæ, maius aliquanto, satis ad spinam, quam pæderota uocant, accedens, caules à radicibus speciosos ac proceros numero decem aut duodecim, altitudine ulnarum quatuor, capitula effigie oliuarum insident, sed hirsuta, ut pilulæ platani, maiora tantùm, latioraq;, florem in uuis rotundum, nigrum, corymbis hederæ, acinis decem aut duodecim, mollibus ut uitiū, radice crassa, caua, cādida, sesquipedali. Montibus uento perflatis, & ubi platani nascuntur, prouenit. Furiosum seu insanum dictum est, quia radix, ut Theophra. habet, drachmæ pondere datur, ut sibi quis illudat placeatq;, ac pulcherrimum se existimet: duplicato pōdere magis insanit, spectris uanis animo obuersantibus: triplicato, legitimę perpetuæq; subeūt furiæ: si quid adijcitur, præsentanea mors rapit: unde Solatrum mortale est dictum. Adfertur ad nos copiosè ex Aegypto fructus eius, quē Pharmacopolę Cuculus de leuante, hoc est, Solanum Orientis uocant. Pisces quàmprimum hoc deglutierint, uertigine corripiuntur, & lupini aquæ innatant, ut facilimè manibus apprehendi possint.

*Solanum furiosum. Manicon. Solatrum mortale.*

*Cuculi de leuante.*

B TEMPERAMENTVM.

Hortense Solanum refrigerat & adstringit ordine secundo: in humectando & exiccando medium quodammodo obtinet. Halicacabi folia eiusdem sunt temperamenti. Somnificum refrigerat ordine tertio. Cortex radicis Manici seu furiosi, refrigerat in initio secundi, & desiccat in secundo completo, ac tertio incipiente.

VIRES, INTRINSECVS.

Aqua florum, foliorum & fructus Solani hortensis mense Maio stillata, internis & externis inflammationibus pota & linteolis apposita, auxiliatur. Ventriculi & iecoris æstum restinguit. Nimius autem eius usus insaniam parit, cuius rei exemplum adducit Tragus: Medetur tamen eidem unum potum fortissimum. Halicacabi comesti aut aqua eorum pota stillatitia, urinam & lapidem renum & uesicæ certò pellunt: omnia interna corporis hulcera, ter in die pota, purgant. Hypnotici & manici intra corpus nullus est usus: perimunt enim intra corpus sumpta, ut ex porcis licet cernere. Aqua uerò stillatitia ad triennium asseruata, ad ardentes febres uti licebit.

EXTRINSECVS.

Phrenesin impositа capiti Solani folia uiridia sedant. Omnibus totius corporis inflammationibus, oculorum, auriū, uentriculi, aliarumq; partium auxiliantur. Succus in pesso subditus, menstruos fluxus cohibet. Easdem uires aqua tenet stillatitia.

Cum

Cum oui albumine illitus ſuccus, oculorũ inflammationem & fluxus C ſedat. Cum ceruſſa & lithargyro ardentibus fluentibuſq; corporis hulce
• ribus & damnis præſenti remedio illinitur. Pares cum Solano hortenſi uires habet Halicacabus ſeu Veſicaria. Hypnoticon & Manicon præcipua contra omnis generis omnium partium inflammationes ui pollent: ſiue ipſa herba, ſiue ſuccus aut aqua ſtillatitia ſumatur.

## TROCHISCI DE HALICACABO.

Trochiſci de Halicacabo, quas Alkekengi uocant, ualent ad renum et ueſicæ hulcera, & natam inde dyſuriam. Compoſitionem eius tradit Meſue.

## PES ANSERINVS.

PEs anſerinus, uulgò ſic dictus, ex Solani etiam numero recenſeri poteſt. Gall. *Pied de iars*. Germa. **Gensfüß**, & **Gensfüßle**. Item **Schweinstodt**, & **Sewtodt**, quòd ſues perimat. Num ueteribus cognita, incertum. Nec hodie eius uſus: eſt enim herba noxia. Naſcitur locis pinguibus, & circa fimaria D hortorum potiſsimùm, caule cubitali, ſtriato, foliis feri Halicacabi, ſed laciniatis, anſerini pedis effigie, floribus minutis & rubentibus: Iulio potiſsimùm menſe. Semen, uelut in Atriplice ſyluestri, racemoſum, radix obliqua, capillamentis multis fibrata.

### TEMPERAMENTVM ET VIRES.

Ex ſecundo eſt refrigerantium ordine, ſicut Solanum hortenſe, cum quo pares facultates per omnia obtinet. Sues uerò eſus eius perimit.

## ASTER ATTICVS.

Aſter atticus. Bubonium Inguinalis

ASter atticus, à floris figura, uel quòd capitula, ut Plinius refert, per ambitum foliis puſillis diuiſa, ſtellæ formam præ ſe ferunt. Bubonium item & Inguinalis, à uiribus. Gall. *Herbe de l' eſtoille*, Ger. **Sternkraut**/& **Bruchkraut**/item **Schartenblûm**/quòd ad herniam puerorum ſit eius uſus: quam tamen herbam Tragus cenſet eſſe Eranthemon, tertiam Anthemidis ſpeciem. Cauliculus ſecundum Dioſc. deſcriptionẽ eſt ligneoſus, florem in cacumine habens purpureum, luteumue, capitulũ undiq;

undiq; inciſuris, anthemidis modo, diuiſum: folia quæ caulem ambiunt ſtellæ modo radiata, oblonga, hirſuta. In collibus, mõtibus altis & ſyluis naſcitur. Floret Auguſto potiſsimùm, durãtq; flores in autumnum uſq;. Malè apud Serapionem pro Eryngio ab herbarijs accipitur, ut Cordus indicat.

TEMPERAMENTVM.

Mixtæ, ut roſa, eſt potentiæ: refrigerat enim, ſed non tam uehementer, & digerit atq; exiccat, ob amaram quæ ineſt qualitatem.

VIRES, INTRINSECVS.

Pars in flore purpurea, ex aqua pota, angina laborantibus, & puerorum comitialibus prodeſt. Contra ſerpentes etiam, ut Plinius tradit, bibitur.

EXTRINSECVS.

Aeſtuanti ſtomacho confert. Oculorum inflammationib. bubonibus, procidẽti ſedi, auxiliatur. Recens inguinum inflammationibus illitus, prodeſt. Aridus flos ſiniſtra manu dolentis decerptus, inguini alligatus, doloribus liberat.

Prunella.

Conſolida media.

## PRVNELLA.

PRunella hodie Officinis & uulgò dicta, Germanis **Braunellen/Gottheyl**. Gallicè, *Herbe au Charpentier*. Quo ueteribus nomine appellata ſit, nemo dum protulit.

Caules habet in medio ſtriatos, pingues & hirſutos, folia Ozimo ſimilia, coloris herbacei, & acuminata. Flores in ſummis caulibus ſpicatos, Lauendulæ nõ diſſimiles, radicem tenuem, multis capillamẽtis fibratam: naſcitur in pratis. Maio floret & Iulio.

Tragus ſeptem eius à florum differentia facit ſpecies: duas cœruleo flore, alteram foliis & caule hirſutioribus, alteram uerò læuioribus: duas flore purpureo: tres uerò candido flore.

Conſolidam mediam hanc eſſe, idem cenſet.

TEMPERAMENTVM.

Qualitatis ſunt calidæ & ſiccæ, ac recentibus uulneribus potiſsimùm adhibentur.

VIRES,

Aqua ſtillatitia prunellæ omnibus corporis internis uitijs auxiliatur, ſanguinem conglobatum diſcutit, & inflammationes ſedat, interdum pota.

EXTRINSECVS.

Omnibus, & recentibus & ueteribus uulneribus purgandis ſanandisq;, præſertim ſi inflammatio acceſsit, aqua ſtillatitia prodeſt. Contra linguæ inflammationem cum roſaceo hodie præcipuè gargarizatur. Aphthas & oris hulcera, fauciumq; uitia, ſuccus eiuſdem ſanat. Idem cũ aceto & roſacco mixtus, uehemẽtes capitis dolores ſedare traditur, ſi tẽpora ex eo inungantur. Florum & foliorum decoctum in uino aut mulſa, idem præſtat.

## SERPENTARIA OFFICINARVM.

*Serpentaria Officinarum.*

*Dracontion.*

*Oxylapathum.*

*Biſtorta. Colubrina.*

PRæſentem herbam Serpentariam Officinarum nominamus, quoniam Serpentaria uera, quam Dracontion & Dracunculum uocant, alia eſt ab hac ipſa. Quo nomine hęc ueteribus Græcis uel Latinis ſit appellata, nihil certi conſtat. Tragus Oxylapathon, ſeu Lapathium acutũ eſſe exiſtimat, de quo ſuprà, ubi de Lapathis eſt actum. Galli, *Biſtorte.* Germani uocãt **Schlangen oder Naterwurtz.** D

Duum eſt generum: Mas & fœmina. Marem uulgò Biſtortam, à radice in ſeſe contorta, uocant, folioq; eſt leuiore: Germa. **Naterwurtz männle.** Fœminam Colubrinam appellãt, rugoſioribus foliis, maiore radice, & minus intorta, multumq; capillata. Germa. **Naterwurtz weible.**

Vtraq; cauliculo conſtat tenui ac iunceo, glabrescente, per ima tantùm foliato, ſpicoſo florum uertice, quibus dilutioris purpuræ color ineſt: folio rumicis, à terra cæſio, ſupernè uiridi & herbaceo: radice, mas quidem, cõtorta & inuoluta, fœmina uerò oblonga, maiore & capillata, extrà nigricãte, intus rubeſcente. Serpentariam utranq; uocant, quòd linguæ ſerpentinæ formam, cùmprimum prodeunt, referant. Locis umbroſis naſcuntur & humidis Maio & Iunio florent. Nonnulli Limoniũ Dioſcoridis eſſe aſſerunt. De quo ſuo loco.

*Limoniũ.*

TEMPERAMENTVM.

Radix utriuſq; eſt frigida & ſicca in tertio ordine, adſtringendiq; uim habet. Eiuſdem penè cum Oxali facultatis.

VIRES, INTRINSECVS.

In puluerem trita radix, drachmæ pondere contra peſtis uenenum bibitur,

A bitur, per sudores illud expellens: dysenteriam aliosq; corporis fluxus sanat. Par effectus est aquæ stillatitiæ, uel decocto radicis. Sanguinis in corpore grumas, trita cum stillatitia aqua mixta radix, digerit. Ictericis eodē modo est salutaris.

EXTRINSECVS.

Cauis dentibus cum pyrethro & alumine usto trita, & melle mixta, pi si quantitate denti imposita, præstantissimo est remedio: humores enim malos educit, dolores mitigat, & caput purgat.

Aqua stillatitia morsibus serpentum & araneorum medetur.

Ad carcinoma dorsi, gangrænam narium, & antiqua damna, maximè efficacia puluis eius & aqua stillatitia perhibentur. Sanguinem ex uulneribus manantem insperſus puluis cohibet.

## OPHIOGLOSSVM.

B

ET hæc herba quam apud ueteres nomenclaturam habuerit, non satis est cognitum. Tragus à forma commodè Ophioglossum dici scribit, qua ratione & Germanis **Naterzünglin** appellatur. Gall. *Langue de serpent.* Latinè itaq; Lingua serpentina dici poterit. Siue, ut eidem placet, Lingula uulneraria, à uirtute qua pollet. Sunt qui Linguam uel Lingulacam Plinij existiment. Folium habet unicum, pingue, digiti longitudine, Plantagini aquaticæ non dissimile, è cuius sinu inferiore pediculus exit, cui quippiam coloris insidet herbacei, simile lapillis quos Serpentinam linguam appellant. Nascitur Aprili & Maio in pratis humidis.

*Ophioglossum.*
*Lingua serpētina.*
*Lingula uulneraria.*
*Lingulaca.*

TEMPERAMENTVM.

Exiccat citra insignem caliditatem, ac potissimùm uulneraria est herba, Symphyti ferè facultates possidens.

VIRES, EXTRINSECVS.

Ophioglossum cum axungia porcina calidum, inflammationibus, ad gangrænam præcauendam, illinitur.

Vulnera, sicut Symphytum, modico tempore glutinat, ad quorum curationem potissimùm adhibetur.

## SPANACHIA, uel Seutlomalachon.

SPanacia uel Spanachia Græcis, sed recentioribus: à raritate forsan oris: σπανὸν enim rarum significat. Latinis Spinacea uel Spinaceū olus, ab acuminatis fortasse seminum aculeis: semē enim est aculeatum & spinosum. Arabibus Hispanach & Hispanicum olus. Ger. **Spinat oder Spinnet/Bynetsch/Heerkraut**/quibusdam locis. Gall. *Espinarts.*

Seutlomalachon recentes Græci idem uocāt, quasi dicas maluaceam

*Spinacia*
*Spinacea.*
*Hispanach.*
*Hispanicum olus.*
*Seutlomalachon.*

2. Spinachia fœmella.

betam: quòd figura & denticulato C seminis habitu betam, & mollitia maluam repræsentaret.

Olus est caule cubitali, folio primũ triangulo, mox intubaceo, molli, sapore inerti, semine aculeato, sine flore, radice multiplici, culto qualicunq; solo proueniens.

Est & fœmella priori similis, quę florem fert flauum, sed sterilem, & mox euanescentem, absq; omni semine. Seritur bis anno, uere & autũno, ab hyemis iniuria libera. Semen Iulio fert & Iunio.

TEMPERAMENTVM.

Frigida est & sicca in primo ordine.

VIRES, INTRINSECVS.

Alimentũ suppeditat melius atriplice, sed inutilis stomacho. Molliẽdæ aluo præstantissima. Flatus colligit & uomitiones cõcitat, nisi ex- D crementitius humor abijciatur. Aduersus scorpiones ex uino bibitur. Asperitatem arteriæ emendat. Aridæ tussi conuenit.

Alimentũ in morbis, ut scribit Tragus, optimum, olerumq; conuenientissimum. Succus, aut stillatitius eius liquor, internis corporis uitijs prodest. Lac deficiens regenerat.

EXTRINSECVS.

Stomachi æstum cataplasma ex Spinachia impositum, cum doloris sedatione, cõpescit. Idem aduersus ictus scorpionum & araneorum utiliter illinitur.

Euphrasia. Euphrosyne.

Ophthalmica. Ocularia herba.

## EVPHRASIA.

EVphrasia Græco uocabulo appellatur Officinis, cùm nil apud ueteres de hac scripto sit relictũ. Gallicè, *Lumilette*, *Euphraise*. Fuchsius Euphrosynen dictam, ac corruptè Officinis Euphrasiã ait, quòd oculos delectet, quorũ & caligini medetur in uino pota. Eodem etymo Germa. **Augentrost** uocant. Nonnullis Ophthalmica & Ocularia herba. Hyssopo nascit similis, in apricis collibus & pratis, cauliculis purpureis, folio paruo & per ambitum serrato, flosculo albicante. Autumni prorumpit initio.

Altera



Altera eius ſpecies, quam quidã Gramen uocant, naſcitur apud Norinbergenſes, ut autor eſt Tragus, quam ĩdem **Augentroſt** appellãt. Quidam **Teufelsblůmen**. Caule rotundo, cubitali, geniculato, foliis circa genicula binis longis, acuminatis, ſicut graminis, linguæ auicularum ſimilibus, radice tenui. In Aprilis fine florem fert uiolaceum, candidum, quinq; foliis compactum, minutim inciſis. Capitula ex flore rotunda, ſicut lini, enaſcuntur, ſemine plena. 2. *Gramen.*

Tertia naſcitur in pratis, flore cœruleo lacteo quadantenus, altitudine cubitali, foliis teneris, mollibus & pinguibus, centaurio minori ſimilibus. In aquarum uerò ripis bicubitalis, & foliis pinguibus, ſalicariæ modo, naſcitur. Inueniũtur etiam aliæ aliis regionibus huius ſpecies. 3.

TEMPERAMENTVM.

Calidi eſt temperamenti & ſicci.

VIRES, EXTRINSECVS.

Ad oculorum ſuffuſiones & caligines uel per ſe impoſita, aut cum uino decocta, prodeſt: idem B ſuccus efficit. Aqua tamen eius ſtillatitia oculis eſt commodior præſtantiorq;.

In puluerem redacta & in uino trita, memoriam & oculorum aciem mirificè corroborat: amiſſamq; reparat.

Tragus eius decocto ex uino ſe aduerſus ictericos uſum eſſe teſtatur.

## AMARANTVS.

AMarantus, hoc eſt, immarceſsibilis, quòd flos eius non marceſcat.

Duo ſunt huius genera: Luteus & purpureus. Luteus uirgam habet tenuem, uirentem, candidam, rectam, firmam, folia per interualla anguſta, abrotono ſimilia, comam in orbem aurei fulgoris: umbellam rotundam uelut arẽſcentes corymbos, radicem tenuem. Naſcitur aſperis, harenoſis, ſiccis, & conuallibus locis. Floret Iunio ac Iulio. Græcis Helichryſum, quaſi aurum trahens, à fulgore dicitur: & Chryſanthemon, hoc eſt, aureus flos. Galeno Amarantus. Vulgò & Officinis, Stichas uel Sticados citrinum. Germa. **Reinblům**/à natalibus ubi potiſsimùm prouenit. Itẽ **Mottenblům** *Helichryſum. Chryſanthemon. Stichas citrina.*

& Jüngling/quòd uestes à tineis tueatur. Gallicè, *Passeuelours.* C

*Flos amoris.*

Alter Amarantus est purpureus, pedali surgens altitudine, caule purpurascente, foliis Ozimo similibus, maioribus tamen & longioribus: spica purpurea uerius quàm flore, inodora, aspectu gratissima. Nascitur in hortis & fictilibus satus. Floret Augusto potissimùm. Hodie flos amoris, German. **Flor amor**/corrupta uoce, & à Græca dictione fortassis per barbaralexin facto uocabulo, ab Amaranthos, ab amor & anthos, id est, flos. Sed foret sic barbaralexis, & per th esset scribendum. Dicitur item **Sammetrosen**/& **Tausentschön.**

TEMPERAMENTVM.

Luteus est calidus & siccus, purpureus frigidus & siccus.

VIRES, INTRINSECVS.

Coma helichrysi pota cum uino, difficultatibus urinę, serpentium ictibus, coxendicum doloribus, & ruptis auxiliatur. Pota cum oxymelite menses ducit, ac sanguinis grumos in uesica aut aluo absumit.

Cum uino albo, diluto, trium obolorum pondere data, ieiuno stomacho, destillationes sistit. Omnes simpliciter fluxus, Galeno teste, pota A- D

maranti, præsertim lutei, coma, desiccat, stomacho tamen inimica. Flores in uino decocti, lumbricos educunt. Amaranti purpurei manipulus cum radice & flore in mensura uini noctis spacio imbutus, coctusq;, matricem, per aliquot dies potus, purgat.

Tusum cum uino semen potum, lac regenerat.

EXTRINSECVS.

Helichrysum uestibus appositum, à tinearum erosione eas tuetur. Ambustis cum melle illinitur.

Pediculos, in lixiuio decoctum, enecat. Purpureus Amarantus eadem quæ luteus præstat.

## TRIFOLIVM PRATENSE.

TRifolij appellatio generalis est ad herbas, quibus terna sunt folia, sicut & Germanicum **Klee**. Gallicè, *Trefle.* Plures itaq; sunt Trifolij species, de quibus ordine dicemus. Primum, quod etiam communissimum, pratense dicitur, quòd in pratis passim nascatur. Germa. **Wisenklee/Fleyschblüm.** Officinis commune nomen retinet.

Duum

A Duum est generum, ex floris colore: Alterum purpureum, Germa. **Braun Wisenklee/braun Fleyschblům**: alterum candidum, Germa. **Weiß Wisenklee/oder Fleyschblům**. Caule nascitur utrunq; rotundo, cubitali, foliis per interualla ternis, quæ in purpureo latiora sunt & magis herbacea, in albo uerò longiora angustioraq;, ac plus pallescentia: in summo caulium flores fert mense Maio & Iunio purpureos, uel albos compactos, stœchadis ferè similitudine. Semen in cauernulis decidente flore inuenitur rotundum, uiciorum sapore. Radix longa & lignosa. Tertiam alij faciunt speciem flore flauo seu luteo, quam lotis nos adnumeramus. In summa, tria sunt propria & principalia trifolij genera. Primum pratense, de quo in præsente capite. Secundum odoratum, de quo capite sequente. Tertium acetosum, Græcis Oxytriphyllon, de quo suo loco. Cùm autem trifolium simpliciter dicitur, intelligitur odoratum. Præterea omnibus herbis quæ ternis nascuntur foliis, appellatio trifolij tribuitur, ut fragariæ, alijsq;.

TEMPERAMENTVM.

Vim habet exiccandi, tenuiumq; est partium. Florum & seminis potissimùm est usus.

VIRES, INTRINSECVS.

Flores cum semine in aqua mulsa uel uino cocti, poti, uel clysteres infusi, lentam & uiscosam intestinorum materiam emolliunt, erosiones & B dolores eorundem sedant & sanant. Albo mulierũ fluxui mirum in modum confert. Pabulum tenellis ouibus & uitulis est gratissimum.

EXTRINSECVS.

In oleo & aqua cocti flores & semẽ imposiți, scirrhos & œdemata inflammationesq; concoquunt, & ad maturitatem perducunt.

## LOTVS SATIVA, seu Trifolium odoratum.

TRifolium odoratum seu acutũ, ab odoris præstãtia, qua reliquas eius species antecellit, est dictum. Officinis Trifolium. Atq; hoc trifolio uti debent quoties trifolij fit mentio, non altero quod in præcedenti capite est descriptum, iuxta quorundã sententiam. Lotus item satiua dicitur, quod Loto syluestri, siue etiam Loto arbori, non admodũ sint folia dissimilia. Germani **Siebengezeit** nominãt, quòd uidelicet septies in die odorem suum & habeat, & amittat, quàmdiu in horto creuerit. Decerptũ uerò & exiccatum odorem perpetuum retinet: ac multò magis pluuiali instante tempore, adeò ut to-

*Trifolium odoratũ acutum.*

tas etiam ædes odore ſuo repleat. Vnde etiam in ædibus paſsim ſuſpendi ſolet: nec tam odoris gratia, quàm aduerſus ſpectra & uenena, quibus aduerſari creditur. **Wolriechender Klee** etiam appellatur. Plinio Aſphaltiõ ſphaltion dicitur. Gallicè, *Broches*. Naſcitur non niſi ſata in hortis paſſim Germaniæ, cubito altior, uirgis tenuibus, nigris iunceisq;, adnaſcentijs multis, in quibus folia terna loto arbori ſunt ſimilia: quibus recens adhuc enatis odor eſt rutæ, auctis uerò iam, bituminis. Florem fert menſe Iulio purpureum, ac ſubinde ſemen modicè latum & ſubhirſutum, in folliculis modicè latis, milio nõ diſsimile, ex altero extremo apicem obtinens. Radice eſt longa, tenui & ualida. Arabes Andachocham appellant.

Aſphaltiõ

Andachocha.

## TEMPERAMENTVM.

Calfacit & exiccat in ordine tertio.

## VIRES, INTRINSECVS.

Semen, flores, & folia, ex aceto & melle cocta, contra uenena ſumuntur: unde theriacis utiliter ſemen eius admiſcetur.

Eadem in uino uel aqua mulſa, ſigillatim uel ſimul cocta, & pota, pleuritidem diſcutiunt, urinam cient, ſtranguriæ dolores leniunt: medentur quoq; comitialibus, mulieribus præſertim quæ ex matricis doloribus cõcidunt. Idem decoctum per dies aliquot potum, hydropem incipientem prohibet: febres item tertianas & quartanas auertit.

Seminis drachmæ tres, aut foliorum drachmæ quatuor tuſæ & ſumptæ, menſes cient.

## EXTRINSECVS.

Decoctum foliorum & ſeminis, morſus ſerpentum aliorumq; uenenatorum, ſi uulnus eo abluatur purgeturq;, ſanat. Ad idem efficax eſt aqua ſtillatitia.

# LOTI SYLVESTRES.

Melilotus. Sertula campana. Herba regia. Trifolium urſinum.

LOtorum circiter nouem, ſi quis exactiùs obſeruet, inueniuntur ſpecies, quę Germanis communi appellantur nomine, **Steynklee/Vogelswickẽ/Haſenpfötlin**. Prima ex his eſt, quam Dioſcorides Melilotum uocat. Latinis Sertula campana, & Herba regia. Nonnullis etiam Trifolium urſinum, Germa. **gemeyner Steynklee/Berenklee**.

1. Melilotus lutea.

Eſt autem duum generum, flore ſolummodo uariante, qui in quibuſdam luteus, in nonnullis uerò eſt albus. Naſcitur utraq; in agris locisq; aſperis, caule rotundo, hominis interdum æquante altitudinem, ramulis multis, foliijs nigricantibus, flore ſpicato, uel candido, uel luteo. Semẽ in ſiliquis minutis inuenitur ferè ſingulum. Radix longa & tenuis. Et hæc

2. Melilotus alba.

ſunt prima duo genera. Vtraq; **groß Steynklee** uocantur.

Tertium

A

Lutea.

Alba.

B

Tertium & quartum genus Germa. appellant **Vogelswicken**. Hæc Tragus Melilotū exiſtimat Serapionis. Primum ex his foliis priori ſimilibus, floribus rotundis, luteis & compactis, ſicut trifolij pratenſis, quibus decidentibus, ſiliquæ aceruatim exiguæ, ſemicirculi forma dependent, in quibus ſemen ineſt. Radice capillata. 3. & 4. *Melilotus Serapionis.*

Alterum priori caule, foliis, & radice eſt ſimile, ſed flores in hoc magis ſunt lutei maioresq;: Siliquæ item longiores, ternæ aut quaternę, auium unguibus ſimiles. Sic non niſi in flore eſt differentia.

Quintam Lotum Germa. **Steynwicken** uocant. Latinè Lotus campeſtris, & Lotus trifolia. Locis naſcitur campeſtribus & aſperis, flore puniceo, ſeu ſubcandido, purpureo intermixto. Folia uicijs non ſunt diſſimilia, Vnde etiam Germanicam appellationē traxit. Tragus ſyluestre appellat Fœnūgræcū, **Wild Fenugrec.** *Lotus campeſtris.* *Lotus trifolia.* *Fœnugræcum ſyluestre.*

Melilotus Germanica. Herba flaua. Herba leporina.

Sexta Loti ſpecies, Germ. **Klein Steinklee/ oder gulden Steinklee** appellatur. Latinis & eruditis hodie Lotus ſylueſtris. Fuchſius Saxifragam luteam nominat, à uiribus in frangẽdo calculo, ſicut Germani **Steynklee**/ quaſi Trifoliũ frangens lapidem. Hanc Medicam Dioſcoridis Tragus ſtatuit. Naſcitur itidem campeſtribus, flos duntaxat æſtiuus, à ſemine quotannis renaſcens. Foliis Trifolij pratenſis: florem fert meſſis tempore, luteum, exiguum, rotundum, piſi inſtar compactum. Semen capitulis includitur nigricantibus. C

Septimum Germani **Edler Steynklee** uocant, Item **Vnſer frawen ſchůlin**. Hodie Melilotum uocant Germanicam. Et herbam flaueã, item Herbam leporinam. Naſcitur in pratis paſſim Germaniæ, & locis montoſis, humilis, palmi altitudine, folio pratenſis trifolij, pingui & cano, flore piſi, minore tamen, luteo: Semine in ſiliquis: Radice rufa.

Lagopus Pes leporinus. Trifolium humile. Trinitas.

Poſtremas duas ſpecies Germani uocant **Haſenfůß/ Katzenklee/ Kätzle**. Græcis Lagopus, Latinis Leporinus pes, quòd paniculam leporino pedi ſimilem habeat, Trifolium item humile, & Trinitas. Caule naſcitur utraq; rotundo, in ſegetibus hortorumq; areis, hirſuto, folio loti trifoliæ, paniculis muſcoſis lanuginoſisq;, pedi leporino non diſſimilibus, qui in altera ſunt lutei, in altera cinericei. Semen in paniculis minutum inſtar milij continetur. Radix breuis. Alteram licebit **geel Katzenklee**/ alterã **eſchenfarb Katzenklee** uocare. D

TEMPERAMENTVM.

Omnium temperamẽtum tam in foliis, quàm floribus & ſemine eſt calidũ ſiccumq;. Vis ijs eſt molliendi & dolorem ſedandi.

VIRES, INTRINSECVS.

Primæ duæ ſpecies, quas Melilotos appellãt, itẽ ſexta quæ Lotus uocatur ſylueſtris propriè, cum ſale & aceto in acetarijs ſumpta, ſtomacho proſunt. Eædem in uino coctæ, & cum melle temperatæ, potæ, hulcera intra corpus molliunt, diſcutiunt, & dolorem ſedant, matricis tumoribus,

A bus,& duritiei prosunt,præsertim si cum uino Maluatico coctæ bibantur. Posteriores duæ species, quæ Lagopi nomine ueniunt, cum semine Maluæ,in dulci uino coctæ ac potę, uesicæ affectiones sanant,eiusq; dolores mitigant. In uino rubro coctæ ac potæ, aduersus assiduos alui fluxus conferunt.

EXTRINSECVS.

Lotorum syluestriū, ad omnes ferè externas corporis adfectiones, sicut Chamæmeli,est usus: oculorū inflammationibus tusæ illinuntur,aut aqua earū stillatitia cum linteolis imponitur. Florū succus caliginem oculorū discutit,pterygia oculorum tollit,auribus instillatus dolorem mitigat. Priores septē species omnes uel singulæ,in uino dulci, cum papaueris capitibus,semine lini,& Fœnugræco,pro cuiusq; arbitrio coctę,prę stātissimum fomentum, si illinantur, præbēt,cōtra matricis,longanonis & sedis occultarumq; partiū tumores. Nonnulli uitellos ouorum & oleum admiscent. Quatuor primæ species in aqua uel lixiuio potæ, melicerides,capitisq; fluentem scabiem sanant. Insessionibus aut balneis desudatorijs etiam maximè sunt utiles. Lagopus uterq; in aqua coctus,cutem à sole adustam glabram & teneram reddit: in facie præsertim, melle admixto. Eosdem in potu,uel in desessionibus,fluxus alui & menses sistere ferunt.

B

## FOENVM GRAECVM.

Fœnum

FOenum græcum fortasse quasi fœnum peregrinum: nam & pabuli loco quibusdam regionibus bina uice, uere & autumno, demessum, datur. Græcis Telis & Ceraitis. Theophrasto Buceras. Hippocrati Epiceras, quòd fructum corniculis similem habeat. Plinius uocat Siliciam, Varro Siliculam. Aegoceros quoq;, sicut Germa. **Bockhorn/Kühorn/Fenugrec**. Passim hodie satum nascitur, cauliculis exilibus, rubicundis, folio penè trifolij, Vnde inter trifolia etiam recensetur: flore candido ac exiguo: semine in siliquis oblongis, ac cornu instar incuruis, fuluo. Florem fert Iunio ac Iulio, ac unà siliquas. Semen uerò in Augusto maturum colligitur. Radix subrotundà & oblonga. C

*Telis. Ceraitis. Buceras. Silicia. Silicula. Aegoceros.*

Numeratur etiam alterum quoddã fœnigræci genus syluestre, quod Trifolium minus appellant, & Lotum campestrem, Germa. **Steynwicken**/quod alij Lotis annumerãt, & nos quintam Loti speciem fecimus, in capite præcedente.

TEMPERAMENTVM.

Calidum est in ordine secundo, siccum in primo.

VIRES, INTRINSECVS.

Semen ex aqua mulsa potum, collectiones internas mollit & attenuat: omnes deprauatos intestinorum humores, cum modico admodum melle, educit: omniũ internorum membrorum dolores mitigat. Sorbitio eius ex farina ad pectus exulceratum longamq; tussim, teste Plinio, sumit.

EXTRINSECVS.

Fœnigræci in aqua decocti cremor expressus, capillos, furfures, & manantia capitis hulcera sanat. Matricis præclusiones & tumores succus eius, cum adipe anserino in pesso subditus, aperit. Idem præstat seminis aut ipsius herbę desessio aut fomentum. Prodest etiã peculiariter ijs qui sedis difficultates habent. Semen clysteribus, in Colica passione, ex hulceribus nata, additur: ac precipuam aduersus omnis generis tumores uim habet. Cum nitro & aceto lienem extenuat. Farina fœnigræci cum nitro & aceto illita, furfues capitis & achores malignos purgat, autore Plinio. D

Cytisus.

*Lotus magna. Cytisus Dioscor. Trifolium maius.*

## CYTISVS.

CYtisus à Cythno insula, in qua primùm inuẽta est, nomen habet. Alij Telinen & Triphyllon, hoc est, Trifolium, & Lotum magnam nominant. Romani Trifolium maius. Germa. **Geyßklee**/quòd hoc animal maximè eo delectetur, ut sæpe apud Verg. est uidere: Florentem Cytisum sequitur lasciua capella. Et: Florẽtem Cytisum, &

A & salices carpetis amaras. Frutex est, secundum descriptionem Dioscoridis, in totum canus, ut rhamnus, ramis cubitalibus, sæpe maioribus, circa quos folia Fœnigræci, aut Loti trifoliæ, sed minora, dorso in medijs tumente. Odor erucæ si digitis terantur, commanducatis gustus Ciceris recentis. Nascitur quolibet agro, quamuis etiam macro, omnemq; iniuriam sine noxa patitur.

Tragus uerò Cytisum describit ab hoc forma quadantenus diuersum, caule longo, nodoso, ramulis multis, folijs ternis, longis, canis, incisuris leuissimis, sapore trifolij, hyemis & frigoris æstusq; patientem. Hunc ipse **Groß Geyßklee** appellat, à Marco Plateario Flandro sibi missum, ac sylue strem Columellæ Cytisum esse existimat. Duplicem enim facit Cytisum Columella: satiuam & suæ spontis. *Cytisus Tragi.* *Cytisus sylvestris*

TEMPERAMENTVM.

Dioscorides folijs refrigerandi uim tribuit: Paulus uerò Aegineta mediocriter calida esse scribit, sicut maluæ. Ad uiridia fortasse folia Dioscoridis respexit.

VIRES, INTRINSECVS.

Decoctum Cytisi urinam ciet. Lactis copiam nutricibus & pecori efficacissimè generant, arida folia in aqua noctis spacio macerata, & cum modico uino pota: autoribus Plinio & Columella lib. 5. cap. 11.

Omnis generis animantia, uolatilia & quadrupedia, pabulum eius nutrit, & impinguat. Apes plurimum eodem gaudent.

B

EXTRINSECVS.

Folia & semen eius tusa & imposita, omnis generis inflammationes, sicut & Loti, sedant.

## TINCTORIVS FLOS.

FLos tinctorius, quòd ad luteum tingendum colorem hoc infectores utantur, est dictus, sicut Germanis **Ferbblümen/Gilbblümen/Heydenschmuck**. Item **Streichblümen**. Gall. *Herbe à iaunir*, de quibus etiam suprà in Anthemide est dictum. Tragus Ferulam suspicatur esse, quæ Thapsia dicitur. Nascitur locis altis, incultis & aridis, nonnullis etiam pratis, Genistæ non multum dissimilis, ramis herbaceis et scabris, sicut Genista, folijs uerò paulò longioribus latioribusq;, hyssopi penè similitudine, flore luteo, piso simili, semine in siliquis lenticulæ, radice prorsus lignea. Florem fert Iunio & Iulio, ac mox profert semina. Nonnulli **Ackerpfrimmen** appellant, à similitudine quam cum Genista habet. *Ferula Thapsia.*

TEMPE-

Vis ei est calfaciendi & exiccandi in secundo ordine.

VIRES, INTRINSECVS.

Viridis herba cum uino & aqua cocta, pota, hœmoptysi, uomitionibus, & alui fluxibus sedandis prodest. Venenatorum quoq; & serpentū morsibus cōfert. Semen tritum & potum, alui dolores mitigat, & acido ructui præsentissimo est remedio.

EXTRINSECVS.

Tusum semen naribus inditum, sanguinis in ijsdem fluxum nimium cohibet. Farina eius cum oleo mixta sudores illita ciet.

## ACALYPHE.

Vrtica.

1. 2. Brennēd Nessel.

VRtica communis tribuitur appellatio herbis urendi ui præditis: Quia uerò multæ urticarū cognitæ hodie numerantur species, quarum nonnullæ urendi illa natura carent, distinguentes eas, duo statuemus præcipua genera: ac urentibus nomen Acalyphes, Dioscoridem secuti: nō urentibus uerò nomen Galeopsis tribuemus.

Ἀκαλύφη igitur dicta, quòd iniucunda sit tactu, & pruriginem cieat, ὅτι ἀ καλὴν ἔχει ἁφήν. Item κνίδη, à prurigine quam contactu ciet: κνίζειν enim uellicare significat Latinis Vrtica, ab urendo. Gallis, Ortie. Germanis **Nessel**.

Huius quatuor inueniuntur genera: Duo ex his prima non multum dissimilia, ad trium cubitorum, uel plus etiam, altitudinem excrescunt, radice longè & latè in terra sese spargente, colore flauo, ex qua ueris initio, caules quinq; siue sex, aliquando etiam plures uel pauciores quadranguli, asperi & uillosi, folijs serratis seu multipliciter fissis, partim purpureis, partim uerò subnigricantibus, enascuntur. Semen in enatis uillis cauli adnascitur, quod tritū milio non est admodum dissimile, nisi quòd aliquantò est minus. Hæc Germani **Brennend Nessel** appellant.

Tertium genus prioribus est minus, rarò trium spitamarum altitudinem excedens, æstiuo uiget tempore, hyemis impatiens, caule rotundo, radice breuiori, folijs minoribus, semine uerò maiore: ab excidente semine quotannis renascens. Germanis **Eyterneſſel** dicitur, quòd pustulas saniémue urendo excitet.

Quartum est, quod Romanam urticam Dioscorides nominat, à tertio iam descripto genere non multum degenerans, caule bicubitali, rotundo,

tundo,cauo & aſpero: foliſs inciſis & aſperis: flore inter folia partim rubro,partim ſubluteo,circa quẽ rotundi et aſperi prodeũt globuli,qbus ſemẽ,haud diſsimile lini ſemine includitur, guſtu primũ dulce, mox uerò pipere etiam calidius. Dioſc. Romana & Syluestrior urtica dicitur. Ger. **Welſch oder Römiſch Neſſel.** Naſcitur autem Romana non niſi ſata apud nos: reliquę in dumetis paſsim et ſepibus.

TEMPERAMENTVM.

Oẽs urentes urticæ naturæ ſunt ſiccæ, unde reſoluunt,diſsipant ac diſcutiunt œdemata, aliaq; à phlegmate nata uitia,tam in internis, quàm externis corporis partibus.

VIRES, INTRINSECVS.

Folia urticarum uino decocta ac pota,uẽtris duritiem molliunt,inflationes & tormina,niſi obſtructio obſtet,diſcutiunt: urinã cient, lumbos purgãt, ac uenerẽ excitant. Omnia hęc fortius & efficacius præſtat in dulci uino decoctũ ſemen,ſiue etiam mel lita ex ſemine cõfectio. Stillatitius liquor ad eadem, remiſsius quidẽ,ſed gratius,confert. Omnia itẽ uulnera tã intra, q̃ extra corpus,potus ſiue ſuperinfuſus,mundat & purgat. Tuſsi frigidæ & dyſpnœę,radix in uino & melle cocta auxiliatur plurimum: arteriam enim tracheã purgat, pectoris obſtructiones ſoluit,coſtarum hulcera,anginam, ac omnes ex lentis & uiſcoſis humoribus prouenientes morbos ſanat,tribus aut quatuor ueſperi & manè calidis ſumptis & gargarizatis cyathis.

EXTRINSECVS.

Experientia probatũ eſt,ſale tuſa & illita folia rabidi canis morſibus mederi. Pari ratione putridas partes, uelut carcinomata & intertriginẽ purgat. Oĩs item generis tubercula,& ex frigore natos tumores, tam in neruis, q̃ in ſplene & iuxta aures. Probatum eſt urticarum recẽtia folia, præſertim uerò fœtentiũ,quæ circa ſepes & in ſterquilinĩs creſcunt,contuſa & cum ſucco impoſita, phagedænam exiguo tempore perimere. Succus naribus immiſſus,ſanguinem prouocat. Vrticarum uerò morſui oleum roſarum & oliuæ medetur.

## GALEOPSIS.

ABſolutis urticis urentibus,proximũ eſt ut reliquas etiam non urẽtes ordine explicemus,quas Galeopſis appellatione Dioſc. cõprehendit. Sex igitur nõ urentium urticarum Trago ſpecies numerãtur, caule et foliſs urticæ reſpõdentibus,ſed leuioribus. Priores tres ſpecies,flores circa caulẽ partim albos,partim flauos,partim uerò puniceos, à nigro mar rubio nõ diuerſos habent,uerticillato ambitu, in quorum folliculis qua- 1. 2. 3. Galeopſis Dioſcor.

Galeobdolos. Vrtica labeo. Anonium

4. 5.

6. Waldneſſel.

tuór plerunq; triangula forma, lõga, per tranſuerſum C iũcta grana ſeu ſemina cõſpiciuntur. Dioſcoridi Galeopſis, à florum figura, qui hiantibus muſtelæ faucibus ſimiles ſunt: uel quòd flores galeæ aſpectum referant. Itẽ Galeobdolos, Galephos, & Anonium. Plinio Vrtica labeo. Germa. **Bynſaug/Hanenkopff.** Nonnulli putant eandẽ eſſe cum Scrophularia maiore, de qua ſuo loco dicetur.

Duæ reliquæ foliis creſcũt rotundis, teneris, & exiguis, colore cinereo: flore circa caulem flauo, & ſubpallido, partim quoq; puniceo, Galeopſi minore. Latinis Vrtica lamium, Vrtica mortua, Germa. **Todtẽ neſſel/& Taub neſſeln.**

Vltimum & pulcherrimũ præ cæteris genus, in ſyluis & incultis locis conſpicitur, foliis & caule à uulgari urtica nõ degenerans, odoris fortis, ſuauis tamen, qualis eſt Meliſſæ, floribus circa caulem, ſicut & in Galeopſi, acuminatis, ſpicę ſeu Baſilicæ inſtar. Semen in globulis eſt rotundum, nigrum, rapi ſemine minus, Ozimi ſimilitudine. Hanc Tragus Herculeam credit Plinij. Germa. **Waldneſſel** dici poterit.

D

Locus omnium eſt in ſepibus & paſsim circa muros. Florent Iunio potiſsimùm & Iulio.

### TEMPERAMENTVM.

Temperamenti ſunt eiuſdem cum Acalyphe: deſiccant, extenuant adeoq; diſcutiunt, partiumq; ſunt tenuium.

### VIRES.

Vires habet eaſdem cum Acalyphe. Quæ igitur in præcedenti capite de Acalyphes uiribus dicta ſunt, huc etiam ſunt referenda. Potiſsimùm tamen tumoribus & tuberculis pellendis extrinſecus conferunt, unde etiam in deſeſsionibus pro matricis obſtructione ſoluẽda eſt earum uſus, præſertim uerò ſyluestris, quę Heraclea dicitur.

# MARRVBIVM.

MArrubij quatuor sunt genera, tetragonis singula caulibus. Primum Dioscoridi Ballote dicitur. Nascitur locis umbrosis, ut circa domos & sepes: item cœmeteria, reliquis maius, coloris in uiridi nigricantis: acalyphe non dissimile, nisi quòd serrata magis sunt folia. Flores circa caulē sicut in Galeopsi, per interualla nascūtur: quibus decidentibus, semina in folliculis aculeatis bina aut etiam terna, nigra, amara, aquilegię magnitudine inueniuntur. Officinis Marrubium nigrum. Gallicè *Marrochin*. German. **Andorn/ Schwartz Andorn/ groß Andorn.** 1. Ballote.

Huius etiam altera species est, quam hodie Cardiacam uocant, ab effectu, quòd eius palpitioni mirum in modum prosit. Ger. **Hertzgespan/ & Hertzgesperr**. Marrubio nigro non multū est dissimilis. Caule enim nascit quadrangulo, geniculato, nigro, foliis laciniatis nigris, per interualla ex singulis geniculis prodeuntibus, flores per interualla in cādido purpurei, Radix lutea intorta.

Alterum genus est Prasium dictum, frutice assurgens à radice ramoso, hirsutis & amaris, floribus albis & asperis, uerticillorū figura, semine ut in primo est dictum genere proueniēte. Locus eius est circa muros, sepes & locos incultos. Græcis πράσιον, Officinis 2. Prasium.

Prasium, Latinis Marrubium propriè, Germa. **Weiß Andorn/ Marobel/ Gotts vergeß**. Colligitur herba mẽse Iulio potissimùm, dum semine est prægnans. Huius hodie præcipuè est usus.

3. Gallitrichum syluestre.

Tertium ex Ormini seu Gallitrici est specie, ut infrà de Ormino ostendetur, caule plerunq; uno, quadrangulo, nascitur, foliis lanuginosis, albicantibus, in reliquis cum iam enumeratis conueniens: colore uerò puniceo. Semen sicut in Brassica est rotundum. Odoris est grati. Latinis Prasium campestre, & Gallitricum agreste dicitur, Germanis **Feldt Scharlach/ & Feld Andorn.**

4. Marrubium palustre.

Quartum circa amnes, piscinas et fossas prouenit, à primo non multũ alienum: coloris prasij, foliis complicatis, qualia betulæ primùm enascẽtis, floribus circa caulem exiguis & albis, perinde ut in Melissa. Marrubium palustre uulgò, Germa. **Wasser Andorn/ Weiher Andorn.**

TEMPERAMENTVM.

Marrubiũ sicut & urticæ folia calfacit, discutit & exiccat. Albũ nigro & oburires, & ob odoris gratiam præfertur, estq; albi potissimum usus.

VIRES, INTRINSECVS.

Marrubij nigri altera species, quæ Cardiaca dicitur, aduersus cordis palpitationẽ, conuulsionẽ, & resolutionem prodest. Incidit crassos humores, extenuat & discutit, comitialibus prodest, Vrinas ciet, Menstrua ducit.

Folia albi Marrubij in aqua seu uino decocta, cum melle asthmaticis, tussientibus, & tabidis dantur. Iecoris ac lienis obstructiones decoctum idem soluit, thoracem & pulmonem purgat. Menstrua & secundas, iride præsertim adiecta, pellit. Succus ex foliis expressus ad eadem est utilis, trium cochlearium quantitate singulis sumptus uicibus.

Prodest

A Prodest etiã succus his qui letale quid biberunt, aut à serpentibus mor si sunt: Claritatem oculorum efficit: Vermes aurium & uentris interimit.

EXTRINSECVS.

Mulieribus albo fluxu, dolore dorsi, laterum, & pedum laborãtibus, arida Marrubij folia in balneis plurimum conducũt. Aqua stillatitia cõtra omnis generis scabiem, ut psoram, uitiliginem, papulas, aliaq; cutis uitia ualet: balneis igitur infantum adhiberi debet. Marrubium nigrum in lixiuio coctum, scabiei capitis medetur. Puluis eius mariscas sanat.

SIRVPVS DE PRASSIO.

Sirupus de Prasio uitijs pulmonis diuturnis, & à frigido tenaciq; humore excitatis, atq; curatu difficilibus succurrit. Senibus itaq; & asthmaticis plurimum conducit. Confectionem eius docet Mesue.

## MELISSOPHYLLON.

MElissophyllon, quòd Melissæ, hoc est, apes eius floribus & folijs delectentur. Item Meliphyllon, id est, mellis folium, quòd mellis materiam apes hinc exugãt. Latinis Apiastrum, quòd uidelicet apes in ea plurimùm hæreant, adeò ut si aluearia ea confricentur, apes non fugiant. Item Citrago, à citri mali odore. Melittæum & Melittæna ab apibus,

*Melissophyllon.* *Meliphyllon.* *Apiastrũ* *Citrago.* *Melittæũ* *Melittæna.*

B Germanis **Melissen/Melissenkraut/Honigblům/Imenblat.**

Duo sunt eius genera: alterum adulterinum seu hortense, alterum uerum seu syluestre. Hortense nascitur radice in terram multipliciter intexta, ex qua coliculi multi fruticant, cubiti altitudine: folijs & caulibus Balloti, hoc est, nigro marrubio similibus, maioribus tamen & tenuioribus, nec ita hirsutis: flore per interualla circa caulem, in nonnullis puniceo, in nonnullis uerò subflauo. Semen in uerticillis floribus succrescit, semine Aquilegiæ minus. Fœdus eius, qualis cimicum, est odor, qui tamen paulatim fit gratior. Vnde pro adulterino hoc ipsum Melissophyllo accipitur, cùm apes istud potius fugiãt quàm eo delectentur. Hinc Germanis **Wantzenkraut** dicitur, quòd cimices olere uidetur, qua herba perperam pro Melissophyllo utuntur Officinæ.

*Wantzẽ kraut.*

Syluestre, quod uerum est Melisso-

phyllon, hortensi est simile, sed maiora & serrata magis habet folia, Acalyphes foliis forma, Ballotes uerò foliis fissuris seu intersectionibus respõdens: odore mali citri. Hoc propriè Melissophyllon & Meliphyllõ dicitur. Latinis Apiastrum, Citrago, Melittæum. Germ. **Melissen/Honigblüm**/ut initio huius capitis ostensum est.

TEMPERAMENTVM.

Calfacit, & exiccat, digerit, sanat & agglutinat.

VIRES, INTRINSECVS.

Vino coctum per dies aliquot potum, pectus purgat, dyspnœam tollit, cor confortat, melancholiam pellit, comitialibus & omnibus penè internis corporis affectionibus auxiliatur. Clysteribus itaq; commodè additur. Minutim scissum, & in uino bono noctem unam imbutum, inq; alembico uitreo distillatum Melissophyllon, efficacius omnia præstat. Matricis strangulationes, & tormina, cardiacamq; affectionem, quatuor cochlearium sumptũ mensura, curat. Spiritus ex malis cibis exurgentes reprimit. Tonsillas & Dgangrænam sanat, oculorum claritatem adiuuat.

EXTRINSECVS.

Cum Chamæmeli floribus in sacculo lineo in aqua seu uino coctum ac expressum, matricis dolores & strangulationes, impositum sedat, inq; suum locum restituit. In desessionibus menses ciet.

Lumborum membrorumq; dolores compescit. Strumis cum sale decoctum illinitur. Stillatitius liquor omnia cutis uitia, araneorum, scorpionum ac rabidorum canum morsus sanat.

Vino turbulento infusus, pristinum nitorem, & formam restituit.

Carnibus aspersus, à muscis & putrefactionibus aliquandiu custodit.

## CALAMINTHA.

*Calamintha.* CAlamintha dicta, quasi καλὴ, id est, Bona mentha. Officinis Calamẽthum. Dioscorides tria facit eius genera: Montanam, agrestem, & fruticosam.

*1. Calamintha montana.* Primum in montibus potissimùm nascitur: folia habet Ozimo similia, subalba, ramulos angulosos, florem purpureum. Latinis Calamintha montana. Germa. **Katzen oder Steynmünz**/ quòd feles ea potissimùm gaudeant.

Alterum

B

Alterum in campestribus & agris nascitur, quod Latini propriè Nepetam uocant, Pulegio simile, maius tamen. Vulgò Pulegium syluestre, quòd Pulegio sit simile, ac odorem etiam eius referat. Germa. **Wilder Poley** & **Kornmünz**. Hoc solo genere utuntur Officinæ. Tragus **Wilder Salbey** appellat. Calamintham domesticam appellat Mesue.

2. Nepeta. Pulegium syluestre.

Calamintha domestica.

3.

Tertium locis nascitur aquosis, Mentastri similitudine, foliis longioribus, caule & ramis prædictis maius, sed minus efficax, flore luteo. German. **geel Münz**.

4.

Quartum addit Tragus ex syluestris Mentæ similiter genere, foliis Origani, sed minoribus, coloris leucophæi, floribus circa caulem rubris, gustu ardente & amaro.

Et hæc postrema duo genera, ex Mentastri C
seu Mẽthæ syluestris sunt speciebus,

TEMPERAMENTVM.

Calamintha essentiæ est tenui & calida, siccaq; in ordine quodammodo tertio: Gusta enim est acris, & palàm calida, ac paulum omnino amaritudinis obtinet.

VIRES, INTRINSECVS.

Succus Calaminthæ uino potus, lumbricos & uenena expellit: sudores prouocat, iecoris & splenis obstructiones aperit, frigidos renes calfacit, matricis dolores sistit, menses ciet. Potissimùm uerò hoc præstant folia uino decocta ac pota. Pectus idem potus purgat, urinam ciet, enterocelen sanat, choleræ abundantiam adimit. Ventriculum cõfortat. Tertianam febrim, purgato priùs uentriculo, pellit.

EXTRINSECVS.

Vinum cum Calamintha decoctum, siue eiusdem succus, maculas nigras demit, uermes aurium perimit. In desessionibus & desudationibus menses ciet, matri- D
cis dolorem, sicut menta, mitigat. Suffitus eius serpentes & omnia uenenata abigit.

## SIRVPVS DE CALAMINTHA.

Sirupus de Calamintha confert lienosis, quibus durus est lien, & penè irresolubilis, & his qui frigida uiscera habent, & asthmate laborant, præsertim in senibus & in habẽtibus antiquas tusses. Si quis enim uel pectus uel uentriculum, uel intestina crassa, tenaci, & irresolubili materia plena habuerit, hoc Sirupo utatur. Compositio hæc est: Recipe Calaminthæ domesticæ & syluestris ana ʒij. Seminis ligustici, dauci, Schœnanti, ana ʒ.v. passularum enucleatarum lib. s. Mellis lib. ij. Aquæ quantum sufficit, & coquantur. Mel autem debet esse optimum & aromaticum, sicut in omnibus Sirupis. Proinde poterit etiam cum saccharo fieri, cùm pauci optimum mel habeant.

## MENTA.

*Menta. Hedyosmus.*

MEnta dicta, quòd odore suo mẽtem excitet. Græcis ἡδύοσμος, id est, suauiter olens, quòd gratum odorem spiret, German. **Münz.** Duo sunt huius præcipua genera: Satiuum & syluestre.

*Satiua mẽta, prima, rubea.*

Satiuæ mentæ quatuor numerantur species: Rubea, crispa, & acuminata, & quam **Hertzkraut**/& **Balsamkraut** uocant. Rubea caulẽ habet

A Balsam münz.

Spitzer Balsam.

Feldmünz.

bet quadrangulum, à radice lentè puni cantem, & lanugine pubescentem, folium ferè rotundum, molle, serratum & odoratum: floscul is purpureis interno dia geniculatim coronantibus, uerticillato semper ambitu. Dioscо. Sisymbrium, Germ. **Deyment** / uel **krauß Deyment.** Floret, hæc & omnes reliquæ, mense Iulio.

Crispa oīum aliarū est nobilissima, priori per omnia similis, præterquā q̄ flore subpurpureo circa cauliculorū fastigia spicatur. Ger. **krauß Balsam.**

Acuminata folio est lōgiore, & acutiore, floscul is purpureis cauliculorum ¢acumi-

2. Satiua secunda, crispa.

3. Satiua tertia, acuminata.

cacuminibus ſpicatim inſidentibus. Hodie Sarracenica ſeu Romana Mẽta, Germ. **Vnſer frawen Müntz/Spitzmüntz.**

4. *Satiua quarta.* Quarta eſt quam uocant **Hertzkraut/ & Balſamkraut/** in hortis ſata, uel ex ramulis ſuis plantata naſcens, foliis quàm reliquæ longioribus, floribus purpureis circa genicula, uelut in prima ſpecie: Proueniunt hæ ſatiuæ Menthæ ſpecies in hortis paſsim, locis apricis, nõ pinguibus, ſed humidis.

*Mentaſtrum Syluestris* Syluestris Menta Dioſcoridi Mentaſtrum dicitur, German. **Pferds müntz/Roßmüntz/Wilder Balſam/oder Wilde Müntz.** Folio, ut Dioſcorides deſcribit, naſcitur hirſutiore & maiore quàm Siſymbrij, odore grauiore, ob quem minus ad ſanorum uſus expetitur. Flores in caulis ſummitate conſpiciuntur ſpicati. Locis gaudet potiſsimùm uliginoſis & irriguis.

Syluestri Mentæ aliqui poſtremas duas Calaminthæ ſpecies ob ſimilitudinem adnumerant, quod pro ſuo cuiq; arbitrio, cùm non magni referat, poterit eſſe liberum.

Et hoc etiam poſtremò iam uidetur monendus lector, ueteres promiſcuè Calamintham & Mentham tractaſſe.

## TEMPERAMENTVM.

Omnes Mentæ ſpecies calidæ ſunt ordine tertio: Sunt enim guſtu acres, & facultate calida. Hortenſis ſyluestri eſt infirmior, & minus calfacit: exiccat in ordine ſecundo. Criſpæ reliquis præſtant. D

## VIRES, INTRINSECVS.

Succus Hedyoſmi cum aceto, ſanguinis excreationes, & uẽtriculi nauſeam reprimit, lumbricos rotundos enecat. Folia & ſtillatitia eius aqua plurimum conferunt dyſpepſiæ: ſingultus, uomitiones, choleramq; ſedant: efficacius autem hoc præſtant de eodem confecta condimenta. Venerem concitat, membra confortat. Odor cerebrum & memoriam corroborat.

## EXTRINSECVS.

Succus ſiue ſtillatitia aqua frontis dolorem illita mitigat: mammas quæ tenduntur aut lacte turgent eodem modo compeſcit. Aurium doloribus inſtillatus ſubuenit. Folia ſale trita rabidorum canũ morſibus medentur. Arida folia cõtuſa ac cum Satureia temperata, cordi ſuperimpoſita, ſeu illita, ſingultus ſeu ructationes reprimunt. Omnes in ſumma Hedyoſmi ſpecies naturam habent reprimendi, calfaciendi, & reſoluendi, unde deſeſsionibus & clyſteribus adhibentur. Immerſa lacti folia coagulari aut coire id ipſum non ſinunt.

## OLEVM MENTHAE.

Oleum Menthæ uentriculum refrigeratum & imbecillum calfacit, et firmat, Nauſeam uomitumq; reprimit, appetitum excitat, cõcoctionem iuuat. Fit autem ex Mentha criſpa ſatiua, & oleo Omphacino, id eſt, immaturo,

A maturo, eodem modo quo Rutaceum, de quo infrà.

## SIRVPVS DE MENTHA.

Sirupus de Mentha conficitur, Maior & minor. Vterq; uentriculum frigidum roborat, Nauseã, uomitum, singultum & fluorem alui sedat. Maioris confectio hæc traditur: Recipe succi Cytoniorum muzorum, hoc est, in uini saporem acescentium, Cytoniorum dulcium, Granatorũ muzorum ana lib. j. s. In succis his per horas 24. macerentur hæc sequẽtia. Mentæ siccæ lib. j. s. Rosarum rubearum ʒ. ij. Coquãtur paulatim ad medietatem, hinc colentur, & adde mellis siue sacchari lib. ij. Coquantur perfectè, & cum Gallia moschata uera trita condiantur, & in sindone ligata, atq; ex orificio uasis suspensa reponantur. Si cum melle conficias, sumendum erit mel odoratum aromaticum, quale est quod uirgineũ mel appellant, quod è Dantisco aduehitur.

Minoris confectio hæc datur: Recipe succi Menthæ depurati lib. j. succi granatorum dulcium & acetosorum ad medietatem coctorum, sacchari uel mellis ana lib. j. Coquantur sensim secundum artem.

## SISYMBRIVM.

POstulat ordo ut de Sisymbrio fiat sermo, quoniã & hoc ad Mentã accedit. Huius duo facit genera Dioscor.

B

Alterum hortense, Mentæ simile, caule quadrato, quadantenus purpurascente, foliis Menthæ, serratis, latioribus & odoratioribus: floribus internodia geniculatim coronãtibus, uerticillato semper ambitu. Græcis Sisymbrion, Vulgò Menta aquatica. Ger. **Fischmüntz/ Wassermüntz/ Bachmüntz/ rot Bachmüntz.** Tragus Mentham rubeam appellat. Circa stagna & piscinas potissimùm nascitur.

1. *Sisymbrium.*

*Mentha aquatica.*

*Mentha rubea.*

Alterum cognomento Cardamine, quòd Cardamũ, hoc est, Nasturtium hortense imitetur, dictum est, quod nusq; nõ in locis aquosis prouenit, caule cauo, sesquipedali, ima sui parte pluribus radicularum fibris capillato, è cuius alarum cauo cirri frequentes sinuatim erumpunt, flore candido, semine erucæ instar in siliquis acri & exiguo. Officinis Nasturtium aquaticum, German. **Brunnkressen/ Wasserkressen/** quòd

2. *Sisymbrium cardamine.*

*Nasturtiũ aquaticũ.*

quod nasturtium imitetur. Vide caput de Nasturtio. Floret utrunq; æsta C
te, quo tempore Mentha.

TEMPERAMENTVM.

Sisymbrium primum calidum est & siccum ordine tertio. Alterũ aridum si fuerit, similiter est calidum & siccum ordine tertio: Viride uerò est in secundo.

VIRES, INTRINSECVS.

Primi semen ad strangurias & calculos potum prodest cum uino. Tormina & singultus sedat. Vomitiones item potum sistit. Sisymbrium alterum urinam cit, ac eadem ferè potest, quæ prius. Non edendum grauidis nisi mortuo conceptu: siquidem etiam impositum eijcit.

EXTRINSECVS.

Folia Sisymbrij primi fronti & temporibus illita, capitis dolorem sedant: ualent etiam aduersus uesparum & apum ictus. Alterum lentigines & cutis à sole nigredinem asperitatemq; exterit, tota nocte illitum, ac manè cute eodem abluta. Vtrunq; aduersus aculeata animalia, uelut crabrones, idq; genus alia, est efficax. Epinyctidas & cutis uitia in mulierum facie intra quartum diem, noctu impositum, ac interdiu detractũ, sanat. Infusum capiti cum aceto, dormientes excitat.

## GLECHON, SEV PVLEGIVM.

Blechon.

Pulegium unde. Pulicaris.

Glechon. Apoleium Abuolum.

GLechon, quod uocant Pulegium, cum tertia Ca D
laminthæ & quarta Hedyosmi specie conuenit, singulari natura adeoq; uiribus præditum: somnolẽtiam enim pellit, ac oues, si depastum ab ipsis fuerit, balare: unde etiam βλήχωρ, à βλήχω, id est, balo, dicitur: facit. De hoc lib. 18. cap. 25. Miretur, inquit Plinius, qui non meminerit, ipso brumali die pulegium in carnarijs florere: adeò nihil occultum natura uoluit.

Dictum est Pulegium, quòd flos eius recens accensus pulices interficiat, Vnde herba etiã Pulicaris, quẽadmodum etiam Conyza & Psyllium, appellatur.

Dioscor. Glechon, & Blechon nominatur. Item Arsenicanthon. Nonnullis Apoleium & Abuolum: Apuleius Poludon, Heniton, πάντα ἀγαθόν, hoc est, ad omnia bonum, appellat. Germa. **Poley.**

Duo sunt eius genera: Hortense seu mas, & syluestre seu fœmina, quæ flore tantùm differunt: qui in mare est candidus, in fœmina purpureus.

1. Pulegium hortense.

Hortense seu mas herba est fruticosa, per terram serpentarię instar serpens, spitamam, idq; iam florens, non excedens. Flos cauli sicut in Ozymo purpureus, partim albicans, partim uerò rubicundus, nascitur. Gaudet locis humidis & cultis. De syluestri Pulegio in secunda specie Calaminthæ

A minthæ est actum, eam enim syluestre Pulegium Dioscorides appellat. Dictamnum quoq; ob foliorum cum Pulegio similitudinẽ, à nonnullis syluestre uocari Pulegium, idem est autor.

## TEMPERAMENTVM.

Naturæ est acris & calidæ, quæ causa est cursomnum pellat. Lentos & uiscosos pectoris humores extenuat & disgregat: concoctionem adiuuat.

## VIRES, INTRINSECVS.

Decoctum eius cum forti albo uino, matutino, ac uespertino haustũ tempore, menses ciet, fœtus & secundam pellit. Nec adhiberi debent hęc uel similis decoctio, nisi postulante necessitate, ut cùm mensium difficultas quædam fuerit, aut albo fluxu fœminæ infestentur. Decoctum cum aceto & melle Pulegium, sanguinis fluxus, singultus & uomitus reprimit. Atræ bili educendæ maximè confert decoctum cum melle & aloë, idemq; pulmonis humores phlegmaticos consumit. Ventris, intestinorum & matricis doloribus fert opem: serpentium uenena expellit: anginam per gargarismum discutit: oris hulcera sanat, si os eo colluatur. Succus & stillatitia huius aqua serenitatem oculis inducunt, pruritum cõpescunt.

## EXTRINSECVS.

Podagricis membris usq; dum rubescat cutis, impositum pulegiũ auB xiliatur. Capitis dolori eadem ratione est auxilio. Epilepticis, comitialibus, & lethargicis contusum cum aceto, naribus admotum, uel ori nonnunquam insertum prodest: mentem & rationem reuocat. Adustis mẽbris cum polenta illitum refrigerium adfert. Sale & aceto tusum ac calefactum conuulsionibus prodest. Ad serpentum & scorpionum, araneorumq; ictus dicto modo est efficax.

# DICTAMNVM.

Dictamnum, Plinio, Dioscoride, & Apuleio cõsentientibus, ex Pulegij genere. Vnde Dioscor. Pulegium quoq; syluestre quibusdam appellari lib. 3. tradit. A nonnullis Beloacum, Belotoce, à uiribus quibus in extrahendis telis pollet, Artemidesium, Herba Cretica, Ephemerõ, Albunion, Vstilago rustica, Embactrum, Betion dicitur. Germ. Dictam/ Diptam. Duum est generum: Alterum uerum, seu satiuum, quod simpliciter Dictamnus appellatur: alterum uerò syluestre, quod Pseudodictamnum uocat Dioscorides. Nascitur uera Dictamnus in Creta, foliis ferè Pulegij, sed maioribus, & rotundis, tomento seu lanugine quadam utrinq; folia uestiente: caule rotundo & duro, absq; flore & semine, ut Dioscorides scribit, odore & sapore grato, cum modica amaritudine. Hæc uera Dictamnus in Germania nequaq; prouenit, sed ex Creta Venetias, hinc ad alia Germaniæ emporia magna copia iam affertur, Primùm in Germaniam Georgio Agricola eam asportãte. Sed Dictamnus

*Pulegium syluestre.*
*Beloacum Belotoce.*

Cretensis.



Officinarum.

Officinarum Dictamnus non est uera Dictamnus, sed Pæonia mascula.

Officinarum, & quæ uulgò C oſtēditur, longè admodum à Dictāno uera, eiusq; deſcriptione abeſt. Dictamnus enim Officinarū radice eſt alba, leui, cubitali, digiti craſſitudine, friabili, rara, qualis eſt marathri: caules fert cubitales, rotūdos, aſperos, puniceos, hirſutos, foliis glabris & copioſis, qualia Fraxini. Glycyrrhizę non multum eſt diſsimilis frutex, niſi quòd latiora ſunt folia, ſingulaq; æquidiſtant: florem inſummitate fert purpureum, & albū, maculoſumq;, maluę agreſtis ſimilitudine, admodum odoratum: Semē in folliculis interſtitijs diuiſis quaternis quiniſue, eſt atrum, acuminatum. Hæc D Pęonię maſculę Tragus ca. 206. parte prima attribuit, cenſetq; Dictamnum Officinarū eſſe Pæoniam maſculam. Quòd uerò hæc deſcriptio lōgiſsimè à uera Dictamno abſit, ex utriuſq; collatione ſatis apparet. Principiò foliorū forma admodum eſt diuerſa, in altera Pulegij, in altera uerò Fraxini, in altera lanuginoſa, in altera uerò glabra. Ad hæc Cretēſis ſeu uera Dictānus foliis tātum ad medicinā adhibet: Radix enim eſt lignoſa & inutilis: Officinarū uerò Dictānus radice tantū eſt in uſu. Nec obſtat, quòd Dioſcorides caule & foliis Dictamnū priuat: Tēporis em̄ & loci natura ſæpe alterationē facit, ut in multis plātis eſt uidere, quę alio loco & tēpore, flores, ſemina & caules ferūt, alio minimè. Meminit quoq; Dictāni Cretēſis Virg. 12. Aen. florē illi attribuēs, cùm inq:

*Hic Venus indigno nati concuſſa dolore,*
*Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida,*
*Puberibus caulem foliis & flore comantem*
*Purpureo: Non illa feris incognita capris*
*Gramina, cùm tergo uolucres hæſere ſagittæ.*

2. Syluestris Dictamnus Dioſcoridi Pſeudodictamnus appellatur. Na-
Syluestris Dictamus. Pseudodictamnus. ſcitur locis humidis, priore caule & foliis maior, ſed uiribus inferior.

TEMPERAMENTVM.

Temperamenti cum Pulegio eſt eiuſdē, eaſdem cum eo uires, ſed efficaciores, obtinet.

VIRES,

VIRES, INTRINSECVS.

Menstrua, qua ratione Pulegium, ciet, secūdinam pellit, & mortuos fœtus eiicit. Idem suffimentum Dictamni præstat. Succus aut decoctum eius in uino uenenis resistit, morsus uenenatorum sanat: tanta siquidem herbę huius uis est, ut odorem eius uenenata prorsus fugiant & uitent. Præsentissimum in summa est amuletum.

EXTRINSECVS.

Infixas sagittas superimpositam hanc herbam, excutere in homine, nec in homine solùm, sed ab animantibus quoq; pastam idem præstare, ferunt: ac Dioscorides: in Creta, inquit, capras sagittis percussas, esu huius herbæ eas excutere aiunt.

Lienosis per emplastrum prodest. Vulneribus ferro factis, & uenenatis morsibus infusus succus, præsentissimum est remedium.

## OZIMVM GARIOPHYLLATVM.

B

C OZimum Græcis & Latinis, Basilicum itē & Ocymum Gariophyllatum. Ocymum aūt ab nascendi celeritate dictum, quòd satum ter
Ocymum tio statim die emicat, ab ὠκύ, id est, uelox, celer: quod tamen uerius Ocymo, quod pabuli quoddā genus est, uidetur conuenire, de quo infrà inter
Ozimon. fruges. Vel Ozimon ab ὄζω, id est, redoleo, quòd suauissimum spiret odorem: sic per z, scribitur. Basilicum, hoc est, regium ab odoris præstantia, quòd regia domo sit dignum, appellatur. Gall. *Baselic*. Germ. **Basilien/**
Basilicum Basilien **klein/groß/vnd mittel.**

Tragus tria facit Ozimi genera: Satiua duo, syluestre unum. Satiua
1. ex semine quotānis in hortis mense Maio nascuntur. Præfertur reliquis
Satiuum primum, minus. Ozimum minus, ob odoris & formæ gratiam, surculosum, ramulis rotundis, foliis Amaraci, sed paulò maioribus, odore gratissimo. Hoc ipsum Acino-Dioscoridis lib. 3. per omnia est simile. Vnde nō temerè eru-
Acinos. ditis Acinos Dioscoridis creditur esse Ozimum minus.

2. Alterum genus foliis & caule est maioribus, folio Parietarię minoris
Satiuum maius. seu Mercurialis, flore in nonnullis candido, in nonnullis uerò purpureo circa caulem per interualla, sicut in Galeopsi. Ac prima hæc duo genera
Ozimum Gariophyllatū. Herbam regiam, Basilicam & Ozimum Gariophyllatum appellant. Quod uerò Dioscorides dicit uulgarem esse herbam Ozimum, intelligēdum est de pabuli genere: siquidem nostrum hoc Ozimum maxima cura indiget, frigoris ac pruinæ impatiens.

D Tertiū genus spōte ex radice tenui in terra sese latè spargēte, quotānis enascit, nec facilè semel plantatum supprimitur: foliis, odore & forma Mentham propemodū referentibus, caule aspero, uillo so, tetragono, flore circa caulem purpureo, Ozimi floribus simili, semen in siliquis, Hyoscyamo similibus, nigrū cōtinetur. Atq; in hoc tertio genere diuersum se à uerbis Plinij, qui lib. 19. cap. 10. in Serpyllū Ozimum mutari scribit, se comperisse Tragus affirmat: Autūnali enim tēpore in ualle humida plātatum Ozimū, in Nepetam seu Pulegiū syluestre tertio anno mutatum se inuenisse. Non repugnat tamen, quòd locis siccioribus plantatum, in Serpyllum idem transmutari queat. Velut Theophrastus lib. 5. de Plantarum causis, est etiam autor. Syluestre hoc Dioscor. Ocimoides & Ocimastrum uocat, per omnia cum eius descriptione conueniens.

TEMPE-

A

TEMPERAMENTVM.

Ozima Gariophyllata ſunt complexionis calidæ. Viribus prædita re ſoluẽdi & diſcutiendi humores pulmonis & matricis uiſcoſos, ac phlegmaticos.

VIRES, INTRINSECVS.

In cibis arefactum ſicut Amaracus & Roſmarinus admiſcetur. Vino impoſitum recenti, odorem & guſtum præbet gratiſsimum. Decoctum cum uino dyſpnœam tollit, tuſsi medetur, urinam prouocat, mẽſes ciet. Semen uino per diei unius ſpacium iniectum, in album ſuccum ſeu gũmi alteratur, quod illitum, inflãmationi linguæ, labiorum rimis, & uerrucis pectoris maximum fert auxilium. Semen ac ſtillatitia aqua pota cor confortat, ſyncopen propellit.

EXTRINSECVS.

Folia recentia fronti circumligata, uel ſtillatitia aqua illita, contra cẽphalalgiam ualet. In deſeſsionibus iiſdem quibus Pulegium & Mentha pollet uiribus. Aqua ſtillatitia refrigerandi uim habet: illinitur ergo inflãmationi oculorum, capitis, tumoribus pectoris, aliorumq; locorum. Syluestri ſunt pares cum Hedyoſmo uires. Semen, Dioſcoride teſte, in uino potum, uiperarum & aliarum ſerpentium morſibus medetur.

## AMARACVS, SAMPSVCHVM.

B

Σαμψυχον ἢ ἀμάρακον Græcis, Latinis Maiorana, Amaracus. German. C

## Maioran/Meyron.

Maiorana. Amaracus.

Duo sunt huius genera, quibus idem nomen tribuitur. Præstat ex his quod minus est, surculosum, foliis teneris & rotundis, maximeq; odoratis, coloris cinerei, uirentis, flosculis exiguis & albicantibus, qui cum capitulis, quibus continentur semina, decerpuntur: facilè enim relicto semine arescit. Circa hyemem transplantatur, ac locis calidioribus aduersus frigoris molestiam custoditur. Huic generi præter enumerata nomina tribuuntur etiam alia, uelut, trifolium agethides, onecium, acapnos, genitura isidis, myuron, sacerdotis asinus.

Amaraci uaria nomina.

2. Alterũ genus est syluestre, quod illæsum in hortis hyeme relinquitur, odoris penè cum priore eiusdem: sed foliis, surculis, capitulis ac flore latioribus, longioribus, densioribus, ac maioribus. Puellis nota est herba, quarum sertis utplurimùm intexitur.

### TEMPERAMENTVM.

Vtraq; Amaraci species naturæ est calidæ & siccæ.

### VIRES. INTRINSECVS.

Hydropem metuentibus, & stranguria laborantibus, quosq; tormina infestant, decoctum foliorum in uino albo est utile, menses item ciet. Succus seu aqua naribus instillata, cerebrum confortat, sternutationem prouocat, lethargicos excitat. Liquor stillatitius linguę illitus, uocem restituit: Cerebrum & memoriam exhilarat & corroborat mirabiliter, trium quatuõrue cochlearium mensura sumptus. In cibis etiam usus Amaraci est nobilis. D

### EXTRINSECVS.

Arida folia aduersus oculorum inflammationes cum polline polentę illinuntur. Puluis cum Zinzibere naribus immissus, sternutamenta ciet, catarrhum discutit. Folia sugillatis cum melle prosunt. Impositum ex ijsdem cataplasma, stomachi dolorem sedat, luxata membra restituit.

Arida cum melle in pesso subdita folia, menses ducunt. Succus coagulatum sanguinem discutit, sugillata tollit, splenis tumorem reprimit.

## OLEVM SAMPSVCHINVM.

Oleum Sampsuchinum lassitudini est utile, & morbis cerebri & neruorum prodest. In balneo igitur inunctum paralysin iuuat, et spasmum, cynicum uulgò, torturam oris, naribus iniectum: & auribus immissum, à flatu tinnitum dissipat, menses ciet, ac morsui scorpionis prodest. Conficitur autem hoc modo: Recipe foliorum Sampsuchi M. iiij. Serpylli M. ij. foliorum Myrthi, M. i. Abrotoni, Sisymbrij ana M. s. Cassiæ ligneę uncias ʒ ij. Olei Omphacini quantum sufficit, Concisis & cõtusis omnibus, in uitrum injice, & oleum ut suprà species emineat infunde. Obstructo dein uasis orificio ad solem uel in æstuario diebus octo macera, hinc oleum exprime, & recentibus speciebus secundo & tertio infundito.

ORIGA-

# ORIGANVM.

DE Origani nomenclaturis, adeoq; historia, maxima inter autores est cõtrouersia. Theophrastus duo eius statuit genera: Nigrum & candidum. Nigrum nullo semine, Cãdidũ uerò perexiguo. Dioscorides & Plin. quatuor recensent, foliis partim Serpyllo, partim uerò Hyssopo respondentibus: Est enim Heracleoticum, ab Heraclea Ponti cognominatum. Onitis, quasi asininum, quòd ab asinis impetatur. Tragoriganũ, quasi hircinum Origanum, quòd animal istud potissimùm eius uoluptate capiatur: & syluestre.

Heracleoticum folium habere, scribit Dioscor. hyssopo non dissimile: umbella non in orbem se colligit, nec in rotæ speciem radiatur, sed multipartitò diuisa frondet. Semen in cacuminibus uirgarum non densum, nec durum. Alijs Cunila dicitur, Plinio Gallinacea cunila. Hoc Ruellius existimat esse eam quæ uulgò de- generis Maioranæ cognomento in hortis seritur, quæ forma foliorum & capitulorum Maioranam imitatur, frutice hyssopi, foliis eidem uel Serpyllo syluestri proximis, minoribus tantùm, umbraculis non in orbem coactis, sed diuisis, florum plenis. 1. Heracleoticum. Cunila.

Onitis eadem est, candidiore tantùm folio, hyssopoq; cõsimiliore, fructu confertis corymbis compacto. 2. Onitis.

Tragoriganum fruticulus est Dioscoridi, Serpyllo syluestri, uel Origano similis, tam ramo, quàm foliis: sed quibusdam in locis soli conditio nelætius, & habitius inuenitur, latiore folio, glutinosum: alterum mati lentius, foliis exilioribus, molliusculis, quod aliqui Prasion uocare maluerunt. Optimum Cilicium, Choum, Cretense, Chium & Smyrneum. 3. Tragoriganum cũ suis speciebus.

Syluestre origanum, foliis est origani, prætenuibus uirgulis, digitorũ quatuor altitudine, umbellis anethi, flore candido, radice tenui, superuacua. Hanc Dioscorides Panax Heracleum & Cunilam, quibusdam dici meminit, Plinius Bubulam cunilam locis aliquibus uocat. 4. Syluestre Origanũ. Cunila bubula.

Hodie omnibus illis ſpeciebus caremus, ſola excepta Sylueſtri origano, quæ copioſè in noſtris montibus gignitur, quaq; Officinæ utuntur. C

Tragus tres eius in flore facit differentias. Primum floribus purpureis, alterum in puniceo rubentibus, tertium candidis.

Origanus. Origanus autem ἀπὸ τοῦ ὄρους nomen habet, & χαρᾶς, id eſt, gaudio, quòd montibus gaudeat. Herodianus ab ὀρέγω, & γανῶ, id eſt, clarifico deducit, quòd uiſum acuat. Theodorus ab ῥιγῶ, id eſt, algeo, per proſtheſin literæ o, deriuat, quaſi rigens per antiphraſin, quòd minimè refrigeret. Germa. **Doſten/Wolgemůt/braun Doſten/& Bergmůntz.**

Locis gaudet maximè montanis & dumoſis, ſoliq; expoſitis, ac in hortis etiam iuxta ſepes naſcitur. Menſe floret Iulio.

TEMPERAMENTVM.

Calfaciunt & exiccant omnes Origani ſpecies, in tertio ordine.

VIRES, INTRINSECVS.

Heracleoticum decoctum cum uino, potum, uenenatorum morſibus prodeſt: cum paſſo autem iis qui cicutam aut meconium: cum Oxymelite autem iis qui gypſum aut ephemerum hauſerunt. Ruptis, conuulſis, hydropicis cum fico manditur. Aridum acetabuli mẽſura cum aqua mulſa potum, atram bilem per inferna detrahit, menſes ciet. Linctum ex melle tuſſes emendat. Medicamentum ciendis uomitionibus commodiſſimum ex origano fit, additis cepis, & ſemine fruticis, quod ad obſonia expetitur, rhus dictum, omnibus in ære Cyprio per tricenos dies inſolatis, ab ortu canis, cùm ſyderis æſtu tempus ſtagrat. D

Onitis eaſdem quas Heracleoticum præſtat uires, ſed nonnihil infirmiores. Sylueſtre Origanum priuatim foliis & floribus cum uino potis, uenenatorum morſibus auxiliatur. Tragorigani genera omnia calfaciunt, urinam cient, bonam faciunt aluum, ſi decoctum eius bibatur. Lienoſis cum aceto pota proſunt: cum uino his qui Ixiam hauſerunt. Tuſsientibus, peripneumonicis, ex melle in eclegmate dantur. Datur eiuſdẽ potio cibum faſtidientibus, & ſtomacho malè affectis, & acida ructantibus: iis item quibus à maris iactatione nauſea & hypochondriorum calor excitatur.

EXTRINSECVS.

Succus Origani uirẽtis, tonſillis, columellæ, oris hulceribus medetur. Per nares cum oleo infuſus caput euacuat. Cum lacte aurium doloribus infunditur. Obdormituris in metu ſerpentium herba ſubſternitur: fugat enim eas. Cum polenta illitum tumores diſcutit. Scabiem, pruriginem et pſoram in deſeſsione balnearum ſanat. Illinitur ſuggillatis, item dentium dolori, quibus etiam candorem facit, cum melle & nitro. Laſsi perunguntur ex eo, ita ut uenter attingatur. Epinyctidas cum pice ſanat. Furunculos cum pice tritũ, aperit: ſtrumas cum oleo, aceto, & farina hordeacea: lateris dolores cum fico illitum. Fluxiones ſanguinis tuſum, in genitalibus, ex aceto litum: reliquias purgationum à partu.

Hieronymus

A Hieronymus Tragus existimat Dioscoridis Origanũ pro Hyssopo, ac rursus pro Origano Hyssopum eiusdem sumendam.

## SERPYLLVM.

SErpyllum Latinis à serpendo, Græcis ἕρπυλλον, eodem etymo. Gal. *Serpolet*, *Poliot*. Germanis **Quendel/Kienlin/Hünerköl/Hünerserb.**

Duo faciunt eius genera Plinius & Dioscorides: Hortense & syluestre. 1.

Hortense. Hortense folia & ramulos fundit Origani, candidiores tantùm, humi serpit cùm oritur, ac pedali altitudine incremento suo assurgit, odore Sampsuchi, flosculis subpurpureis. Adminiculo fultum, uel uicinis sepibus innixum, in altitudinem quamcunq; excrescit. Gaudet locis apricis & macris, nec nisi satum prouenit. Mense floret Iunio & Iulio. Tragus Cunilaginem Plinij esse existimat. Cunilago.

B Syluestre, rectum exilibus & lignosis ramulis attollitur, foliis rutæ, odore suauioribus, angustioribus atq; longioribus, flosculis subpurpureis, radice multifida. Nec alia re differunt quàm cultura ipsa: quoniam alterum cultura & cura mitescit ac delicatius infirmiusq; humoris copia efficitur, ut uiribus suis stare nequeat, sed per terram serpat: alterum uerò horridius & fortius, quamuis fragilis utriusq; sit natura, ob loci conditionem prouenit. Dioscoridi repugnat Plinius: Syluestre serpyllum humi reptare scribens, hortense uerò minimè. 2. Syluestre.

Nascitur syluestre in collibus & montibus copiosissimum, ut hortis minimè colatur: tota floret æstate. Dioscoridi syluestre Serpyllum priuatim Zygis dicitur, à ζυγάω, id est, ligando seu iungendo, à ligandis fortasse uitibus. Errant autem hodie qui Serpyllum satiuum nostrum Pulegium credunt, similitudine quadam eius inducti. Zygis.

Tertium addit genus Tragus, foliis & ramulis hortensi simile, sed inodorum, flore carens, quod in muris inuenerit. 3.

Syluestris itidem duas facit differentias: alterum rotundioribus, alterum angustioribus, & acuminatioribus foliis, flore in utrisq; subpurpureo, interdum etiam candido, sed rarius.

### TEMPERAMENTVM.

Calfacit uehementer Serpyllum, est enim gustu acre: ob id menses & urinam ciet.

VIRES.

In uino decoctum, calidum potum, mẽses ciet, humores uiscosos lumborum & renum per urinam educit. Tormina discutit: interna uulnera & rupta sanat. Obstructiones pulmonis, iecoris & lienis aperit. Sanguinem excreantibus cum Oxymeli coctum auxiliatur. Eadem potest succus cum aceto semidrachmæ pondere sumptus. In cibis contra uenena & serpentes ualet. Aridæ tussi cum melle, glycyrrhiza, anisо & uino medetur: stomachum confortat, ac stranguriam adiuuat. Ad cibos quoque condiendos & ad salgama adhibetur.

EXTRINSECVS.

Odor Serpilli cerebrum roborat: uertiginem pellit, capiti impositũ. Aqua stillatitia Serpilli cum rosaceo aceto temperata, frõti illita, Phrenesin sedat. Reliquæ eius uires cum Origano & Dictamno sunt pares.

## THYMVM.

Serpyllũ Romanũ.

THymus à θύειν, id est, excitando: uel quasi θύαιμος, id est, sanguinem impellens. Vulgò Serpyllum Romanum, Germa. **Welscher Quendel/Römischer Quendel/** ab odoris similitudine. Item **Tymchen/Jmenkraut.**

Duo sunt eius genera, quãuis Dioscorides uno, uulgari nimirum, contentus est: Alterum est candi- D dum, in collibus nascens, cuius descriptionem ponit Dioscorides, frutice surculoso, foliis multis angustisq; comato, capitulis in cacumine refertis, flore purpurascente. Vnde Thymum capitatum uel album appellant.

Alterum nigrius, floris q; nigri. Præstat tamen cãdidum. Satiuum non multo fuit tempore, sed in hortis Germaniæ hodie seri cœptum. Flos apibus est gratissimus, odore mella referens. Locis gaudet apricis & macris, sicut Serpyllum. Mense floret Iulio.

Epithymus. Laudat Hippocrates Thymum è Thyna Thraciæ loco. Flos Thymi, Epithymus dicitur, Satureiæ similis.

TEMPERAMENTVM.

Calfacit & exiccat in gradu tertio. In educendo est serpyllo fortior, in calfaciendo par. Epithymus, sicut & Thymus, eodem ordine calfacit & exiccat.

VIRES, INTRINSECVS.

In uino decoctus, ijsdem cum serpyllo pollet uiribus. Orthopnœicis & asthmaticis prodest: uermes, coagulatum sanguinem, uenena, menses, & mortuos fœtus expellit. Cum melle in eclegmate mixtus, thoracis uitia per excreationes purgat. Hebetibus oculis in cibo prodest. Pro condimentis

A dimentis in ſanitatis uſu eſt utilis. Contra podagram, etiam quę motum omnino interceperit, cum uino utiliſsimè datur. Ad tumefactos teſtes trium drachmarum pondere ieiunis propinatur. Epithymus eadem poteſt quæ Thymus, ob id in illius penuria hoc utilicet, ſed menſura maiore.

EXTRINSECVS.

Succus aceto mixtus ſugillata tollit, coagulatum ſanguinem digerit, thymos in cataplaſmate ſanat. Iſchiadicis cum uino & polenta impoſitus auxiliatur: Eodem modo articularibus morbis: tumores & impetus tollit. Cum aceto uerò, callum & uerrucas. Tritum & lanæ inſperſum ex oleo luxatis illinitur. Ex adipe ſuillo, & in faſtidio tritum cū melle, ambuſtis imponitur.

## SIRVPVS DE EPITHYMO.

Sirupus de Epithymo atram bilem & alios humores uſtos uacuat, ob id morbos ex his naſcentes, elephantiam, cancrum, ulcera maligna, fiſtuloſa, ploram, lepram præcauet, curatq;. Confectionem docet Meſue.

## THYMBRA, VEL CVNILA.

B THymbra, Latinis Satureia & Cunila. Thymbram fortaſſe quaſi Thymi umbram appellare licebit, congener enim Thymo eſt herba. *Cunila.* *Thymbra unde dicta.*

Duo ſunt eius genera: Satiua & Sylueſtris. Sylueſtris in aſperis & macris locis naſcitur, Thymo ſimilis, ſed minor et tenerior, ferens ſpicam floribus plenam, coloris herbacei. Hæc propriè Thymbra & Cunila ruſtica appellatur. Germa. **Kunel.** *1. Sylueſtris* *Thymbra Cunila ruſtica.*

Satiua ſylueſtri eſt breuior, quæ propter minorem acrimoniam in cibos eſt recepta, pedali aſſurgit altitudine, fruticoſa, ſurculoſis utrinq; coliculis, folio Hyſſopi, floſculis utrinq; ex purpura candicantibus, odore & ſapore gratiſsimo. Latinis Satureia dicitur, à ſaturando, quòd eduliis in condimentis miſcetur. Vel à Satyris, quòd libidinem ſtimulet. Item Cunila capitata. Germanis **Saturey/Saturon/Garten hyſop/ Zwibel hyſop/Hünerfüll/Joſeple.** Vtraq; æſtate floret. Differt igitur Satureia à Thymbra, quòd Thymbra dicit ſylueſtris propriè, Satureia uerò Satiua: ac utraq; ſpecies Cunilæ uenit nomine, altera ſylueſtris, altera uerò ſatiuæ. Quod hoc uerſu Columella indicat: Et Satureia Thymi referens thymbræq; ſaporem: ubi tres conſimiles herbas ſimul eſt complexus. *2. Satiua.* *Satureia, Cunila capitata.* *Diſerimē Satureiæ & Thymbræ.* *Cunilæ*

Sunt

*Cunilæ ſpecies.* Sunt autem plures Plinio Cunilæ ſpecies: Satiua, cuius iam facta men C
tio, quæ Satureia dicitur. Syluestris, quæ Thymbra propriè. Bubula, quã
Syluestre origanum appellat. Gallinacea, quam Origanum heracleoticũ
*Cunilago.* dicit: de quibus in capite de Origano. Maſcula, quæ Cunilago dicitur,
odoris fœdi, radice lignoſa, folio aſpero, de qua in capite de Conyza.
Mollis cunila ramis & foliis, altera hiſpida lanugine obducitur, tritaq;
mellis habet odorem, digitis tactu eius cohærẽtibus, hanc Franci Incen-
*Incenſaria.* ſariam uocant, piloſioribus foliis ac ramis, & aculeatis, ſenis floſculis lu-
*Libanotis Roſmarinus.* teis. Altera eſt quam Libanotidem Plinius appellari tradit, quæ uulgò
Roſmarinus uocatur, ut placet etiam Ruellio. Frutex topiarius & coro-
narius, folio pinnato, herbaceo, ſubter incano, ſtriato, thuris odore, flo-
*Epithymbron.* re cœruleo, ſemine atro & exili. Epithymbron Græci uocãt, quod ſupra
Thymbram naſcitur, cirrorum modo comas & ramos crebro uolumi-
ne complicans aliquando purpuraſcens. Sicut etiam Epithymum, quod
ſimili modo ſupra Thymum naſcitur. Quod etiam per Origanum irrepe
re ſe uidiſſe Ruellius teſtatur.

TEMPERAMENTVM.

Temperamenti eſt eiuſdẽ cum Thymo: calfacit enim & exiccat ordi-
ne tertio.

VIRES. INTRINSECVS.

Syluestris ad eadem pollet quæ Thymus. Satiua eſt uiribus imbecilli-
or, ſed uſui gratior. Quæ igitur de Thymo & Serpyllo dicta ſunt, huc D
etiam ueniunt referenda. Farina eius ex uino pota, medetur thoracis, pul
monis, & ueſicæ uitijs. Ciet urinas, menſes pellit. Satureiæ uſus marce-
ſcentes coitus ſtimulat, unde etiam à Satyris dictum quibuſdam placet.
Stomachi concoctiones adiuuat, faſtidia diſcutit, hebetes oculos exacu-
it. Epithymbron perinde atq; Epithymum atram bilem per aluum expur
gat.

EXTRINSECVS.

Herba cum floribus ueternoſos olfactu excitat, aut coronæ modo ca
piti impoſita. Succus cum roſaceo auribus infunditur. Cum triticea fari
na coxendicibus illinitur.

## HYSSOPVM.

HYſſopi duo ſunt genera: Hortenſe & montanum. Hortenſe, frutex
eſt nemini non cognitus, duobus uel tribus aſſurgens pro ætatis tẽ-
pore, caulibus, ramulis multis, foliis Satureiæ, floribus in cœruleo pur-
puraſcentibus, thyrſos ſpicæ modo ueſtientibus, radice longa & ligno-
ſa. Paſsim in hortis hodie plantatur. Germanis **Iſop / Cloſter Iſop/
Iſpen/ Garten Iſpen.** Montanum cum hortenſi eſt idem, nec alia ra-
tione quàm loco differt, quòd hæc cultis, illa incultis, aſperis & monta-
nis locis creſcit, folio prorſus origani, niſi quòd nonnihil eſt anguſtius.
Germanis **Berg Iſpen.** Floret utraq; æſtate, ac in flore etiã potiſsimùm
carpitur.

Heyden Isop.

Closter Isop.

carpitur. Locis gaudet apricis, non pinguibus. Seritur circa æquinoctium uernum, & planta & semine, quæ ubi comprehenderunt, uiuaciores sunt, quàm ut hyemem sequentem formident. Estq; hortensis nostra hyssopus, uera, ut summi quiq; uiri huius rei testimonium perhibent.

TEMPERAMENTVM.

Calfacit & exiccat gradu tertio, estq; tenuium partium. Est etiam pituitosum, hoc est, pituitam trahit & digerit: sic enim Ruellius interpretatur.

VIRES, INTRINSECVS.

Hyssopum decoctum cum ficis, ruta, melle & uino, potumq;, peripneumoniæ, tussi uetustæ, suspirio, frigidis capitis fluxibus, & orthopnœæ plurimum confert. Lumbricos enecat. Idem cum melle linctum præstat. Cum ficubus uiridibus & Nasturtio, ad subducendum ualet aluum, Iri præsertim adiecta. Vomitiones eodem modo ciet. Dum ficubus coctum & gargarizatum, anginam adiuuat. Aceto decoctum dentium collutioni & dolori commodat. Lieni cum fico potum prodest. Ramuli eius quinq;, cum duobus rutæ, & tribus ficis, thoracem purgant. Eiusdē fasciculus cum quadrante mellis ad tussim decoquitur. Baccæ eius ternæ in aqua contritæ, potæ diebus sedecim, comitiales iuuant. Eædem cum aqua potæ, regio morbo medentur.

Cum Origano, ficubus, & nitro illitum, hydropem reprimit. Vino decoctum, ac tepidum inflammationibus impositum, eas refrigerat. Vapor eius calidus exceptus auribus, tinnitum & susurrum pellit. Cum melle, sale & uino tritum, serpentium ictibus aduersatur. Cum oleo contritum, phthiriasi & prurigini capitis resistit. Collectiones inflammationesq;, è uino impositum sanat. Ad hulcera manantia est efficax, suffocationes laxat. Quadrupedum scabiem ex oleo fotum sanat.

## SIRVPVS DE HYSSOPO.

Ad uitia thoracis & pulmonis est efficax, humoresq; excreatu difficiles extenuat & educit.

# ORMINVM.

Orminum

ORminum Græcis dictum placet Ruellio, quòd Venerem stimulet. Semen enim eius bibitur ad Venerem stimulandam. Latinis Geminalis. Officinis Gallitricum.

Geminalis Gallitricũ

Duo sunt huius genera: Satiuum & syluestre. Satiuum foliis est Marrubio similibus, maioribus tamen & mirificè odoratis, caule quadrangulo, semicubitali, circa quem eminentię siliquis similes prodeunt, radicẽ uersus nutãtes, in quibus semẽ est nigrũ & oblongũ. Latinis simpliciter

Gallitricum

A Gallitricum dicitur. Gall. *Orvaille*. Germanis **Scharlach**. Prouenit paſſim in hortis. Hieronymus Tragus ex Sideritidis putat eſſe ſpeciebus, ac eam præſertim quæ Heraclea dicitur.

Syluestre priori non admodum eſt diſsimile, foliis Saluiæ, rugoſa aſperitate præditis: caule ſeſquipedali, leniter hirſuto, in quadrangulum ſtriato: floribus è cœruleo in purpureum uergentibus, ad aquilini roſtri effigiem falcatis, calyculis pluribus in terrã inclinatis, in quibus ad ſummum quatuor ſemina, parua, rotunda, & fuluescentia. In pratis ſponte paſsim naſcitur. Floret & ſemine utrunq; in Iulio eſt prægnans. Germanis **Wilder Scharlach/oder wilde Salbey**. De hoc ſuprà in capite de Marrubio eſt actum. Eſt & aliud Ormini genus cuminaceum atq; nigrum, quod inter fruges Theophraſtus reponit: de quo etiam inter legumina Galenus tradit, item Plinius, mediæ inter Eryſimum & Cuminum naturæ. De hoc ſuo loco in capite de Aſparago: Syluestris enim Aſparagus poſt inuentos altiles ſeu hortenſes aſparagos, Corruda appellari cœpit, Atticis uerò Orminon. 2. *Gallitricũ ſyluestre.*

TEMPERAMENTVM.

Vtrunq; calidum eſt & ſiccum. Reſoluunt, attenuant, & educunt.

VIRES, INTRINSECVS.

Vinum quod ſupra Orminum deferbuit, uentriculum frigidum calfacit: phlegma diſcutit & conſumit: Frigidis & ſterilibus mulierculis, ac
B albo fluxu alui laborantibus eſt utile. Nimius uini Orminites uſus capiti eſt noxius. Puluis eius naribus exceptus, ſternutamenta prouocat, catarrhum pellit, cerebrum purgat. Vires penè cum Dictamno pares obtinet.

EXTRINSECVS.

Decoctum in aqua menſes & ſecundos mirè in deſeſsionibus ducit.

Cum melle argema & oculorum albugines purgat. Cum aqua illitũ œdemata diſcutit. Aculeos corpori infixos, per ſe ex aqua illitum, extrahit. Folia ex aceto impoſita, panos per ſe, uel cum melle diſcutiunt.

Syluestre domeſtico ad omnia eſt ualentius.

## ELELISPHACVS.

Ἐλελίσφακος, Latinis Saluia, ab ἐλελίζειν, & σφάκος, ſeu σφάκελος, quod ſyderationem ſignificat, quia, ut Ruellius inquit, herba retorrida & exucca uidetur, quaſi in tabem ſit uerſa, aut in ſyderationem flacceſcat. Saluia dicta, quòd ſit ſalutaris eius uſus, præſertim ad fœcunditatem. Gallis, *Saulge*. Germanis **Salbey**.

Sunt autem duo Saluiæ genera: Alterum ſyluestre & minus: alterum hortenſe & maius. Hortenſe propriè elelíſphacos dicitur, German. **groß oder breyt Salbey**/folio ſqualidius & ſcabrius, multo latius quàm alterum, ut quod cultum aliquem ſenſerit. Syluestre aut minus, foliorum figura, quæ contractiora & læuiora ſunt, ab altero differt, unde Germanis, **kleyn oder ſpitz/oder edel Salbey** dicitur.

Frutex est oblongus, ramosus, quadrangulas & candidas uirgas habens: folia Cotonei mali effigie, oblongiora tamen, asperiora, callosiora, extritarum quoq; uestium similitudine hirsuta & candicantia, uehemēter odorata, sed uirosa, semine sylu estris hormini in summis caulibus. Locis nascitur asperis. Hodie uerò in hortis utrunq; genus inuenitur. D

Hac descriptione Dioscorides paluſtrem, quam sylu estrem dicit, descripsit, ac utrunq; simul genus hac ipsa est complexus. Plinius inter lentis species, inter fruges elelisphacon retulit, ab φάκος, quod lentem significat, deducto nomine, tanquam à Saluia diuersam herbam. Descriptio tamen Plinij cum Dioscoridis per omnia conuenit. Floret Iunio & Iulio, ac semine est prægnans, quo etiam tempore carpitur.

## TEMPERAMENTVM.

Excalfacit & modicè etiam adstringit, teste Aëtio.

## VIRES, INTRINSECVS.

Persuasum habet sibi uulgus, si tria Saluiæ acuminatæ folia cum sale manè manducet, à ueneno tutum eo se fore die.

Vinum Saluiæ, aut folia in uino decocta, uniuerso corpori sunt utilissima: uenena expellit: tussim emollit, iecur & matricem calfacit: urinam & menses ducit. Dysenteriæ decoctum eius prodest: intestina nanq; expurgat. Arida folia tusa in cibis condimentorum uice sunt gratissima, & corpori saluberrima.

EX-

EXTRINSECVS.

Capillos capitis, si decocto eius caput abluatur, denigrat, furfures eiusdem abigit: uulnera purgat, & morsus uenenatorũ sanat. Scabiem simili ratione sanat, tumores in locis occultis sedat. Stranguriã in desessionibus adiuuat, urinam prouocat: dolores dysentericos aliosq; mitigat. Syluestris Saluiæ uires cum Ormino & Mentha syluestri sunt pares: substantia tamen est mitior & gratior.

## LIBANOTIS.

Λιβανωτὶς, Libanotis dicta, quòd odorem thuris accensa referat. Incẽsariam Ruellius in locis quibus cognita est, appellari ait, quòd radix eius Thus, quod incensum uocant, redoleat. *Libanotis.* *Incensari a.*

Duo sunt eius genera, teste Dioscoride. Fœcundum & sterile. Fœcundum rursus duorum est generum: Alterum cuius semen Canchrys dicitur, fœniculi folio, crassiore, orbiculato, in terram iacente, caule cubitali, aliquando etiam maiore, stolonibus multis, quorum à capitibus umbellæ gestantur, seminis plenæ candidi, & spondylio similis, rotundi, angulosi: gustu acuto & resinaceo, accendente os cùm mãditur: radix alba, magnitudinis iustæ, thus redolens. Alterum simile superiori per omnia, sed lato semine & nigro, spondylion imitante, odorato, nec feruenti, radice foris atra, intus si frangatur alba. Atq; hoc genus Cordus eam dicit herbam, quam Germani Schwartz Hirtzwurtz uocant, quam Fuchsius tertiam facit Dauci speciem. *1. Fœcunda Libanotis Canchrys semen dicitur.* B

Sterilis cætera quidem prioribus est similis, uerùm neq; caulem, neque florem, neq; semen fundit, in saxosis & asperis locis nascens. Theophrastus easdem Libanotidis species facit. Nobis Libanotidis hæ species hodie sunt incognitæ, ac plurimum à nostro uulgari Rosmarino differunt, de quo sequenti mox capite. Plantæ enim sunt diuersissimæ: siquidẽ hæ iam descriptæ, umbelliferæ & fœniculo similes sunt: nostra uerò Rosmarinus, neq; umbellam, neq; folia fœniculi habet. *2. Sterilis.*

TEMPERAMENTVM.

Canchrys uim habet calfaciendi, & uehementer exiccandi. Vnde abstergentibus medicamentis miscetur.

VIRES, INTRINSECVS.

Siccæ radices potæ cum uino torminibus medentur, serpentium morsibus medentur, menses & urinas cient. Potum semen ad eadem est utile. Comitialibus, & ueteri pectoris uitio auxiliatur. Ictericis cum uino & pipere datur. Vtendum autem semine eius quod Canchryn non ferat: siquidem hoc acrimonia sua arteriam exasperat.

EXTRINSECVS.

Trita herba hæmorrhoidum profluuia sistit: sedis inflammationes & cõdylomata mitigat: Strumas & abscessus qui ad maturationem ægrè perducuntur, oncoquit. Siccæ radices cum melle hulcera purgant.

Veteres tumores illitu discutiunt. Tam radicis ꝙ herbæ succus melle ad- C
iecto illitos oculos exacuit. Semẽ cum oleo perunctum sudores mouet:
ruptis & conuulsis prodest. Cum loliacea farina & aceto tritum, poda-
gricis illinitur: uitiligines aceto acerrimo addito purgat. Canchrys con
tra oculorum fluxiones capiti illinitur, ut tertio die soluatur.

## LIBANOTIS CORONARIA.

Rosmari-
nus.

LIbanotis coronaria dicitur, ad differentiam e-
ius, quæ simpliciter Libanotis appellatur, quæ
in præcedenti est capite explicata. Vnde Libanotis
dicta ibidem indicatum est. Coronaria hæc dici-
tur, quòd coronis soleat inseri. Latinis & Officinis
Rosmarinus, Germa. **Rosmarin.** Hæc masculæ
cuiusmodi altera est species, ut in capite de Thymbra est
ostensum. Ramos habet, ut Dioscor. describit,
tenues, circa quos folia similiter tenuia crebra, ob-
longa & gracilia, intus candicantia, exteriore autẽ
parte uiridia, & grauiter odorata.

Frutex in summa est topiarius & coronarius, fo
lio pinnato, herbaceo, subter incano, striato, thu-
ris odore, flore cœruleo, semine atro, radice nigra, D
multis fibris capillata. Hac Narbonensis prouin-
ciæ tractus adeò scatet, ut lignum aliud haud urant. Hodie in hortis pas-
sim & fictilibus plantatur. Floret bis anno, uere & autumno. Carpitur
Maio ad usq; Septembrem. Seritur Martio. Nonnulli duo eius faciunt
genera, sed exiguum adeò differentia, ut discerni uix queant.

### TEMPERAMENTVM.

Calfacit & exiccat, quod gustus abundè ostendit.

### VIRES, INTRINSECVS.

Libanotis coronaria seu Rosmarinus, & in cibis & in potu miscetur
summa corporis cum utilitate. Vinum Rosmarini, aut ipsa herba in uino
decocta, calida mane & uesperi, ad tres uel quatuor horas ieiuno stoma-
cho pota, album fœminarum fluxum, ac consumpta muliebria mirabili-
ter sanat. Eadem ratione discutit & pellit morbum Regium, dyspnœam
adiuuat, arteriam tracheam purgat, & aperit, excreationes multas facit,
concoctionem adiuuat: Venenis est uice antidoti: tormina sedat, sangui
nem purgat: sudores prouocat, post potum eius contecto corpore.

### EXTRINSECVS.

Cremata tutam à pestilentia domum præstat, nidore improbam aë-
ris diluens perniciem. Illita uel pota Syncope laborantibus auxiliatur,
uertigini medetur, faciem expurgat, dentes dealbat, halitum oris bonum
efficit, oculis claritatem efficit, pterygia oculorum sanat.

Putrida

A Putrida hulcera, carcinomata, intertriginem, fistulas, aqua stillatitia aut decoctum Rosmarini aut Dictamni purgat, & ad sanitatem perducit. Fomenta eius & desessiones possunt eadem quæ Menta satiua, Dictamnum & Pulegium.

## STICHAS.

B

STichas uel Stœchas, à Stœchadibus insulis Galliæ, ut Dioscor. testatur, nomen habet. Germanis **Stichaskraut**. *Stichas.*

Duum est generum: Gallicum seu Citrinũ, & Arabicum. Citrinum à concoloribus compactis floseulis imperitis hodie est dictũ, estq;, Dioscor. referente, frutex tenuibus cirrulis, coma hyssopi, sed foliis longioribus, subamaro gustu, & aliquantum acri, semine minuto, capitulis luteolis, ex concoloribus floseulis compactis. *1. Citrinum uel Gallicum.*

Arabicum alterum, quod Arabes obseruarunt, à quibus est cognominatum, caule sesquipedali, pallido, coma tenui, oblonga, spica sterili. Eiusdem effectus cum Citrino seu Gallico. Nascitur in Insulis Galliæ è regione Massiliæ, & in Arabia, unde nomen sumpsit, aliisq; Germaniæ locis. Floret quo tempore Lauendula seu Spica Germanica, de qua paulò post. Ruellius Arabicam Stichadem inter Origani genera, sub Onitide nimirum Dioscoridem cõprehendisse censet, cùm ei sit cognata, uel certè eadem. Stichadis etiam sunt species, Nardus nostra Germanica, & Lauendula: de quibus paulò post. *2. Arabicũ.*

### TEMPERAMENTVM.

Naturæ est nonnihil calidæ & siccæ, secundum Trągum. Qualitas quidem est amara & mediocriter subadstringens. Temperamentum uerò compositum ex terrena essentia frigida exigua, unde adstringit: & ex tenui altera terrena copiosiore, à qua est amara. Hæc Fuchsius.

### VIRES.

Vires Stichadis sunt, iuxta Galenum, obstructione liberare, extenuare, extergere, roborareq; omnia uiscera, tum totum corpus.

Puerperis à partu eius decoctum aut suffimentum est utile. Est item ad thoracis uitia decoctum eius efficax. Menses cit potu. Antidotis miscetur utiliter. Vertiginem olfactum adiuuat.

## SIRVPVS DE STICHADE.

Sirupus de Stichade iuuat affectus omnes cerebri & neruorum frigidos, ut paralysin, epilepsiam, spasmum, spasmum cynicum, tremorem, ac uentriculum firmat.

Confectionem utriusq;, simplicis uidelicet & compositi, tradit Mesue.

## NARDVM.



Nardus.

Nardus Indica.

Syriaca.

NArdi sunt plura genera. Est enim Indica siue Syriaca, Celtica, Montana, Rustica siue Azaron. Cretica siue Phu. Postremò & Germanica Nardus siue Pseudonardus, de quibus suo ordine singulis. Cùm autem simpliciter Nardum dicimus, intelligimus Indicam siue Syriacam, quæ reliquis præstat.

Frutex est radice graui & crassa, sed breui & nigra, fragiliq;, quãuis pingui, situm redolente, ut cyperi radix, sapore aspero, folio paruo densoq;. Cacumina in aristas se spargunt, unde gemina dote Nardi spicas & folia concelebrant.

Duo facit eius genera Dioscor. Indicum & Syriacum. Indicum dictũ, quòd pars montis in quo nascitur in Indiam spectet. Syriacum similiter quòd ea mõtis pars in quo prouenit in Syriam uergat. Melius Syriacum, quò recentius est ac leuius, comosum, colore rufo, odore uehementer iucundo, cyperumq; imitãte, spica breui, sapore amaro, maximeq; os siccante. Est & alterum Indici genus apud Gangen fluuium nascens, uiribus languidum, ut quod solo uliginoso crescat. Odoratius enim est quod locis emicat celsioribus. Latinis & Officinis Nardus & Spica nardi dicitur. Germa. **Edel/frembd wolriechend Spicken nardi.**

### TEMPERAMENTVM.

Naturam habet excalfactoriam & exiccantem. Substantiæ, teste Galeno, est mixtæ, & facultatis tũ digerentis, tum repellentis & roborantis.

### VIRES, INTRINSECVS.

Vim habet non exiguam coquendi omnes frigidas dispositiones. Vrinam mouet, aluum potu sistit, Nauseæ ex aqua frigida auxiliatur, & stomachi rosionibus, inflationi, iocinori, regio morbo & renum uitijs. Miscetur & antidotis.

EX-

A

EXTRINSECVS.

Vuluæ profluuia, ſaniemq; appoſita ſupprimit. In aqua cocta, fotu ac inſeſſu uuluæ inflammationibus medetur: ad glabras oculorum genas ualet, ad denſiorem ſiquidem pilum eas reducit. Perfuſis humore corporibus inſpergitur. In fictili non picato, trita in farinã, & cum uino in paſtillos coacta, ad collyria reconditur.

## OLEVM NARDINVM.

Oleum Nardinum, cuius compoſitionem docet Meſue, calfacit, tenuat, digerit, modicè adſtringit, proinde affectus omnes frigidos & flatulentos cerebri, uentriculi, hepatis, lienis, renum, ueſicæ, uteri, magnoperè iuuat: naribus iniectum caput purgat. Corporis colorem & odorem commendat.

## NARDVS GERMANICA, ſeu Pſeudonardus.

B

NArdus Germanica dicta, quòd hæc in Germaniæ paſsim hortis colatur. Pſeudonardus ideo, quòd non ſit uera Nardus. Nardus Germanica. Pſeudonardus.

Duo ſunt eius genera: Vnum procerius adoleſcit, & maiorem ſpirat odorem, quod Spicam appellamus, Germa. **Spicke nardi**: alterum minus & amplitudine et odore, quod Lauendulã ſeu Lauandulã uocamus, Spica. Lauẽdula

quòd

quòd balneis & lauacris hominū expetatur. Germa. Lauendel/Lauander. Fuchsius maiorem appellat marem, minorem uerò fœminā. Vtraq; autem Germanica Nardus Stichadis est species, ut plerisq; hodie eruditis placet, & descriptio etiam abundè cōmonstrat. Frutex est folio crassiore, carnoso, angusto, colore languido, in candidum uergente, piloso, frequentibus spicis in aristas sparsis, flosculis in spica ferè cœruleis, in Lauēdula uerò purpureis. Exitu ueris utraq; perpetua coma canescit. Spicatur Iunio & Iulio. Locis gaudet apricis & petrosis. C

TEMPERAMENTVM.

Calfacit & siccat ordine secundo, tenuiumq; est partium. Discutit & educit.

VIRES, INTRINSECVS.

Flores in uino cocti urinam cient, calidi diebus aliquot ieiuno stomacho poti. Menses & secundinam simili ratione adiuuant: Cardiacam sedant. Ventositates reprimunt, Morbum regium, sicut & Libanotis coronaria, pellunt. Efficacius hæc præstat cum Cinnamomo, Garyophyllis, flore nucis myristicæ, Cardamomo, Cubebis, & rosarū folijs decoctū. Apoplexiæ idē decoctū est auxilio: amissam uocē restituit: dentium dolorem sedat: putrida oris hulcera sanat. Ad eadem pollet aqua stillatitia.

EXTRINSECVS.

Aqua tam Spicæ quàm Lauendulæ, dolorem capitis sedat, uertiginē pellit ex frigore natam. Præualet tamen Spica Lauendulæ. Membra frigefacta & paralytica recreat, si aqua illinatur, ac membra herba ipsa fomententur: eorundem tremorem hoc modo sedat. D

Nardus Celtica.

Spica Romana. Saliunca.

## OLEVM SPICAE.

Oleum Spicæ ad uertiginem, frigefacta & paralytica membra tremoresq; prodest. Fit autē per destillationem ex maiore Lauendula, quæ Spica uocatur, ac maioribus apud nos q̄p in Narbonensi Gallia fit sumptibus, ut præstet illud à mercatoribus emere.

## NARDVS CELTICA.

NArdus Celtica frutex est pusillus, qui cum radice uellitur & in manuales scopas assumitur, foliis longiusculis, flauescentibus, flore luteo. Nascitur in Norico, Istria & Pannonia. Gallicam alij cognominant, sed nusquam in tota Gallia nascitur. Celtæ autem historicis quibusdam non sunt tam Galli, q̄p Germani. Germanica igitur potius esset dicenda. Valerius Cordus Spicam dicit Romanam. Incolis Saliunca, teste Dioscoride, appellatur. Vnde Germanis Seliung dicitur. Item Marien Magdalenen blümen/

A blûmen/Spicanardes. Saliuncæ Germanicam appellationem à conseruando iuueníli animo, Valerius deducit. Nec conuenit cum Lauendula seu Spica nostra, ut quorundam est sententia. Saliuncę uerò descriptio Nardo Celticæ per omnia respondet, ut multis Ruellius ostendit.

TEMPERAMENTVM.

Calfacit in abscessu primo, & exiccat in altero.

VIRES.

Vires habet easdem quas Syriacum, de quo suprà. Sed urinam cit uehementius, stomacho est utilius. Inflammationibus iecoris, & felle suffusis auxiliatur. Cum Absinthij decocto aduersus stomachi inflammationes bibitur. Ex uino, aduersus lienem, renum & uesicæ uitia, & uenenatos ictus. In malagmata, potiones & calfacientia unguenta additur.

## NARDVS MONTANA.

MOntana Nardus hodie penitus in nullo usu, non enim ad nos nisi casu affertur. Nascitur surculo & foliis eryngio similibus, minoribus, minimè tamen spinosis, asperisq;. Radices habet binas aut plures, nigras, odoratas uelut hastulæ regiæ. Longè autem gracilioribus & minoribus. Dicitur item Niris, Thylacitis, quòd in coriaceis sacculis, quos Græci θυλάκια uocãt, ad exteras nationes ferebatur. Pyritis, quòd igni propter iucundum iniice retur odorem. In Cilicia copiosissimè prouenit, Vnde Ciliſſam spicam appellat in fastis Ouid.

Niris. Thylacitis. Pyritis. Spica Ciliſſa.

Et sonat accensis Spica Ciliſſa focis.

VIRES.

Vires easdem habet cum Nardo Celtica.

## NARDVS AGRESTIS, siue Phu.

NArdus agrestis, siue Phu. Nardus agrestis ab odore Nardi, quę habet, dicitur. Vocãt & Nardum seu Phu Creticum. Item Ponticum, à natali. Germa. Baldrian/Dennenmarck. Valeriana uulgò. Valerius Cordus satiuam Saliuncam, Garten Seliung uocat.

Nardus agrestis. Phu. Valeriana.

Duo sunt eius genera præcipua: Magnum & uulgare. Magnum folia habet elaphoboſci siue Olusatri. Caulem cubitalem aut procerio-rem, leuem, tenerum, purpurascentem, in medio concauũ, geniculis intersectum. Flores ad Narcissi florem accedunt, minores & teneriores, in subalbido purpurascentes. Radices in superiore parte minimi digiti crassitudine. Adnascentes

1. Phu magnum.

etiam

Theriacaria. Valeriana maior.

2. Phu uulgare.

3. Phu minus, seu Valeriana minor.

ctiam radiculas obliquas ueluti iuncus odoratus, aut Veratrum nigrum, inuicem implicitas, subflauas, bene odoratas, nardum in gustu referentes, cum quadam uirosa grauitate. Hoc Phu dicitur magnum. Item Theriacaria, & Valeriana maior, uulgo & Officinis. Germanis **groß Baldrian**/ & **Triacks** appellatur.

Vulgare Phu caule, foliis & floribus à magno parum differt: sed folia nigriora & incisa sunt magis. Radix itidem minor, & capillamẽto breuiore. Alio nomine Valeriana uulgaris dicitur. Germa. **gemeyn Baldrian**/ & **Katzenwurtzel**/**Augẽwurtzel**/ quòd feles odore radicis eius, quo eorum oculi roborantur, mirè delectentur. Locis nascuntur humidis et prope aquas. Florent tota æstate.

Tertium facit Tragus, radice, caule, foliis & flore, quàm uulgare minoribus. Locis prouenit montanis, & in dumetis, foliis cinereis, flore in subalbido quoq; purpurascente. Odore grato. Valerianam minorem Ruellius appellat.

4. Phu minimum.

Quartum & minimum, prædictis forma respõdens, sed longè minus, Caule tenuissimo, culmũ non penitus crassitie æquante, duos palmos alto, aut etiam minore, foliis acuminatis, sicut in Nasturtio, dum floret, odore cum reliquo Phu codẽ. Floret Aprili mense in locis humidis, & in pratis.

TEMPERAMENTVM.

Calfacit & exiccat in secundo ordine.

VIRES, INTRINSECVS.

Radix in puluerem trita, pota in uino, urinam ciet. Idem potest radix ipsa in uino cocta: dolorẽ laterum & dorsi sedat. Menses prouocat. Contra pestilentem aërem, & potu & olfactu prodest.

Vrinæ frigidæ simili modo medetur.

EXTRINSECVS.

Folia & radix uiridia tusa & imposita, capitis dolorẽ mitigant, fluxus sistunt, & erysipelati prosunt. Decoctum cum uino oculis instillatum claritatem adfert: mariscas aliaq; hulcera sanat. Præcipuè uerò hebetudini uisus medetur.

ASARVM.

# ASARVM.

Ασαρον Græcis & Latinis. Vulgò Vulgago seu Vuluago, quòd fortasse uuluæ morbis decoctio eius subueniat, ut Macer his uersibus testatur: Vulgago.

*Est Asaron Græcis, Vulgago dicta Latinè,*
*Et uuluæ morbis decoctio subuenit eius.*

Ασαρον autem dictum, ut Plinius, quòd in coronas non ueniat, σειρὰς enim Græci πλέγματα ac δέσμας, & catenulas exponunt, hoc est, nexus & fasciculos. ut in ἄσαρον uoce ε di phthongus in α transierit, ut ostendit Ianus Cornarius in capite Macri super Asarum. Alij ἄσαρον ut Hesychius, quasi ἀσάρωτον accipiunt, id est, non purgatum, non ornatum. Σαρακῦν enim purgare & uerrere significat, quòd fortasse in manuales scopas, quę odoris gratia gestantur, non soleat inseri. Gall. *Cabaret*. Germa. Haselwurtz. A quibusdā Cornar.

B syluestris Nardus, ut scribit Plinius, ob similes cum eo uires. Sanguis itē Martis, & Perpensa.

Herba est foliis hederæ, mollioribus tamen rotundioribusq; (μαλακότερα enim, non μικρότερα est legendum, ut Fuchsius satis ostendit apud Dioscoridem) floribus inter folia proximè radicem emicantibus, purpureis, odoratis, Hyoscyami cytino similibus, in quibus semen Acino simile. Radices habet multas, geniculatas, tenues, obliquas, gramini nō dissimiles, longè tamen graciliores, odoratas, calfacientes, & linguam uehementer erodentes. Vmbrosis, asperis & siccis locis, ut montibus & syluis nascitur. Plurimum tamen in Ponto, Phrygia, Illirico & Italiæ agro. Colligitur à die Augusti decimoquinto ad octauum Septembris: bis anno, uere & autumno florens.

## TEMPERAMENTVM.

Calidum est & siccum ordine tertio, potissimùm tamen radices, quæ Acori radicibus, teste Galeno, uiribus sunt similes. Folia uim habent adstringendi.

## VIRES, INTRINSECVS.

Radices senis drachmis ex aqua mulsa potę, menses, Dioscoride teste, trahunt, & ueratri albi modo purgant, urinā mouent, hydropicis & ischiadicis diuturnis prosunt. Ruptis, conuulsis, tussi ueteri, dyspnœicis & difficultati urinæ opem ferunt. Ierarum morsibus cum uino potæ sunt salutares.

Folia illita capitis doloribus, oculorum inflammationibus, ægilopis incipientibus, mammis à partu tumentibus, ignibusq; sacris conferunt. Coma somnum conciliat. Lixiuio in quo Asarum decoctum est, si eo caput lauetur, cerebrum roborat, & memoriam adiuuat. Succus eius cum Pompholyge caligantibus oculis confert.

## GARYOPHYLLATA.

Herba benedicta. Sanamunda.

1. Garyophyllatũ hortense.

2. Garyophyllatũ syluestre.

GAryophyllata ab radicum odore, quem de se præbent, dicitur. Vulgò Herba benedicta, & Sanamũda appellatur. Gall. *Rezize ou Galliot*. Germanis **Benedicten wurtz.**

Duo sunt eius genera: Hortensis & syluestris. Caulis utriq; sesquicubitalis, geniculatus, angustus, terna è pediculo longo folia articulatim exeuntia, per ambitũ incisa, bina etiam prioribus minora, singula geniculo cingunt. E medio alarum sinu ramuli fundũtur tenues, in quorum summo flos luteus emicat, quo succusso caput extuberat circinatis acinulis cumulatè stipatũ, quasi rudimentum eluceat naturæ fragum inchoantis. Radix multis luteis capillamentis fibrata, Garyophyllon olet. D

Hortensi autẽ flos est paulò minor, & pallidior, estq; ob culturam in floribus, foliis & paniculis tenerior. Germanis **Gartẽ oder heymisch Benedictẽ wurtz**/ ac nascitur in hortis plantatum.

Syluestre uerò flores habet maiores & magis ad croci colorem accedentes: radix lõga fibris carens, reliqua priori similis, adeò, ut uix discernere liceat. Ger. **Wild Benedicten wurtz.** Floret Maio & Iulio. Nascitur syluestre locis montanis, opacis & iuxta sepes.

### TEMPERAMENTVM.

Calida est & sicca in ordine secundo. Folia & radix non mediocriter in gustu adstringunt.

### VIRES, INTRINSECVS.

Radix in uere effossa, imposita uino, præcipuam ei suauitatem & gratiam adfert: cor exhilarat: iecur aperit: phlegmaticos in uentriculo humores discutit.

Tormina & matricis dolores in uino radix hæc cocta sedat.

### EXTRINSECVS.

Decoctũ radicis cum uino omnia sordida hulcera, carcinomata, fistulas, purgat, aliquot diebus illita, præsertim uerò primo puerperij tẽpore.

MALO-

# MALOBATHRVM.

MAlobathrum Græcis, folium Malobathri, folium Indi, & ſimpliciter folium. Germa. **Neglin bletter**. Folium eſt ſui generis, Indicæ nardo odore, ſapore, & uiribus ſimilimum. Vnde quidam, ſed falſò, Indicæ nardi folium putauerunt. *Malabathrum.* *Folium Malobathri.* *Folium Indi.* *Folium.*

Folium itaq; eſt, teſte Dioſc. quod in paludibus Indiæ genitum aquis innatat paluſtris lenticulæ modo, nulla fultum radice: ſed lectum protinus pertunditur, linoq; tranſſutum, ubi fuerit reſiccatum reconditur. Veteribus inter coronarios fuit uſus. Vnde Horat. ad Pomp. Varum: Coronatus nitētes Malobathro Syrio capillos. Plinius Syriæ arborem dicit, conuoluta fronde, aridi coloris, ex qua oleum ad unguenta exprimitur. Laudatur potiſſimum Indicum, recens, fractu contumax, in nigritia candidum, ſolidum & integrum, odore Nardi, nullo ſalis ſapore uel guſtu.

Duæ itaq; Malobathri ſpecies: Altera Dioſcoridi paluſtris, lenticulę in modum aquis innatans. Altera Syriaca, ex arbore Syriaca lecta. Hodie utroq; caremus: Sed tertio utūtur Medici genere, Ruellio teſte, Mauritanis Tembulum dicto, cuius ſurculi cum folio, quale arbuti uel lauri eſt, pollicares plerunq; ad nos feruntur, fructu laurinis baccis ſimili. Omnia foliį appellatione ueniunt. 1. 2. 3. *Tembulū.*

## TEMPERAMENTVM.

Calidum eſt in altero, ſiccum in tertio abſceſſu, tenuiumq; eſt partium.

## VIRES.

Eaſdem cum Nardo ſortitur uires, ſed efficacius omnia præſtat. Ciet urinas. Oculorum epiphoris feruefactum in uino utiliſsimè imponitur. Naribus illitum ſomnos allicit. Oris halitus & ſuauitatem commendat, linguæ ſubditum folium: ſicut & ueſtium odorem interpoſitum, à tinearum eroſione eas conſeruans.

# PEGANON, SEV RVTA.

ΠΗγανον Græcis, παρὰ τὸ πήγνυσθαι, id eſt, coagulare, quòd calore & ſiccitate ſua genituram coagularet. Vnde grauidis eſt inimica, coronis etiam inſerta. Latinis Ruta. Gall. *Rue de iardin.* German. **Rauten**/& **Weinrauten.** *Peganon.* *Ruta.*

Genera ſunt eius duo: Satiuum ſeu hortenſe, & ſyluestre.

1. Hortensis Ruta.

Satiuum frutex est odoris grauissimi, semper ferè uirens, folio exiguo, penè rotundo, cęsij coloris, denso, furculosis ramis, flore luteo, calycibus angulosis, in quibus semen inest album. Prouenit in hortis, amat loca aprica & sicca. Floret æstate, semen matureścit autumno, gustu est acri & amaro. C

2. Syluestris Ruta.

Syluestris Rutæ quatuor numerat Tragus species. Prima est, quæ Græcis dicit πήγανον ἄγριον, quã describit Dioscoridis hunc in modũ: Frutex est qui ab una radice emittit cauliculos multos, foliis multo quàm alterius rutę longioribus tenuioribusq;, odore graui, flore candido, capitulis in cacumine paulò maioribus quàm satiuæ rutæ, quæ tribus maximè partibus constant, in quibus triangulum semen, subrufum, gustu amarum, recluditur, cuius est usus. Semen autumno matureścit. Viribus est satiuæ similis. Germ. Wild Rauten. D

Hypericũ. Secunda syluestris species est Hypericum, de quo sequenti mox capite. Germ. S. Joannes kraut.

Ascyron. Tertia species est Ascyrum, quæ Hyperico ob similitudinem annumeratur. Germ. Harthew/de quo capite ab hinc secundo.

Androsæmon. Quarta est Androsæmon. Ger. Kunrath/de qua cap. ab hinc tertio.

## TEMPERAMENTVM.

Hortensis Ruta calfacit ordine tertio, & strenuè exiccat. Syluestris satiuæ similis est. Reliquarum trium uires & facultates suis capitibus require.

## VIRES, INTRINSECVS.

Ruta contra uenena expellenda & reprimenda maximè ualet.

Pestis remedium. Theriaca utilis & efficax aduersus sumptum uenenum, & pestilentẽ aërem conficitur ex foliis Rutæ, admixtis granis Iuniperi, nucibus iuglãdibus & ficubus, tusis singulis, & cum aceto mixtis, colatisq; per pannũ: cochlearí quotidie uno matutinò sumpto.

Decoctum

A Decoctum foliorum Rutæ & seminis calidum potum, hausto uene-
no resistit, cordis item & lateris dolori medetur: purgat arteriam trache-
am, tussim mitigat, dyspnœam adiuuat, dolores coxendicum aliorumq;
membrorum sedat: horrorem in febribus pellit. Cum anethi semine in
uino cocta, colicæ, nisi obstructio obstet, medetur. Idem potest aqua stil-
latitia. Clysteribus contra colicam passionem & tormina rutæ folia &
oleum debent adhiberi. Vrinam ciet. Sed genitale semen continuus eius u-
sus extinguit. Cocta in aqua pluuia diarrhœam cohibet. Vermes uentris
cum oleo coctum & potum ejicit. Viridia folia mansa & comesta, fœto-
rem allij & cæparum in uentriculo reprimunt. Sylvestris ruta in cibis est
uitanda: in medicamentis uerò fortior est quàm satiua.

EXTRINSECVS.

Folia omnibus penè externis corporis uitijs, ut mariscis, pustulis, sca-
biei, serpigini, alijsq; id genus prosunt: tumores sedant, cum ficuum de-
cocto illita, uel si membra ijs terantur: quod idem præstat decoctum fo-
liorum rutæ cum ficubus potum: hydropicis eodem modo est salutaris.
Oculorum dolorem sanant, & caliginem discutiunt uiridia folia cum fa
rina hordeacea illita. Tusa folia cum aceto rosaceo fronti illita, phrene-
sin mitigant. Genitalium tumorem, & in uiris & in fœminis, cum lauri
foliis tusa & illita rutæ folia discutiunt. Succus aurium dolori subuenit.
Idem cum alumine, nitro, & melle mixtus serpiginem, papulas, psoram,
B & capitis fluidam scabiem sanat.

## OLEVM RVTAE.

Oleum Rutæ est calidum, apertiuum, resolutiuum, & mitigatiuũ do-
lorum, calfacit renes, uesicam matricem, & sedat dolores eorum, & ma-
ximè colicam, si uenter ungatur, & fiat ex eo solo clyster. Opitulatur
quoq; neruis, confert spasmo, & frigidos humores expellit. Conficitur
hunc in modum: Recipe Rutæ recentis incisæ & contusæ, quantum li-
buerit, pone in uase uitreo, & olei ueteris clarissimi sufficientem mensu-
ram infunde, atq; in sole aut loco aliquo calido diebus quindecim mace-
ra, dein in duplici uase coquito, & abiecta ruta recentem injice, atq; rur-
sus diebus quindecim macerato, iterumq; dicto modo coquito & expri-
mito, idq; tertiò quoq; facito. Atq; hunc in modum multa alia conficiun
tur olea, ut Anethinum, Chamæmelinum, Lilinum, Narcissinum, Ligu-
strinum, Sambucinum, Iasminum, Cheyrinum, Myrtillorum, Myrtinũ,
Menthæ, Absinthij, Rosaceum, Violaceum, Nenupharis.

## HYPERICVM.

HYpericum sylvestris Rutę, ut antea est ostensum, est species. Alio no
mine dicitur Perforata, quòd folia soli obiecta innumeris foramini *Perforata Chamæpi tys.*
bus scateant, & punctis pertundi uideantur. Item Chamæpitys, ab semi- *Fuga dæ-monum.*
nis odore resinaceo, & Fuga dæmonum, quòd fugare posse Dæmones

sit credita. Gallicè *Mille pertuis*. Germ. S. Joannes kraut.

Hyperici species.

Huius tres sunt species. Prima quæ propriè Hypericum uocatur: Altera quæ priuatim Ascyron & Ascyroides: Tertia quæ peculiariter Androsæmi nomine uenit. Omnes tamen tres hæ species Androsæmi etiam appellatione appellantur.

Hypericum itaq; frutex est surculosus, dodrantalis, rubescens, foliis Rutæ, flore luteo, qui digitis attritus sanguineum emittit succum, unde Androsæmon quidam dixerunt. Siliquas habet subhirsutas, in rotunditate oblongas, hordei magnitudine, in quibus semen nigrum, resinam obolens. Locis nascitur incultis & asperis: floret Iulio potissimùm & Augusto.

TEMPERAMENTVM.

Calfacit & exiccat, estq; substantiæ tenuis.

VIRES, INTRINSECVS.

Aqua Hyperici stillatitia, epiphœnicis datur, & comitialibus. Vino coctum & potum Hypericum uenena educit, urinam cit & menses. Febres tertianas & quartanas eodem modo pellit. Prodest ischiadicis, sanguinis ejectionem cohibet: sanat tam interna, quàm externa corporis uulnera & damna. Semen tritum & binis drachmis potum, choleram educit.

EXTRINSECVS.

Folia & semen trita ac imposita, adustionibus medentur. Contra phãtasmata & tempestates à nonnullis gestantur, nec uana prorsus est superstitio. Reliquæ eius uires cum Ruta sunt pares.

## OLEVM HYPERICI.

℞ Oleum Hyperici calidum est & siccum, stipticum, ob id uulnera incisorum neruorum & combustionem ignis consolidat: sedat dolores femoris & uesicæ, urinam ciet. Confectio eius hæc est:

Recipe summitatum Hyperici iamiam matureſcentis ʒ iij. macerentur in uino odorifero diebus tribus, bulliant deinde in uase duplici, obturato orificio uasis, hinc exprime & recentis Hyperici par pondus injice, & iterum macera & coque & exprime, idq; tertiò facito, ac si uinum minuatur, aliquid adde: Recipe deinde Terebinthinæ claræ ʒ iij. Olei ueteris clari ʒ vj. Croci ℈ j. Coquantur in uase duplici ad uini consumptionem, postea exprime, & à sedimento purgatum oleum repone.

## ASCYRON.

Ascyrum

A Ascyrum per Antiphrasin dictum, ab α, priuatiua particula, & σκυρόω, id est, asperū. Vnde German. Harthew/è rutarū est genere, & hyperico annumeratur. Ascyrum itaq;, ut Dioscoride describit, Hyperici est species, magnitudine differens, fruticosior, ramis maioribus & rubentibus: folia habet tenuia, florem luteum, semen Hyperico simile, odore resinę, quod tritum digitos ferè cruentat: unde etiam Androsæmon à quibusdam dictum, hoc est, hominis sanguis: de quo in sequenti capite. Prouenit locis incultis & asperis. Floret Iulio & Augusto præsertim. Ascyrum. Harthew.

TEMPERAMENTVM.

Calfacit & desiccat. Folia modicè extergent & desiccant. Semen expurgatoriam uim habet.

VIRES. INTRINSECVS.

Ischiadicis semē in hydromelitis heminis duabus potum prodest: bilioſa enim excrementa multa ducit. Sed assiduè, donec æger conualescat, dari oportet.

B

EXTRINSECVS.

Semen illitum ad ambusta conducit. In uino austero decocta folia, uinum ipsum magnorum uulnerū, ut autor est Galenus, glutinatorium efficiunt. Podagris etiam imponitur.

## ANDROSAEMVM.

Androsæmon, quasi dicas ἀνδρὸς αἷμα, id est, uiri sanguis, quòd attritum semen eius siue flores, hominis sanguinem emittant & referant. Germa. Kunrath. E rutarum est genere, sicut & Ascyron & Hypericum, à quibus differt, ut Dioscor. describit, quòd ramulis fruticet surculosis, ac tenuibus, rubentibus uirgis, & foliis rutæ, triplo uel quadruplo maioribus, quæ trita sanguinē humanum emittunt: Alas in cacumine habet complures, utrinq; expansas, pinnatasq;, circa quas flores pusilli, lutei: in calyce semen est nigro Papaueri simile, ueluti pūctis distinctum depictumue. Comæ tritæ resinosum odorem reddunt.

Androsæmum.

Kunrath.

Nascitur quibus locis Ascyron, eodemq; floret tempore.

Vires cum Aſcyro habet eaſdem: Calfacit enim & exiccat. Purgat aluum: biliosa excrementa educit, prodeſt iſchiadicis. Sed poſtera die, addit Plinius, capparis radicem reſinæ permixtã deuorare oportet, drachmæ pondere, iterumq; à quatridui interuallo idem facere: à purgatione autem robuſtiores uinum bibere, infirmiores aquam.

## BELLIS MINOR.

Primula ueris. Solidago minima. Arthritica.

**Maßlieben. Klein Zeitloſen.**

### NOMINA ET DESCRIPTIO.

1. Bellis minor ſylueſtris.

Primula ueris.

Solidago minima. Artetica. Arthritica.

DE Græca huius nomenclatura adhuc ambigitur.

Sunt autem duo Bellidis ſeu Bellij genera: Maius & minus. Minoris duæ ſunt ſpecies: altera ſylueſtris, ut Plinius deſcribit, flore cõſtat albo, aliquatenus rubente, quinquagenis ternis, aliquando etiam quinquagenis quinis barbulis circinato, folio pingui in terra iacente, in rotundum oblongo, leuiſsimè ſerrato. Vulgò Primula ueris, quòd uere inchoante mox procedat: quo nomine Betonica etiã D alba, de qua in Verbaſcis, dicitur. Solidago item minima, & Artetica corruptè pro Arthritica. Gallicè *Conſyre*. Germa. **Maßlieben oder Zeitloſen/Klein Zeitloſen.**

2. Bellis minor hortenſis. Conſolida minor.

Altera hortẽſis ſeu domeſtica, ſylueſtri per omnia ſimilis, præter florẽ qui eſt rubicundus, ac interdum ſimplici, interdum multiplici foliorum contextu conſtat. Germ. **Monatblům oder Rote blůmlin**. Officinis utraq; Conſolida minor appellatur. Primo ſtatim uere in hortis & pratis conſpicitur, ac tota fermè æſtate durat.

De Bellide maiore, uide caput de Buphthalmo.

### TEMPERAMENTVM.

Primula ueris frigidæ eſt & humidæ naturæ.

### VIRES, INTRINSECVS.

Succus Bellidis, uulneratis, potus, prodeſt. Stillatitia aqua pota iecur refrigerat, internum calorem reſtinguit, choleram mitigat, oris hulcera & linguæ inflammationem ſanat. Herba adhuc tenera cum ſale, aceto & oleo comeſta, aluum emollit.

### EXTRINSECVS.

Recentia folia omnibus hulcerum inflammationibus impoſita medẽtur. Trita folia tumorem ſedant. Calorem cum doloris mitigatione pellunt. Herba eſt uulneraria, & ad capitis fracturas admota potiſsimùm ualet.

A

ualet. Paralysi membrorum cum Ebulo & Agrimonia in desudationibus prodest. Ad podagras item, ischiada & strumas ualet.

## ALISMA.

Alisma aut Damasonium, non est Plantago aquatica, seu Barba syluana, quæ Germa. **Wasserwegerich**/ & **Froschlöffel** appellatur: nec est Fistula pastoris, Germa. **Hirtenpfeiff**/ de qua suo loco, sed est Plantago Italica, ut id descriptio & pictura satis cõmonstrat. Herba est folio Arnoglossi, sed angustiore, & semper in terram demisso, caule unico, sesquipedali, capite thyrsi, flore albo, exili & aliquatenus pallido, radicibus crebris, ut Elleborũ nigrum, tenuibus, acribus, odoratis, pinguibus: flore tenui, in madidũ pallescẽte. Nascitur locis aquosis. Hæc descriptio imagini Plantaginis Italicæ conuenit, **Italisch Wegrich**. Hieronymus Tragus herbam esse scribit in sepulchris mortuorũ passim crescentem. German. **Frawenkraut**. Folium ea fert Plantaginis acuminatæ, nisi quòd per ambitum est serratum, radicem uillosam & intricatam, odoratã, & nonnihil amaram, caules fert quatuor quinõsue, bicubitales, foliis uestitos paruis angustisq;. Florem fert luteum, apertum, rotundũ: tota herba odorem ferè mentæ refert, gustu tamen amaritudinem præ se fert.

*Alisma. Damasonium.*

*Plantago Italica.*

*Italisch Wegerich. Frawenkraut.*

B

### TEMPERAMENTVM.

Calidę est facultatis, ac uim habet abstergendi.

### VIRES, INTRINSECVS.

Radix unius aut alterius drachmæ pondere cum uino pota, his qui leporem marinum deuorauerunt prodest, & quos rubeta rana momorderit, quiq; opium hauserint. Torminibus & dysenteriæ per se aut cum syluestri Pastinaca pari pondere pota confert. Calculos renum eius decoctum potum comminuit, teste Galeno.

### EXTRINSECVS.

Fomentis & insessionibus menses ducit. Oedemata illita herba discutit. Strumis, autore Plinio, imponitur, ex aqua cœlesti folium tritum,

tum, uel radix cum axungia tusa, ut imposita folio suo operiatur. C

## CONYZA.

Conyza. Cunilago. Pulicaris. Cimicaria

CONyza Græcis, Latinis Cunilago dicitur. Vulgò Pulicaris, quòd pulices necet: Item Cimicaria, quòd folia eius cimicibus aut bestiolis uolucribus, ut Ruellius affirmat, iis proximis, frequenter inueniantur onusta. Germa. **Dürrwurtz** / & **Flöhkraut** / secundū Tragum. Valerius Cordus **Hundsaugen** appellari dicit.

1. Conyza masculaseu minor

Dioscorides & Plinius duo faciunt genera: Marem & fœminam. Mascula Conyza quæ maior dicitur, caule assurgit bicubitali, torosiore & ramosiore, foliis maioribus, mbricatis, oleæ similitudine, sed hirsutis & pinguibus, flore splendidiore, luteo & subrufo, qui in pappum & lanuginem abit: radicibus superuacuis, odore cū grauitate quadam iucundo.

2. Conyza fœmina, seu minor Cunilago mollis.

Fœmina seu minor, foliis est tenuioribus & compressioribus, colore mellis, quę trita digitis, contactu hærent, flore squalidiore, odore acriore: in reliquis priori similis. Hippocrati dicitur Cunilago mollis. Vtrunq; genus est serotinum: post Arcturum enim germen & semen emittit. Locis utraq; nascitur aridis & montanis. D

3. Conyza fœtida.

Tertia Conyzę species caule est crassiore & molliore, foliis mediæ inter priora duo genera altitudinis, sed minimè pinguibus, odore multo fœdiore, uiribus etiã minor, locis proueniens humidis, quam Conyzam fœtidam appellare licebit.

4. Satiua.

Quartum Plinius facit, satiuam, serpyllo similem, è Cunilagine montana factam.

5.

Præter has aliam quoq; Hippocrates ponit, apio crispo similem, odoris teterrimi, maximeq; fastidiendi, quæ in maritimis & sabulosis locis prouenit, quæ cum melle & uino fœminarum locis, quæ fœtum non recipiunt, admouetur, ut idem est autor.

### TEMPERAMENTVM.

Complexionis est calidæ & siccæ.

### VIRES, INTRINSECVS.

Folia & flores Conyzæ in uino decocti, menses & mortuos fœtus calidi poti educunt. Stillicidio urinæ & stranguriæ auxiliantur. Regium morbum efficaciter idem decoctū discutit & expellit: qua de causa obstruction bus iecoris herba est utilissima. Epilepticis cum aceto decocta utiliter infunditur.

### EXTRINSECVS.

Venenata & impura animalia sparsa humi fugat, pulices necat & pellit.

A lit. Suffitus eius ſerpẽtes & cochleas abigit. Spectra hac fugari poſſe uul go perſuaſum eſt: à fulminis etiam ictu huius beneficio domum tutam. Viridis herba illita uenena ex ſerpentum morſibus extrahit: cuiuſcunq; generis uulnera purgat, & ſanat. Fronti alligata, præſertim altera minor ſpecies, phreneticis eſt auxilio.

## PSYLLIVM.

PSyllium Latinis Pulicaris, à ſeminis forma quod pulicibus ſimile eſt, dicitur, uel quòd uiridis in domum ſparſa, pulices generari prohibeat. Gall. *Herbe à puces*. Ger. **Pſilienkraut/Welſcher Flöhſamẽ oder kraut**. Foliio eſt Coronopi, piloſiore, proceriore, ramulis palmi altitudine, fœni modo ſarmẽtoſum, coma eius à medio incipit caule, capitula bina aut terna cacuminibus cõpreſſa, ſemine pulicis nigro præduroq;. In aruis & incultis naſcitur. Appellat itẽ Cynoides et Cynocephalon, ut autor eſt Plinius, quòd flores canino capiti non ſunt diſsimiles. Itẽ Cryſtallion, Sicelion, Cynomyia, eodem teſte.

*Pulicaris. Pſyllion.*

*Pſilienkraut. Welſch Flöhſamen.*

*Cynoides. Cynocephalon.*

Præter hoc, duo adhuc inueniuntur Pſyllij genera: alterum calamo exili & longo, in cuius ſpica continetur ſemen pulicis colore & magnitudine. Alterum ſarmentoſum, floribus canino capiti ſimilibus, fabaceis capitulis, ſemine pulicis effigie, radice tenui & ſuperuacua. Profert autem flores æſtate, ſemen autumno.

### TEMPERAMENTVM.

Semen eſt frigidum ſecundo ordine, ſiccitatem uerò habet temperatam.

### VIRES, INTRINSECVS.

Seminis eſt præcipuè uſus. Tritum itaq; & in aqua mollitum potum, inteſti-

intestinorum erosionibus auxiliatur, omnesq; calidos ac cholericos uentris fluxus, ut dysenteriam, idq; genus alios ex noxijs calidis pharmacis prouenientes, adiuuat.

EXTRINSECVS.

Cum rosaceo, aceto, & aqua illitum semen, articulorum doloribus, parotidibus, tuberculis, œdematis, luxatis, capitisq; doloribus prodest. Enterocelis seu ramicibus intestinorum puerorum, & umbilicis prominentibus cum aceto illitum medetur. Acetabuli autem mensura tusum in aquæ duabus heminis oportet madere, & ubi aqua concreuerit illinere. Deiectum in aquam feruentem calorem eius reprimit. Prodest erisipelatis. Viridis si in domum importetur, pulices generari prohibet. Tusa cũ adipe, sordida & maligna hulcera expurgat. Succus eius cum melle infusus, aurium fluxibus & uermiculis auxiliatur. Pinguedo supernatans aquæ, semine Psyllij in rosacea aqua noctis spacio mollito, contra inflammationem linguæ illita est efficacissima.

## HELENIVM.

Helenium

Elenium.
Inula.
Enula campana.
Alant.
1.

2. Helenium Aegyptium.

HElenium, Nicandro in theriacis referente, dictum, quòd ex Helenæ sit lachrymis enatum. Latinis Elenium & Inula: Officinis Enula: Vulgo Campana, & Enula campana dicitur. Gallicè D*Auluee*. Germa. **Alant**.

Duo sunt eius genera: Alterum quod copiosè apud nos hodie prouenit, Germa. **Alant** dictum: Alterum quod in Aegypto nascitur, Serpyllo simile, quod in coronas inseritur. Nobis hodie incognitum.

Caulem Helenium nostrũ habet crassum, hirsutum, cubitalem, & aliquando maiorem: iustam interdum hominis staturam æquantem: angulosum, cui supernè flores insident lutei, in quibus semen Verbasco simile superuacuũ, tactu pruritum excitans. Folia habet Verbasco angustifolio similia, lanuginosiora tantùm & oblonga. Radicem subruffam, odoratam, magnam, subacrem, ex qua ad cõfitionem, liliorũ, aut Ari instar, pingues propagines appendicésue auferuntur. Montibus nascitur opacis & siticulosis. Radix æstate effoditur & concisa siccatur. Floret Iulio. Seritur Februario ex oculis, sicut arundo, quos abscindere & terra leniter conuenit

A uenit obruere, fossa subacta, & excitatis ad lineam puluinis, quibus oculos eius oportet infodere, intercedente trium pedum spacio.

TEMPERAMENTVM.

Radix non exactè est calida & sicca: sed cum recrementitio humore: non enim primo statim occursu calefacit.

VIRES, INTRINSECVS.

Radix Helenij asthmaticis & ex stomachi frigiditate laborantibus est præstantissima. In mustum iniecta, ut simul deferueat, contra dyspnœam, tussim, hæmoptysin, pleuritidem, calculum, uenena, & mestrua summo auxilio bibitur. Contra eosdem affectus aqua stillatitia prodest: præcipuè uerò dyspepsiæ confert. Viridis radix ad usum conditur sicut Zingiber. Aridæ radicis puluis cum saccharo & melle dyspnœicis, & tussilenta laborantibus lingitur: Purulentam materiam discutit & ejicit: interna pulmonis, matricis & reliquorum membrorum uitia sanat.

EXTRINSECVS.

Illita radix uiridis serpentum & uenenatorum morsibus auxiliatur: tumores genitalium corporis partium in utroq; sexu sedat.

Folia in uino decocta membrorum dolorem, & ischiada imposita cõpescunt.

B De conditura Helenij ex Columella, lib. 12. cap. 46.

Condiendi Helenij plures traduntur modi. Vnum hic posuisse satis erit. Mense Octobri, quo maximè matura est, radix è terra eruetur, ac aspero uel cilicio linteolo quidquid adhærebit arenæ detergetur: deinde acutissimo cultello summatim eraditur, ac plenior radicula pro crassitudinis modo, in duas pluréue partes digiti longitudine diffinditur: deinde ex aceto modicè in cacabo æneo coquitur, ita ne taleolę inuri possint: post hæc in umbra triduo siccentur, & ita in fideliam picatam recondantur, adiecto passo uel defruto quod supernatet, spissamentoq; cunilæ impositò contectum uas pelliculetur.

## GENTIANA.

GEntiana ab Gentio Illyriorum rege, qui primus eius uires inuenit, Dioscor. testimonium perhibente, cognominata. Officinis & uulgò idem nomen retinet. Germanis **Entian** & **Bitterwurtz**. Nascitur in Illyrico copiosissima: aliàs in montibus altissimis, aquosis & umbrosis locis. Foliis circa caulem plantaginis aut nucis iuglandis similitudine erumpit, aliquatenus rubentibus, acuminatim à caule medio cacuminibusq; prodeuntibus, quæ breuioribus crenis serrata uisuntur, scapo inani, fistuloso, binûm cubitorum altitudine, leni, geniculato, non iugi serie, sed interuallis maioribus foliato. Semen fundit in calycibus latum, spon

Gentiana. Entian. Bitterwurtz.

dylio ſimile, glutinoſum, ſine pondere, quod pi- C
lulis continetur lenibus, & quadantenus com-
preſsis. Radicem mittit prælongam, Ariſtolo-
chiæ longæ non diſsimilem, uliginoſam, ſed a-
maro guſtu, craſſam, inodorãq;. Vſus eius in ra
dice & ſucco radicis.

Tragus alias adhuc duas Gentianæ facit ſpe-
cies: alteram in Heluetiorum naſcentem Alpi-
bus, priori per omnia ſimilem, ſed minorem &
flore cœruleo, ſapore magis amaro: alteram ue
rò hac minorem, oblonga, amara & flaua radi-
ce, ex qua caules enaſcuntur tenues & rotundi,
binis ab imo ad ſummum, acuminatis, uiridi-
bus & tenuibus foliis caulem circundantibus,
florem in caulis ſummitate habet cœruleum, lu
cidum, tintinnabuli forma, foliis humi reptãti-
bus.

TEMPERAMENTVM.

Radix Gentianæ qualitatis eſt calidæ & ſic-
cæ.

VIRES, INTRINSECVS. D

Vſus eius nõ eſt niſi in radice. Arida radix tuſa, & cribro purgata, dra
chmæ pondere, cum æquali myrrhæ, ac duplici puluueris oculorum flu-
uiatilium cancrorum, in uino ad quatriduum pota morſis à rabido canc
medetur. Vulnus uerò apertum eſt ſeruãdum, & aceto uel aqua ſalſa ab-
luendum, impoſitis cucurbitulis, quibus uenenum exugatur. Quidam ta
men cauteria adhibent. Omnibus uenenatorum morſibus puluis radicis
duarum drachmarum pondere, cum modico piperis & arida ruta in ui-
no potus, eſt antidotum. Idem puluis Phthiſicis ex iecore aut uentriculo
laborantibus cum uino auxiliatur. Viridis radicis expreſſus ſuccus po-
tus, laterum doloribus & ruptis opitulatur. Sanguinis grumas ex lapſu,
uel caſu ex alto, diſcutit & educit. Mortuos fœtus & ſecundinam in pec
ſo radix arida ſubdita expellit.

EXTRINSECVS.

Succus Gentianæ profunda & lacera uulnera illitus ſanat. Cum lin-
teolo oculorum inflammationes reſtinguit. Vitiligines & omnia cutis ui
tia ſanat. Succus Dioſcoridi hunc in modum colligitur: Radix uiridis tu
ſa quinq; dierum ſpacio in aqua maceratur, hinc cocta colatur, ac denuò
quod expreſſum hoc modo fuerit, donec mellis craſsitiem aſſumat, eſt
coquendum.

## ARISTOLOCHIA.

Ariſtolochia

A ARistolochia, ὅτι ἀρίστη τοῖς λοχίοις, hoc est, quòd puerperis sit utilissima, ut ipse Dioscor. indicat. Gallicè, *Sarrasine*. Germa. **Osterlucei**, corrupta fortasse Græca uoce, & **Holwurtz**.

Huius tria sunt Dioscoridi genera: Rotũda, à radice rotunda sic dicta, quę fœmina dicitur: Longa à radice longa, quæ mascula: et Clematitis Aristolochia rotunda, quæ fœmina appellatur, folia hederæ similia habet, cũ acrimonia odorata, mollia, subrotũda, multis ab una radice germinibus, prælongisq; palmitibus, floribus candidis, pilei similitudine, in quibus quod rubet grauiter olet: radix rotunda, rapo similis. Latinis Malum terræ, à radicis figura. Germ. **Runde Holwurtz**. Officinæ hac destituuntur. Mense floret Iunio & Iulio. Nusquam aut rara in Germania nostra nascitur. *1. Aristolochia rotũda.* *Malum terræ.*

Alteram quoq; faciũt alij Aristolochiam rotundam, cuius folia mediam inter Rutæ et Fumi terræ formam obtinent: cuius caulicu

B ceorum pullorum calcaribus adiacet. Verùm cùm Aristolochiæ folia omnia ad hederæ formam sint rotunda, non poterit esse hæc species Aristolochiæ, sed capni potius altera species, quæ Phragmitis seu Chelidonia appellatur, ut suo loco de Capno ostẽditur, ubi picturam quoq; eius est uidere.

Aristolochia longa, quæ mascula appellatur, folia habet longiora, quàm rotunda, ramulos tenues, dodrantales, florem purpureum, grauiter olentem, qui marcescens in pyri similitudinẽ turbinatur: radicem digiti crassitudine, dodrantalem, aut etiam maiorem, colore intus buxeo, gustu amaro & graui. Nascitur passim in uineis & hortis. Græcis Aristolochia dactylitis, id est, digitalis, à digiti crassitudine. Germa. **Lange Holwurtz**. Atq; hanc solam habent Officinæ. *2. Aristolochia lõga.* *Aristolochia dactylitis.*

Tertium est genus Aristolochia Clematitis, itidem longa, ramulos habens tenues, foliis plenos subrotundis, Asaro similibus: pro Aizoo enim Asarum legendum, Valerius Cordus ostendit: flores rutę: radices longiores, tenues, corticem crassum & odoratum habentes. Clematitis dicta quasi Sarmentosa. German. **Osterlucey**. *3. Aristolochia Clematitis.*

Huius fructus putatur quibuſdam κόκκος orientis. Germa. Fiſchkörner/ C ſtupefaciendis piſcibus aptus.

Piſtolochia. Polyrrhizos.

Quartum facit genus Plinius Piſtolochiam, tenuiorem quàm tertia, denſis radicis capillamentis, iunci plenioris craſsitudine, quam Polyrrhizon, hoc eſt, multiradicem cognominant. Naſcitur in ſyluis & locis umbroſis. Floret Martio & Aprili, quo elapſo ſtatim perit.

TEMPERAMENTVM.

Calida eſt & ſicca in ſecundo ordine, & ferè in tertio, ſupra modum enim eſt amara, & ſubacris. Valent autem omnes radice tantùm.

VIRES, INTRINSECVS.

Cum Myrrha & Pipere in uino cocta, menſes, ſecundas & fœtus omnes in utero conſiſtentes, pota pellit. Saluberrimum eſt eius decoctum puerperis: facilius enim & melius huius beneficio purgãtur. Per ſe cum uino cocta & pota, cõuulſis, ruptis, aſthmati, ſingultui, rigori, lieni, lateriſq; doloribus, idq; genus pulmonis & iecoris uitijs medetur. Omnes phlegmaticos humores educit.

EXTRINSECVS.

In peſſo ſubdita menſes & ſecundas ducit. In uino cocta hulceribus putridis & uulneribus illinitur, aridæ radicis puluere poſt ablutionem inſperſo uulneri. Cum uino & melle cocta, auribus inſtillata, hulcera in ijs purgat, ac dolorem mitigat. In puluerem contuſa, ac cum Iridis radice pari quantitate mixta, carnem in hulceribus regignit, ſi purgata primùm eius decocto ſeu aqua hulcera fuerint: gingiuas & dentes expurgat. D

Recens adhuc radix tuſa, impoſita, ſpinas, aculeos & ſagittas extrahit, hulcera item ad cicatricẽ perducit. Omnibus in ſumma fluxibus tam hominum, quàm animantium medetur.

Aſclepias Vincetoxicum. Hirũdinaria.

## ASCLEPIAS.

ASclepias, uulgò Hirũdinaria, Officinis Vincetoxicum. Gallicè, *Domte ueini*. German. Schwalbenwurtz. Aſclepias ab autore. Hirundinaria à ſiliquarum forma, quæ effigiem hirundinis referunt. Vincetoxicum, quòd aduerſus toxica, hoc eſt, uenena plurimum ualeat. Ramos, ut Dioſc. deſcribit, emittit longos: folia hederæ, longa, radices numeroſas, tenues, odoratos: flores grauiter olentes: ſemen ſecuridacæ uel hedyſari. Locis naſcitur aſperis, altis & harenoſis. Floret Auguſto, ac mox in folliculis oblongis, formam hirundinis cùm dehiſcunt referentibus, ſemẽ producit, Securidacæ ſimile. Vnde Hirundinariæ nomen

A men est sortita. Nonnulli herbam eam esse uolunt, quam **Gundelreb** uocant, de qua in Chamæcisso. Verùm his & natale solum repugnat, quòd Asclepias locis asperis & altis, Chamæcissus uerò, quam nos facimus **Gundelreb**/in cultis prouenit.

TEMPERAMENTVM.

Calida est & sicca, tenuisq; substantiæ.

VIRES, INTRINSECVS.

Radix in uino cocta tormina discutit, uenenis resistit, ne cor occupẽt, si quis à rabido cane, alijsue uenenatis sit morsus. Semilibra huius radicis in albo uino noctis spacio imbuta, adq; tertiam partem decocta, ieiuno stomacho calida in lecto, subsequẽtibus sudoribus, pota, hydropicis mirè confert, ac per plantas pedum hydropem, quod experientia constat, educit.

EXTRINSECVS.

Matricis dolores insessu iuuat, menses adiuuat & emollit. Pectoris tumorem, herba cum floribus tusa, imposita sedat. Foliorum & radicis puluis putrida hulcera sanat, sicut & Aristolochia, cui, si desit, substitui potest.

## LYSIMACHIA, SALICARIA.

B

LYsimachia ab inuentore sic dicta Lysimacho: uel ab dissoluenda pugna: quia tãta est eius uis, ut iumentis inter se discordantibus iugo imposita, ad concordiam ea reducat. Vulgò à foliorum forma Salicaria. Gallicè, *Corneolle ou Chaßeboße*. German. **Weiderich** dicitur. *Lysimachia.* *Salicaria.*

Duo sunt huius genera, à florum differentia: alterũ flore purpureo. Germa. **braun Weiderich**. Purpurea Salicaria Latinis. Altera uerò flore rufo seu luteo, Germa. **Geel Weiderich**: Salicaria lutea.

Caules utraq; profert cubitales, aut etiam maiores, tenues, fruticosos, à quorũ geniculis folia exeunt gracilia, salici similia, gustum adstringentia: flores rufos, ad auri colorem accedentes, uel etiam purpu

Leonicenus & Ruellij error.

reos. Leonicenus Corneolam esse putat, qua tinctores uiridem colorem conficiunt, cui subscribit Ruellius. Verùm repugnat horum sententiæ Valerius Cordus. Quoniã Corneola herba est fruticosa. Ger. **Gilbekraut** dicta. In æditis nec aquosis locis nascens, neq; gustu magnoperè adstringens. Lysimachia autem uera in aquis nascitur. Quod insuper Ruellius eodem loco Lytrum à luteo putat factũ, & pro Lysimachia à Victruuio positum, itidem errat: est enim Lytrum seu Lutea sui generis herba, quæ aliàs Isatis & Glastum, Germa. **Weydt** dicitur, de qua suo loco. Nascitur Lysimachia in aquosis & palustribus, potissimùm ubi salices proueniunt. Floret Iunio & Iulio, ac purpurea subitò in oblongis siliquis semẽ producit: Lutea uerò decidentibus floribus, semen exiguum, Coriãdro non absimile, gustu adstringens.

Corneola. Gilbekraut.

Lytrum. Lutea. Isatis. Glastum. Weydt.

TEMPERAMENTVM.

Facultatem habet Lysimachia adstringendi & exiccandi.

VIRES, INTRINSECVS.

Decoctum foliorum hæmoptysi medetur, & uentris dolorẽ mitigat.

EXTRINSECVS.

Folia tusa in pesso unà cum succo subdita, mensium profluuia cohibent. Narium sanguinem inditus succus sistit. Vulneribus imposita sanguinis fluxum reprimit. Suffitus eius omnia uenenata, serpentes, uermes, & muscas pellit.

## SCROPHVLARIA MAIOR.

Scrophularia maior.

SCrophularia maior à curandis strumis, quas Scrophulas uocant, nomẽ habet. Maior ad differentiam minoris, quæ Chelidonij minoris appellatione uenit, de qua suo loco. Vulgò item Ficaria à curandis ficubus, Millemorbia & Castrangula. Gallicè, *Ortie puante*. Germ. **Sawwurtz/Braunwurtz / groß Feigwartzenkraut / Knollenkraut/ Fischwurtz**. Alij eandem faciunt cum Galeopsi, ob similitudinem quam cum ea habet.

Radice nascitur alba, capitata, multis ramulis & nodis: caules anguloſi terni aut quaterni è radice enascuntur, uirides: Folia habet Ozimi, per ambitum incisa, sicut in Galiopsi. Flores in summitate proueniunt concharum forma, qui in capitula clauduntur acuminata, semine, sicut in Hyoscyamo, referta. Odor grauis & amarus. Floret Iunio & Iulio. Nascitur locis aquosis & riguis.

TEMPERAMENTVM.

Calida est & sicca, estq; tenuium partium: Vnde extenuandi & discutiendi uim habet: ueluti in gustu amaritudo id ostendit.

VIRES,

VIRES, INTRINSECVS.

Semen cum uino aduersus serpẽtum & uenenatorum morsus bibitur. Lumbricos drachmæ pondere tusum expellit. Ischiadicis cum Pipere & Myrrha in uino semen auxiliatur.

EXTRINSECVS.

Contra scabiem linimentum certissimum & probatissimum confici- Scabies.
es hunc in modum: Foliis cum radice mundatis & tusis mense Maio in angusto uitro succum reconditum obstrue. Hoc succo ad linimenta contra scabiem uteris, cera & oleo pari quãtitate admixtis, & inuicem apud ignem temperatis, ut unguenti formam assumant.

Aqua stillatitia ruborem faciei extergit. Eadem, sicut & puluis Scrophulariæ, mariscas exiccat & sanat.

Semen maioris quæ circa ripas aquarum nascitur, cum melle tritum, & fronti illitum, oculorum lippitudines curat.

Succus cum sulphure & nitro auribus instillatus, dolorem mitigat.

Vulgus pecori contra uermes hanc herbam alligat.

# SION.

B

Σιον Græcis à σείειν, id est, concuti- Sion.
endo, quòd excutiendi uim habeat, siquidem calculos à renibus pellit, urinam & menses ducit. Latinis Sium & Lauer à lauando fortè, quòd Lauer.
aquis adnatum semper ijs elui gaudeat. Anagallis item aquatica, quòd flo Anagallis
re anagallidi fœminę sit similis. Gall. aquatica.
*Berle Aquaticque.* Germa. **Pungen/ Bachpungen/ Wasserpungen.** Frutex est pusillus, pinguis, rectus, foliis latis olusatro similibus, sed minoribus & odoratis. Gaudet riuulis, mẽ se florens Iunio. Valerius Cordus ex Apij dicit esse genere, German. **klein Wassermerck/** quòd Paludapio sit simile.

TEMPERAMENTVM.

Calefacit & exiccat, quod amaritudo eius immodica in gustu ostendit.

VIRES, INTRINSECVS.

Tenerum adhuc Sion, in acetaria utiliter, sicut Nasturtium, miscetur: Calculos enim, siue cruda siue cocta

comesta folia, comminuunt & excernunt. Vrinas mouent. Fœtus & mē C
ses educunt. Dysentericis prosunt.

EXTRINSECVS.

Aduersus omnis generis tumores, & sacrum ignem, folia in aceto & butyro igni tosta, & calida imponuntur. Lentigini & mulierum uitijs in facie noctu illitum, momento cutem emendat, & ramices lenit. Veterinarij ad tumores & scabiem equorum hac ipsa utuntur.

## MERCVRIALIS.

Mercurialis. Linozostis.

MErcurialis quòd à Mercurio sit inuenta, dicta, Ger. **Bingelkraut. Kůwurtz. Mercuriuskraut.** Græcis Linozostis, & Mercurij herba.

Tria sunt Mercurialis genera: Mas, fœmina, & mas syluestris.

1. Mercurialis mas

Mercurialis mas, folia habet Ozimo similia, ad helxines foliorum figuram accedētia, minora tamen, ramulos geniculatos, alarum densa & caua multa habētes: Semen iuxta folia exiguum, rotundum, geminorum testiculorum modo connexum: totus frutex est dodrantalis, & nonnunquam maior. German. **Bingelkraut/das mānlin.**

2. Mercurialis fœmina.

Mercurialis fœmina priori per oīa simil s est, nisi quòd semen fert racemosum & multū. Ger. **Bingelkraut weible.** Vtraq; hæc species Græcis Linozostis dicitur. Nascunt in campestribus, cultis, uinetisq;. Augusto semine est p ægnans. Valerius Cordus docet Phyllō & Mercurialē Dioscoridis, idem esse cum Theophrasti Arrhenogono & Thyligono, nec esse diuersas herbas, in annotationibus super caput 120. lib. 3. Dioscor.

D

Phyllon.

Arrhenogonon. Thyligonon.

3. Cynocrābe. Mercurialis syluestris, mas.

Tertia species Cynocrambe Græcis, hoc est, Canina brassica, & λινοζώστις ἄγρια ἄρρην, hoc est, Mercurialis syluestris mascula appellatur. Item Apocynon. Germa. **wild Bingelkraut/das mānlin/**

A mañlin/item Hundskől. Caulem ex se mittit dodrantalem, tenerum & subalbidum. Folia Mercuriali similia, albescentia ex certis interuallis, semen prope folia paruum, rotũdum. Nascitur in syluis, unde syluestris mas uocatur. Semen fert in Aprili, matureſcit Maio.

TEMPERAMENTVM.

Omnes Mercurialis species calidæ sunt & siccæ, in primo ordine.

VIRES, INTRINSECVS.

Prima duo genera in aqua cocta & pota calida, corpus purgant, bilẽ & phlegma educunt: saccharum ad suauiorem licebit usum admiscere. Clysteribus utiliter admiscentur, eadem quæ folia Senæ in corpore efficiunt. Tertium genus, Cynocrambe Græcis, magis ad superna quàm inferna extollit, & educit.

EXTRINSECVS.

Omnibus inflammationibus & tuberculis uiridia folia, uel per se, uel cum adipe illinuntur. Tradunt Mercurialem fœmellam, post purgationes matrici appositam, fœmellas: masculam uerò mares generare, si à purgatione in potu quoq; sumantur.

## HELXINE.

B

HElxine ab ἕλκειν, id est, à trahendo dicta, quòd semẽ eius uestes asperitate sua attrahat. Aliàs Perdiciũ, quòd Perdices ea præcipuè uescantur. Partheniũ, quòd à Minerua Periclí Athenienſium principi, somno contra præcipitia lapsusq; monstrata est. Latinis Vrceolaris, quòd detergendis urceolis uitreis conueniat. Vnde etiam uulgò Vitriolum dicunt. Vulgò Parietaria, Muralis herba, & Muralium, Item Vineago dicitur, quòd in muris, parietibus & uinetis proueniat. Quidam Sideritim uocant: sed alia Sideritis est herba.

Helxine, Parietaria. Perdiciũ. Partheniũ. Vrceolaris. Vitriolũ. Parietaria. Herba muralis. Vineago.

Helxine nascitur in parietinis, sepibus & uineis, caulículis leniter rubentibus, foliis Mercurialis herbæ hirsutis (Plinius tribuit ei folia mistæ similitudinis Plantagini & Marrubio) semine obducto caulibus, asperitate etiam uestium tenaci, quæ in lappaceis capitibus conspiciuntur. Floret mense Iulio Gall. *Parietaire*. Germ. **Tag vnd nacht/ S. Peters kraut/ & Glaskraut.**

Est & alia Helxine, quæ Cyssampelos dicitur, German. **Klein Winden/ Wedewinden/ & Zaunwinden**/ de qua suo loco, cùm de Volubili agetur.

Helxinæ Cyssampelos.

Cordus Parietariam propriè dicit **Traussekraut** appellari, ac in stillicidiis tantùm nasci. Quam uerò **Tag vnd nacht** appellant, eam esse Alsinen, in syluis prouenientem. Errorem Plinij de Helxine lib. 21. cap. 16 ubi

Trauſſekraut. Tag vñ nacht. Alsine.

Carduum

Plinij error de helxine.

Carduum eius appellatione describit, idem corrigit, ostendens ex Theophrasto ista Plinium ad uerbū desumpsisse, ac pro Ixine, quę carduus est pinea, Helxinen errore quodam legisse. Verba Plinij sunt: Helxine rara uisu est, neq; in omnibus terris: radice folioſa, ex qua media uelut malum extuberat, contectum sua fronde. Huius uertex summus lachrymam cōtinet iucundi saporis, Acanthicen mastichen appellatam. Hæc sunt uerba Plinij. C

Acanthice mastix.

TEMPERAMENTVM.

Vires ei sunt adstringendi & abstergendi, cum humiditate frigida.

VIRES, INTRINSECVS.

Veterem aridam tussim decocta in uino uel aqua, cū melle aut saccharo temperata curat. Herba in puluerem trita, pecori contra tussim & dyspnœam datur. Decoctum eius iecoris, splenis & renum obstructiones soluit, internos meatus, ac præsertim matricem, purgat. Tormina matricis sedat, urinam & menses ciet. Similes habet uires aqua stillatitia. Herba cum melle gargarizata, colli inflammationem & exulcerationem sanat.

EXTRINSECVS.

Succus aurium doloribus medetur: erysipelata, inflammationes, œdemata & adustiones, illitus idem, uel aqua ipsa stillatitia, reprimit & restinguit. Cum ceruſſa præstat eadem: insuper fluenti scabiei, papulis, serpigini illinitur. Infantium lauacris commodè immiscetur. Cum Nasturtio aquatico in uino tosta uesicæ impositа, urinam ciet: tormina uentri impo D sita, non obstante obstructione aliqua, sedat. Cum farina fabacea, malua, & candido furfure, in oleo & uino tosta, tusos lacertos, neruos, & musculos illita sanat.

## ELATINE.

Elatine.

ELatine Græcis, Germa. **Klettenkraut** / & **Erdwinden.** Ex Helxines est specie, præsertim eius quæ Cyssampelos dicitur. Folia habet Helxine minora rotundioraq;, pilosa, tenuibus & semipedalibus ramulis, quinis seniſue ab radice statim folioſis, gustu adstringentibus, nascitur locis cultis & in segetibus. Atq; hæc est uera Elatine, cuius figurā hic exhibemus. Alij hanc Chamæcyssum faciunt, quæ Germa. **Gundelreb** dicitur, sed non satis commodè, foliorum & ramulorum descriptione reclamante. De Chamæcysso suo loco agitur.

Elatine non est Chamæcyssus.

Chamæcyssus.

TEMPERAMENTVM.

Temperamenti est frigidi & sicci, quod acerbitas in gustu demonstrat.

VIRES, INTRINSECVS.

Cum uino rubro cocta, intestinorum ex dysente-

ria

A ria affectionibus medetur: alui fluxus & dolores, ad dies aliquot pota, cohibet. Putridis oris hulceribus cum uino gargarizata prodest.

EXTRINSECVS.

Viridis herba tusa fronti imposita, æstum & inflammationem, item fluxus oculorum sistit.

# BETONICA.

B

BEtonica seu Vetonica, à Vetonibus, teste Plinio, in Hispania, à quibus est inuēta, nomen habet. Græcis Cestron à multiplici eius in remedijs usu dicitur. Κέστρον enim Græcis teli genus est. Itē Ψυχότροφον, quòd in locis nascatur frigidis. Offici. Betonica. Italis Serratula, à foliorum incisuris. Gall. *Betoine*. Germ. **Betonien/braun Betonien**. Herba est, teste Dioscoride, caule tenui, cubitum uel eò amplius procero, quadrāgulo, folijs longis & mollibus, frondis quernæ modo per ambitum serratis, ad radicē maiusculis, odore iucundo. Summis in caulibus semen spicatum inest quasi thymbræ: radices subsunt exiles, ut Veratri. Nascitur in pratis, mōtosis, frigidis & opacis locis: florem fert Maio et Iunio. Alteram Betonicæ speciem alij faciunt, quæ uulgò Herba tunica, & Germa. **Graßblūmen oder Neglin blūmē** dicitur, ab huius descriptione prorsus diuersam, de qua suo loco dicetur, capite de flore Garyophyllorum. Est etiam Betonica alba, de qua in Verbasco, Germa. **Schlüsselblūmen**.

*Vetonica.*

*Cestron.*

*Serratula*

*Herba tunica.*

*Graßblūmen.*

*Betonica alba.*

TEMPERAMENTVM.

Calida est & sicca in ordine primo completo, aut in medio secundi.

VIRES, INTRINSECVS.

Betonica unà cum floribus in uino decocta, singultientibus, cruditate stomachi & ructu laborātibus acido, est utilis. Idē potest stillatitia aqua, aut cōfectio florum cū saccharo: siue puluis aridæ herbæ per se uel cum melle sumptus. Matricis affectionibus plurimū cōfert. Omnibus in summa internis corporis passionibus, quocunq; modo sumpta, est salutaris. Stomachi, iecoris, lienis, renū, uesicæ, matricis obstructionibus, humoribusq; noxijs educendis prodest. Iis qui uenenum se hausisse uerent, puluis Betonicæ cū uino, drachmæ datus pōdere, noxium omne per urinā et sedes educit. Ictericos non parum adiuuat Phreneticis, comitialibus, paralyticis, & ischiadicis in aqua decocta utiliter bibitur.

Phthisicis

Phthisicis & peripneumoniacis, tussientibus, dyspnœa laborantibus, C hydropi uicinis, & febribus uentriculi putridis, folia & flores in aqua mulsa cocti, & calidi per dies aliquot poti, mirè auxiliantur.

EXTRINSECVS.

Capitis dolorem, cum linteolis Betonicæ aqua illita, sedat: oculorum simili ratione dolores mitigat. Viridia folia tusa uel cocta capitis imposita uulneribus, ea conglutinant & sanant, aculeos cranio infixos extrahunt. Aurium dolores, auribus immissus eius uapor compescit. Putredini & dolori dentium, in uino & aceto cocta folia, prosunt. Cum uino rubro optimo trita aut cocta folia, serpentum, uenenatorum, & canis rabidi morsui illita, uulnere prius decocto eius purgato, præcipuum adferũt remedium. Podagræ & articulorum doloribus, idem illitum fert opem.

## VERBENA.

Peristereon. Colũbaris Colũbina. Hierobotane. Sanguinalis. Verbena.

VErbena Græcis Peristereon, hoc est, Columbaris seu Columbina, quòd columbæ ea maximè gaudeant, dicta est. Hierobotane item, hoc est, herba sacra, quòd hac Iouis mensa uerrebatur, domus purgabatur lustrabaturq;, fæciales ad fœdera coronabantur: uel quòd in expiationibus suspensa mirè sit utilis. Eadem Sanguinalis, quòd præcipuum honorem haberet inter sagmina, hoc est, gramina è sacro loco, præsertim ex Capitolio cum terra sua euulsa. Officinis Verbena & Verbenaca. Gallicè, *Verueine*. German. **Eisenkraut/Eisenhart.**

1. Verbena recta seu mas.

2. Verbena supina seu fœmina.

Crista gallinacea.

Duo sunt eius genera: Alterum quod Dioscor. rectam, Plinius uerò marem appellat: recta à rectis dicta ramulis: Alterum uerò quod supinam Dios. à foliis humi supinè procumbentibus, Plinius uerò fœminam nominat.

Verbena recta seu mas, altitudinis est palmi, aliquando etiam maioris, foliis incisis, subalbidis ex caule, quem unum ex magna parte, sicut & radicẽ unam, habet, prodeuntibus: flore luteo. Hęc aliàs Crista gallinacea, à foliorum incisuris, in modum cristę gallinaceæ, appellatur. Germ. **Eisenkraut/das mañlin/& Hanenkamp.**

Verbena supina seu fœmina ramos habet cubitales, aliquando maiores etiam, angulosos, circa quos per interualla sunt folia, quernis similia, sed angustiora & minora, per ambitum incisa, colore subcæsio. Radix est oblõga & tenuis. Flos purpureus, ac tenuis. Ger. **Eisenkraut/das weible.** Germanicam uerò appellationem à ferro traxit, quòd ad ferrum indurandum sit eius usus.

Nascitur

A Nascitur utraq; locis aquosis. Colliguntur circa canis exortum, potissimùm fœmina.

Tertiam Verbenæ speciem Tragus addit, quam fœmellam ipse propriè appellari dicit, reliquas supinam & rectam nominans, de qua inter Sinapis species est dictum. 3.

TEMPERAMENTVM.

Sapor Verbenæ est amarus & adstringens. Vnde calidæ & siccæ est naturæ, adstringentisq;.

VIRES, INTRINSECVS.

In uino decoctam Verbenam omnibus penè internis corporis affectibus mederi ferunt: iecoris & renum pulmonisq; obstructiones soluere. Eadem stillatitiæ aquæ uires adscribunt: uenenis resistere, ictericis prodesse.

EXTRINSECVS.

Erysipelati cum aceto tusa illinitur. Cummelle uulnera glutinat. Cum ueteri porcina axungia trita, dolores & tumores in genitalibus mulierum locis sedat. Aquam stillatitiam temporibus & fronti illitam phrenesin sanare affirmant. Eadem oris hulceribus est utilis. Marisças aliaq; cutis uitia purgat. Occultorum membrorum affectionibus commodat.

B Altera species, quam Cristam gallinaceã uocant, serpentes & uenenata animalia, sicut Conyza, fugat. Ad uetera quoq; exedentia uulnera adhiberi potest.

## PERA PASTORIS.

PEra pastoris, à folliculis peræ effigiem referentibus, nomen est fortita. Vulgò Bursam pastoris uocant. Quam apud Græcos uel Latinos nomenclaturam teneat incertum. German. Seckelkraut / Deschelkraut / & Hirtensecke l. Gall. *Bourse à Pasteur*. Multis tamen alijs quoq; herbis nomen hoc attribui potest, ut Thlaspidio. *Pera pastoris.* *Bursa pastoris.*

Duo sunt huius genera: Maius & minus. Herba est, ut eam describit Ruellius, pede non facilè altior, ramosa, paruis circa caulem erucæ foliis, flore albo, semine in uulgis minuto, radice numerosa, tenui & alba. Prope uias & in parietinis passim nascitur. Iunio floret & Iulio. 1.

Minor priori foliis & uulgis est similis; sed 2.

folia primùm in terra, ſtellæ forma ſe explicant: caulem habet nudum: C uulgi quibus ſemen ineſt nucleis melonis ſunt ſimiles. Floret Maio, locis potiſsimùm aridis & harenoſis. Inodora & inſipida eſt utraq;.

### TEMPERAMENTVM.

Vires habet refrigerandi & adſtringendi.

### VIRES, INTRINSECVS.

Arida folia in uino rubro uel aqua pluuia, in qua chalybs eſt extinctus, cocta, alui fluxus ſedant, ſanguinem mingentibus proſunt: nimios menſium fluxus cohibent, omnibusq; internis corporis uitijs medentur. Ad eadem ſalutaris eſt aqua ſtillatitia, per dies aliquot pota.

### EXTRINSECVS.

Succus naribus inditus, ſanguinis earum fluxum ſiſtit: recentia uulnera purgat.

Tradunt manu detentam herbam, donec caleſcat, ſanguinem narium & uulnerum cohibere.

Verbaſcũ Phlomos. Candelaria. Tapſus barbatus. Candela regis. Lanaria.

1. Verbaſcũ candidum fœmina.

## VERBASCVM.

VErbaſcum Græcis Phlomos, quòd caulibus eius pro ellychnijs utantur, qua ratione Candelariam hodie uocant. Officinis Tapſus dicitur barbatus. Nonnullis etiam Cãdela regis, & Lanaria. Germanis **Wullkraut / Kertzenkraut / Vnholdẽkertz / Himelbrant** / & **Breñkraut / Königskertzen / Feldtkertzen**. Gallis *Beillen*.

Species eius ſunt multæ: Præcipua tamen duo omnium teſtimonio habet genera: candidum & nigrum. Candidi duæ ſunt differentiæ: mas & fœmina. Verbaſcum candidum fœmina folia Braſsicæ habet ſimilia, hirſutiora tamen multò, latiora, & candida. Caulem habet cubitalem & ampliorem, candidum, ſubhirſutum: flores albos & ſubpallidos: ſemen nigrum: radicem longam, acerbam, digiti craſsitudine. German. **Weiß Wullkraut / mãñlin.**

Candidum

Candidum mas foliis est oblongioribus & angustioribus, caule tenui, in reliquis fœminæ simile. Græcis à foliorum candore Leucophyllon dicitur, Germ. **weiß Wullkraut/weible.** 2. Verbascũ candidum mas.

Verbascum nigrum candido est per omnia simile, nisi quòd folia habet nigriora & latiora. **Schwartz Wullkraut.** 3. Verbascũ nigrum.

Præter hæc est etiam syluestre, uirgas ferens altas arboreſcentes, folia Saluiæ similia, ramulis circa uirgas, Marrubij modo, flore luteo, auri fulgore, Germa. **wild Wullkraut.** 4. Verbascũ syluestre.

B

Sunt pręterea & Verbascula duo, quasi paruæ Verbasci species, quæ hodie herbæ paralysis, & arthetice uulgo dicuntur, pro Arthritice. 5.

Nõnullis Primulæ ueris dicuntur, de quibus suprà: itẽ Betonica alba. Ger. **Schlüsselblũm.** Alterum odoratũ, Germa. simpliciter **Schlüsselblũm/** uel **geel Schlüsselblũm/ Hímelschlüssel/ oð S. Peters**

ſchlüſſel. Alterum non odoratum, German. **wild Schlüſſelblümen.** C

6. Hirſuta ſunt utraq;, terræ inhærentia, humiliáue, foliis rotundis & multò minoribus, rugoſis, è quibus mediis ſtylus exit tenuis, palmi altitudine, incanus, in cuius uertice terni, quaterni, aut plures etiam, dependẽt flores lutei, ſummis labris denticulati, in altero odorati, in altero inodori, calyculo in album palleſcente.

7. *Verbaſculam. Lychnitis. Thryallis* Tertium quoq; additur Verbaſculum, quod Lychnitin aut Thryallida uocant, & Lychnin coronariam, foliis ternis aut etiã quaternis, pluribuſue, craſsis, pinguibus, hirſutisq;, quibus pro ellychnijs utuntur, floribus purpureis. German. **Frawenröſlin/Marien röſlin/Mergenröſlin/Sammetroſen/Damaſten roſen/Campeloſen.** Geſnerus Iouis florem ſeu Dioſanthon facit. Cuius meminit Ruellius lib. 2. cap. 135.

8. *Verbaſculum montanum.* Enumeratis his Verbaſci ſpeciebus, duę adhuc adduntur. Altera in ſyluis & montoſis creſcens, foliis mollibus & canis, reliquis multò minoribus, è cuius medio flos erumpit Cyano ſeu flori frumẽtorum per omnia ſimilis, ſed maior & plenior, caule palmũ uix alto. Latinis ob folia mollia Verbaſculum dici poteſt montanum. Germa. **Wald Kornblümen.**

Altera

Altera uerò Verbasco etiam similis, quæ pro ea capta sæpe fallit, quæ abiecta blattas in se contrahit, ideoq; Blattaria uocatur, foliis minus cãdidis, cauliculis pluribus, flore luteo. Germanis **Goldknöpfflin / Schabenkraut / Mottenkraut.** Florent & carpuntur Verbasci species autumno. Verbascula autem duo florent uere, suntq; eius nũcia, Vnde quibusdam Primulæ dicuntur Veris. Nascuntur candidum & nigrum locis campestribus syluisq;. Syluestre aridis & asperis, campestribusq; potissimũ. Verbascula in pratis passim hortisq;. Lychnitis in campestribus similiter. 9. Blattaria.

TEMPERAMENTVM.

Omnibus idem est effectus, uiresq; pares: Vnde distingui ea generibus, superuacuum ait Plinius. Vis ijs inest desiccandi detergendiq;.

VIRES, INTRINSECVS.

Radix Verbasci maioris in uino rubro, uel si febris adsit, in aqua cocta, diarrhœam sistit.

B Decoctum eiusdem ruptis, conuulsis & antiquæ tussi auxiliatur: uesicæ renumq; obstructiones soluit.

Radix, teste Plinio, cum ruta ex aqua contra scorpiones, magna amaritudine, sed pari effectu bibitur. Tonsillis priuatim in aqua potum medetur. Syluestre Verbascum tribus obolis bibitur cõtra omnia pectoris uitia, tussim, & purulenta excreantibus. Tanta eius uis, ut iumentis etiã non tussientibus modò, sed ilia trahentibus auxilietur potus. Confectio ex Verbasculo odorato mirificè prodest ijs, qui uiribus omnibus sunt exhausti, ac crebras patiuntur syncopes. Eadem cum Verbascis possunt Verbascula, quod uel temperamentum ipsorum satis ostendit.

EXTRINSECVS.

Verbascum in aqua decoctum, præcipuum contra inflãmationes oculorum, podicis, omniumq; corporis partium, & podagram æstuantem est remedium, calidum illitum, uel insessu. Aqua stillatitia uel oleum inde expressum ijsdem sunt prædita uiribus. Oculorum fluxus instillata sedat. Faciei ruborem extergit: erysipelati auxiliatur. Fluentem & mordẽtem corporis scabiem aqua stillatitia cum linteolis illita sanat.

Folia eius ficubus imposita, incorruptas & à putrefactione immunes conseruare tradit Dioscorides. Verbascula eadem possunt. Trita imponuntur articulorum doloribus: decoctum eorum aduersus rupta, luxata, & liuentia illinitur.

Succo Verbasculi odorati ex floribus expresso, mulieres faciem illinunt, ut maculas rugasq;, & alia eiusdem uitia mirificè detergant.

# ASPARAGVS.

1. 2.

ASparagus seu ἀσφάραγος, quasi dicas ἄσπερ φάρυγξ, id est, gutturis fastidium, quòd semen dentibus accommodatum fastidium pariat, ut quorundam est sententia. Dentium enim dolori medetur.

Duo genera facit Dioscorides: Syluestre & satiuum. Syluestris Asparagi descriptionem, ut notę herbæ, relinquit. Satiui ponit descriptionem. E radiculis mense Maio, ut optimè depingit Tragus, thyrsus primùm, lupuli enascentis similitudine, exilit, cacumine in torulos turbinato, quod tandem increscens in ramos prægrandes explicatur, quibus insunt folia, capillamenti modo, et ut fœniculi tenuia, quæ uetustate coalescunt in spinulas. Florem fundit paruulum, quo decusso baccæ dependēt primùm uirides, quę tandem maturitate rubescunt, seminibus refertæ. Radices spongiosæ, longę & rotundæ. Thyrsi seu coliculi primùm emicantes gulæ apparantur. Officinæ Asparagū nominant. Gall. *Esperge*, Germa. **Spargen.**

*Asparagus. Coruda. Orminon.*

Syluestrem Asparagum Corudam uocat Dioscor. Attici Orminon. Est autem & aliud Orminon, de quo suprà, quod German. **Scharlach** dicitur. Nascitur satus in hortis, & sponte nonnunquam in locis asperis.

## TEMPERAMENTVM.

Abstergit citra manifestam caliditatem aut frigiditatem.

## VIRES, INTRINSECVS.

Decoctus in iure, aceto, sale & oleo conspersus, in summis est delitijs, quemadmodum & lupulus dum est tener. Aluum hoc pacto emollit, pectus purgat, urinam mouet, genitale semen auget.

Radix in uino cocta iecoris obstructiones aperit, regium morbū pellit, prodest nephriticis, ischiadicis, & doloribus uesicæ: seminis aut foliorum decoctum eadem præstat. Ictericis cum ficubus & cicere radix decocta subuenit. Arida radix in uino cocta, dysenteriam sedat, & urinam utilissimè ciet. Non autem semper stomacho utilis est, sed garo & oleo conditus, cùm mediocriter coctus fuerit.

EX-

Minutim scissa & contusa radix in uino decocta, luxatis imposita auxiliatur. Nephriticis item dicto modo imposita confert.

Decoctum dente retentum, eius dolorem mitigat.

Asparago trito cum oleo perunctum pungi ab apibus negant, ut tradit Plinius.

B

## ARNOGLOSSVM.

ARnoglossum, id est, Lingua agni, à forma. Latinis Plantago, à planta. Quibusdam Polyneuros, à neruorū multitudine. Gallicè, *Plantain*. Germa. **Wegerich/Schaffzung.** *Plantago Polyneuros.*

1. Duo recenset eius genera Dioscorides. Maius, foliis crassioribus, uegetioribus, latioribus, & betaceis: caule anguloso, cubitali, subrubro: semine tenui à medio ad uerticem usq; circundato flore in spica luteo, nonnunquam herbaceo: radice tenera, hirsuta, candida, digitali crassitudine. Nascitur circa sepes, aggeres & prata, locis tamen potissimùm palustribus. Græcis ἑπτάνευρον, id est, Septineruia, à septenis neruis seu fibris, quæ in foliis apparent. Germ. **Groß oder breyter Wegerich.** *Septineruia.*

2. Minus, quod angustiora, minora, molliora, leuiora, et tenuiora folia habet, caule anguloso, in terram inclinato, flore pallido, semine in summis caulibus. Iisdem quibus primum genus locis nascitur. Græcis Pentaneuron, id est, Quinqueneruia, à fibrarum numero. Officinis Lanceolata, à foliorum acumine. Germa. **Klein oder spitz Wegerich/Roßripp/** à costæ equinæ similitudine. Vtriusq; herba & flores Maio & Iunio, semẽ uerò Augusto colligitur. *Quinqueneruia. Lanceolata.*

Est & tertium Plantaginis genus, quod refert Tragus, substantia tenuiore quàm primum, folio rotundiore, sessili, in formam stellæ, & hirsuto, colore cinereo, fibris septem distinctum, & uirescens per hyemem, nomine cum primo eodem.

3.

4. Plantago aquatica.

Quartum etiam addit Plantaginem aquaticam, foliis minoris Plantaginis, caule procero & ramoso, flore in summo exiguo, &

candido, sicut in Limonio. Germa. **Wasserwegrich / Froschlöffelkraut.** Alij malè Alisma uocant, ut capite de Alismate ostenditur.

TEMPERAMENTVM.

Mediocriter siccum est & frigidum. Vnde maximus eius in medicamentis usus. Refrigerat simul & desiccat.

VIRES. INTRINSECVS.

Recentia folia cum aceto & sale cocta, cœliacis & dysentericis prosunt: idem præstat semen eius & puluis sumptus. Commodior est aqua stillatitia: excreantibus & mingentibus sanguinem, phthisicis item auxiliatur. Radices eius tres in uino coctæ, febri tertianæ, quatuor uerò quartanæ resistere traduntur. Efficacius tamen hoc præstat aqua stillatitia, cyatho eius ante febris inuasionem sumpto: menses quoq; cohibet, omniaq; interna corporis uitia sanat. Eadem præstat succus eius, aliquot diebus potus.

EXTRINSECVS.

Phrenesin succus uel aqua eius illita compescit. Oculis instillatus succus, inflammationes eorum sedat, purgatq;. Auditum auribus infusus restituit.

A ſtituit. Oris ac gutturis hulcera emendat, ſi os aqua eius colluatur. Liche nis malo trita medetur: fiſtulas, carcinomata, carbunculos, intertriginē, aliaq; uitia purgat ac ſanat. Cum Aizoo temperatus ſuccus ſiue aqua, ery ſipelata, aliasq; inflammationes reſtinguit. Strumis pellendis collo à non nullis ſuſpenditur. Plurimum præ aliis herbis in diſcutiendis tumoribus reſtinguendisq; inflammationibus pollet Plantago aquatica.

## CYNOGLOSSVM.

B

Cynogloſſum, Latinis Lingua canina, Germa. Hundszung. Herba eſt, ut Dioſcor. deſcribit, Plantagini latifoliæ ſimilis, foliis anguſtioribus, minoribusq; & lanuginoſis, ſine caule, humi ſtrata locis fabuloſis. Et eſt uera Cynogloſſa, quam Officinæ habent, quod tamen Ruellius & alij negant, propterea quòd Dioſcorides ſine caule naſci ſcribit. Officinarū uerò Cynogloſſum caulem habet. Sed his facile eſt reſpondere: Videmus enim paſsim ſine caule eandem, teſte etiam Cordo, naſci: rurſus tē poribus quibuſdā, ut idem ſcribit, caulem, purpureos flores, & poſt hos minutas lappas producere, quas Plinius etiam eidem tribuit. *Cynogloſſum.* *Lingua canis.* *Hundszung.*

Sunt autem duæ Cynogloſſæ ſpecies: Maior & minor, nō alia ratione, niſi magnitudine tantùm differentes. Circa uineta paſsim Iunio & Iulio florent.

### TEMPERAMENTVM.

Refrigerat & exiccat in ſecundo ordine.

VIRES.

Decoctum radicis cum uino manè & uesperi potum, aluum emollit. Dysenteriæ prodest. Gomorrhœę & destillationibus medetur. Vnde catapotijs, quorum nomẽclatura est, aduersus omnes catarrhi morbos, aut de Cynoglosso, admiscetur. Tosta in cinere radix, obducta farina, seu fermento, marisćis intra corpus miro est auxilio.

EXTRINSECVS.

Omnibus uulneribus, hulceribus, scabiei Hispanicæ, & similibus morbis medetur Cynoglossum, siue succus eius, aut aqua stillatitia.

Vnguentis ad eosdem miscetur effectus. Coquitur autem cum melle rosaceo, post coctionem resina terebinthina admixta.

Cum adipe porcino tostum, morsui rabidi canis medetur, & alopecias capiti illitum capillis explet.

## ECHIVM, BVGLOSSVM Officinarum.

ECchion Græcis, quòd contra ferarum ictus ualeat: uel quòd capitulis uiperæ similibus floreścat. Latinis Alcibiacum. Vulgò Syluestre Buglossum. Gall. *Langue du bouc.* Germa. **Wild Ochsenzung.**

Tres habet species: Satiuum seu Germanicum, syluestre & Italicum.

1. Folia habet, ut Dioscor. describit, oblonga, aspera ac tenuia, anchusæ proxima, minora tamen pinguiaq;, aculeos foliis habet adiacẽtes exiles, cau- D

liculos

A liculos tenues, multos, ac utrinq; foliola tenuia, pennata, nigra, minora proportione ad cacumen caulis. Iuxta folia flores sunt purpurei, in quibus semen uiperino capiti simile. Radix digito exilior, subnigra. Nascitur ubiq; circa itinera & loca aspera. Florem fert mense Iunio. Est autem Echion omnino sylvestris illa Buglossa, quã simpliciter Pharmacopolæ Buglossam hodie appellant. Cordus ostendit Leonicenum & post hũc Ruellium non satis commodè Cyrsion seu Crysion esse Buglossam hanc, tradere.

*Echion est Bugloßũ Officinarum.*

*Cyrsion non est Bugloßũ.*

B

Alterum est etiam Echiõ 2.
priore minus nigrioribus in purpura floribus, pinguibus nascens aruis, aliàs prædicto simile.

Tertia species Italica. Ger 3.
ma. **Welsch Ochsenzung/** Germanico per omnia similis, sed maiora omnia & copiosiora habens: radicem quoq; grãdiorem, & caules plures.

TEMPERAMENTVM.

Calidum est, sed citra ignem siccitatem: siquidem lac generat.

VIRES. INTRINSECVS.

Folia, radix uel semen Echij, per se singula, uel in uino cocta simul, uenenum à corde pellunt. Aqua stillatitia, & saccharum de flosculis Echij, cor confortant, melancholiam pellunt, sanguinem purgant, febribus æstuantibus prosunt. Tusum semen in uino potum, lac mulieribus generat.

EXTRINSECVS.

Venenatorum morsibus & ictibus aqua stillatitia pota & uulneribus infusa, impositis eiusdem foliis, est adiumento. Oculorum inflammationes florum aqua restinguit. Lumborum doloribus, folia, radix uel semẽ, tusa, & in uino cocta, calida imposita, prosunt.

SIRVPVS

## SIRVPVS DE SVCCO BVGLOSSAE Officinarum.

Sirupus de ſucco Bugloſſæ Officinarum, cor confortat lætitiamq; generat. Conficitur hunc in modum:

Recipe ſucci Bugloſſæ depurati lib. viiij. ſacchari lib. iiij. Florum Bugloſſæ recentium lib. j. Flores tuſi coquantur in aqua, & colatura prioribus affuſa ſimul ad perfectionem coquatur. Sed quia ſuccus Bugloſſæ difficulter exprimitur: fit enim mucilago dum tunditur: ideo tuſa per noctem in frigido loco relinquenda eſt, & poſtridie exprimendus ſuccus, ac cum albuminibus ouorum clarificandus.

## BVGLOSSVM, SEV BORAGO.

Bugloſſũ. Borago.

Echion.

Bugloſſũ uerum.

Corago. Bugloſſũ Officinarum.

BVgloſſum, Latinè Lingua bouis, ſeu Bubula, à foliorum forma. Vulgò Borago. Germa. **Burretſch**. Herba eſt, deſcribente Dioſco, Verbaſco ſimilis, folio in terram depreſſo, aſpero, nigriore, & bubulæ linguæ ſimili: flore cœruleo, & ſpecioſo, ſtellæ effigie. Multi putant Bugloſſum Dioſcoridis eſſe Echion. Verùm Echiõ eſt ſyluestre Bugloſſum. German. **Wild Ochſenzung**/ quæ hodie pro Bugloſſo Officinis accipitur. Verum autẽ Bugloſſum eſt cuius deſcriptio eſt poſita, quam Boraginem uocant. Dicitur & Corago. Quam uerò Officinæ & uulgò Bugloſſam uocãt, Germani autem **Ochſenzung**, eſt Echion, ut præcedente capite eſt oſtenſum. Locis naſcitur planis & ſabuloſis, ac in hortis paſſim. Menſe carpitur Iulio.

### TEMPERAMENTVM.

Naturæ eſt Bugloſſum humidæ & calidæ. Vrinam cit: ſitim ſedat.

### VIRES. INTRINSECVS.

Melancholicis ac languentibus, in cibo cum Spinachia Bugloſſum eſt ſaluberrimum, flore in potũ etiã iniecto. Quod tres habet caules tertianæ, quod uerò quatuor, quartanæ conferre febri fertur, in cibo aut potu ſumptũ. Aqua ſtillatitia & ſaccharum de floribus confectum, ad omnes febrium ægritudines ſunt utiliora ac commodiora. Vino iniectum hilaritatis ac lætitiæ cauſam præbere creditum, inquit Galenus. In melicrato coctum, ijs qui ob aſperitatem faucium tuſsiunt, prodeſt. Caules cocti, & crudi comeſti, iecoris affectibus ſunt ſalutares.

### EXTRINSECVS.

Aduſti Bugloſsi cinis, mulſa temperatus, inflammationibus & hulceribus oris, colli, linguæ, & gingiuæ, plurimum confert, ſi os frequẽter eo colluatur.

A colluatur. Reliquas eius uires in Echio require: Eaſdem enim uires poſſi dent, alterumq; in alterius defectu ſubſtitui poteſt.

## SIRVPVS DE SVCCO BORAGINIS.

Sirupus de ſucco Boraginis cor roborat, eiusq; tremorem & ſyncopē ſanat, manicos & melancholicos iuuat. Conficitur autem hunc in modum: Recipe ſucci Boraginis depurati lib. viij. ſacchari deſpumati lib. iiij. Coquantur aliquandiu. Deinde, Recipe florum Boraginis recentiū lib. j. Contundantur aliquantulum & coquantur in aquæ quantitate ſufficienti, & colaturam prædictis affunde, fiatq; ſirupus.

## SYMPHYTVM.

B

SYmphytum Græcis, ab inſigni conſtringendi ui & glutinandi. Latinis eadem ratione Conſolida, & Solidago. *Solidago.*

Duo facit Dioſcorides genera: alterum Petræum, alterum Symphytum magnum, quod Symphytum alterum Dioſ. appellat.

Symphytum magnum, Latinis Conſolida maior, & Vnctuoſa. Gal. *Conſyre.* Germa. **Beynwell/Wallwurtz/Schwartz wurtz/Schmerwurtz.** Naſcitur locis aquoſis paluſtribusq;, caule cubitorum bi-nūm aut maiore, anguloſo, inani, ut Sonchus, & craſſo, qui per breuia interualla circundatur foliis lanuginoſis, oblongis, anguſtis, ſicut bubulæ linguæ: ab angulis pinnæ prominent, & in ſingulis alis folia quędam tenuia, ceu annexa cohæreſcūt, in quibus flores lutei, rutaceis ſimiles, exeruntur, & ſemina Verbaſci. Caulis uniuerſus & folia quandam lanuginem alunt aſperam modicè, quæ ipſo attactu pruriginem ciet. Radix extrà nigra, intus candida, glutinoſa, in qua medica uis ineſt. *Symphytum magnum. Conſolida maior. Vnctuoſa*

Quod autem quis, ut monet Fuchſius, de flore obiicere poterit, quem Dioſcor. facit luteum, in noſtra uerò Conſolida eſt alius, nimirum ſubruber aut leniter purpuraſcens, huic cum Fuchſio reſpondemus, flores nihil obſtare, cùm multas herbas conſtet pro loci natura colorem ſæpe mutare, ut ipſe de Bugloſſo exemplum adducit. Sic etiam noſtra Conſolida in Germania florem fert ſubrubrum, aut etiam candidum. Nonnulli Inulam uocant ruſticam, alij Alum Gallicum. Floret per æſtatem integrā. Radix autumno uellitur. *Inula ruſtica. Alum Gallicum.*

2. Symphytum petræum. Alum Plinij.

Symphytum petræum in ſaxis naſcitur, unde cognominatum eſt. Plinius & Apul. Alum appellant. Latinis Conſolida petræa. Officinæ Germaniæ hoc carent. Germa. **Steyngunſel**. Naſcitur, Cordo teſte, Aſciburgi, duobus à Brunſuico miliaribus. Ramos habet tenues, paruos, origano ſimiles, florem cœruleum, exilem in capitulis thymi: totum eſt ſurculoſum, odoratum, guſtu dulce, ſaliuam ciens, radice longa, ſubrufa, digitum craſſa. Tragus dubitat de hac ſpecie, an Dioſcoridis Symphytum ſit Petræum, quandoquidem deſcriptio non per omnia cum Dioſco. cõueniat. Quid autem Symphytum petræum ipſe exiſtimet, dicetur infrà.

3. Oſteocollon. Polygonion. Talantiõ.

Eſt & Symphyton quoddam in ſaxis & montibus creſcẽs, quod Medici Polygonion, Macedones Oſteocollon, alij Talantion, uulgò Symphytum uocant. Oſteocollon quaſi dicas, Oſsium gluten, quòd oſſa fracta ferruminet, ac carnes diſſectas, ſi unà coquatur, coaleſcere faciat. Viret perpetuò, uidua foliis, ramulis penſilibus inſtar iunci, cirroſis, tenuioribus procerioribuſq; ſparto ſimilibus.

4.

Præterea herba eſt, cuius plurimus in ſanandis uulneribus eſt uſus, quam uulgò Conſolidam mediam, Symphytum medium, ſeu Solidaginem mediam, Ger. **Gulden gunſel** appellãt, in pratis paſſim naſcens, caule quadrãgulo, lanuginoſo, ex quo per interualla folia bina ex ſingulis geniculis, laciniata, menthæ ſimilia, emicãt: à medio caulis ad faſtigiũ uſq;, ex ſingulis foliorũ alis, flores ſex uel ſeptem. Maio potiſsimùm menſe, in purpureo cœruleo exeũt. Radix lignea, multis capillamẽtis fibrata.

Alijs quoq; plantis Conſolidæ nomẽ tribuitur. Vt Conſolida regalis, Germa. **Ritterſporn**. Conſolida minor, quæ Sanicula, & Cõſolida minima, uidelicet Bellis, ſeu Primula ueris. Conſolidã quoque mediam multi appellant eam, quæ Prunella aliàs appellatur.

### TEMPERAMENTVM.

Calfacit, exiccat & contrahit modicè, in ordine ſecundo.

### VIRES, INTRINSECVS.

Eędem, teſte Galeno, utriuſq; Symphyti ſunt facultates & uires. Radices tritæ & potæ in aqua mulſa, cruenta expuentibus, ruptiſq; proſunt, quæ in pulmone ſunt expurgãt. Renũ dolorib. cũ aqua dat. Ad dyſenteriam & rubra fœminarũ profluuia in uino decoctũ bibitur. Ad conuulſa & rupta ex aceto mulſo ſumitur. Manſum ſitim extinguit, & arteriæ aſperitatem ſanat.

### EXTRINSECVS.

Illita radix recẽtia uulnera glutinat. Inflãmationibus, ſedis potiſsimũ, cum Senecionis foliis utiliter illinitur. Inteſtinorum ramices illitum coërcet. Panta uerò eius in glutinando uis eſt, ut carnes etiam ſi unà coquatur glutinet.

SCA-

# SCABIOSA.

B

SCabiosa ab effectu dicta. Vnde & German. *Scabiosa.* **Apostemen/ & Pestemenkraut** appellatur. Gall. *Scabieuse.*

Quatuor Tragus numerat huius genera. Primum caule assurgit bicubitali, rotundo, folia habet carnosa, erucæ modo laciniata & multifida, subhirsuta, aculeis tamen carentia: flores speciosos, diuturnos, latos in pilei formam, multis foliolis compactos, in nonnullis purpureos, in aliquibus uerò prorsus rubicundos. Floret in pratis mense Iunio. 1.

Alterum Scabiosæ genus, priori caule & radice simile, sed minus, & multipliciter incisis foliis, hirsutius, nigrius, & crispius: è capitulis rotundis florem proferens, quo pereunte maturum semen auolat. 2.

Tertium in pratis inuenitur, foliis angustis, minus incisis, cinerei coloris, tela plerunq; tenera obductum, Hippolapatho inferiori parte simile. Semen maturum, sicut in reliquis, auolat. 3.

Quartum locis aridis cõspicitur, primo non absimile, florem ferens mense Iunio in cauliculis iunceis, partim purpureum, in quibusdam uerò candidum. Folia multis sicut in Coriandro, diuisa sunt incisuris, in terram sparsa, nigricantia & mollia. 4.

Tragus putat Psoram esse Aëtij, quòd psoram, hoc est, scabiem curet. Sed cùm Psoræ descriptionem Aëtius non ponat, sed nominetenus tantùm eam prosequatur, poterit liberum relinqui, num quis Psoram Aëtij, Scabiosam nostram statuere uelit. Aliqui Stœben faciũt Dioscoridis, sed his aduersantur Ruellius, item Fuchsius. *Psora.* *Stœbe.*

## TEMPERAMENTVM.

Calida est & sicca, quod in gustu amaritudo indicat, eiusdẽq; cũ Succisa est temperamenti & uiriũm, de qua capite sequenti.

## VIRES, INTRINSECVS.

In uino decocta Scabiosa, pleuritidi medet. Aqua mense Maio distillata, cõtra pectoris apostemata, pleuritidem, tussim, omnisq; generis dolores, bibitur. Cõtra apostema, eiusmodi nonnulli ex hac decoctũ, manè & uesperi bibendũ, conficiunt: Manipulo Scabiosæ adijciũt unciam unã, Glycyrrhizæ, ficus duodecim, seminis fœniculi unciam unã, seminũ anisi tantundem, Iridis semiunciam, cunctis in aquæ mensura noctis spacio mollitis, ad tertiam partem decoquunt, ac melle uel saccharo commiscẽt. Decoctum hoc apostemata mollire, & per tussim ejicere ferunt.

Succus uel herba in aqua decocta, ad omnis generis scabiem confert, furfures capitis pellit, si decocto eius caput abluatur.

## SVCCISA, SEV PRAEMORSA.

Succisa.

Iacea nigra.

Præmorsa.

Morsus diaboli.

SVccisam præsentē herbā cū Fuchsio appellare placuit, quòd hoc nominis ei cōueniat, ut cuius radix succisa, seu circūrosa sit. Iaceā alij nigrā uocāt, Vulgò præmorsa, & Morsus diaboli. Gal. *Mors de diable*. Ger. Abbiß, Teufelsbiß, superstitione quadā, quòd credāt cacodæmona, radicē tātæ efficaciæ hoīb. inuidere, ac propterea cū succrerit undiq; circūrodere. Herba est scabiosæ penè similis nisi quòd folia non sunt incisuris diuisa, foliis plātaginis similia, sed minora, & lōgiora, leniter laciniata, aliquantū hirsuta & nigricātia: florē fert pileatū, purpureū. Semē flore pereūte, sicut in scabiosa euanescit. Radix est subnigra, succisa & circunrosa. Inuenitur etiā rarū quoddā genus, flore prorsus cādido, ut testatur Tragus. D

Est & minor quædā succisa seu præmorsa, ad lactarias herbas pertinēs, de qua suo agetur loco.

TEMPERAMENTVM.

Calida est & sicca, ut ingens eius in gustu amaritudo satis id ostendit.

VIRES.

Vires cum scabiosa habet easdem. Cum chalcitide etiam mixtus succus, papulas, & manantem scabiem sanat. Idem præstat aqua stillatitia.

## ACONITVM.

AConitum à colle quodam Aconiti, qui est prope Heracleam Ponticā, ubi Hercules Cerberum ex inferis extraxit: è cuius spuma aconitum natum est, nomen traxit, ut scholia in Nicandri Alexipharmaca habent. Vel ἀπὸ ἀκονῶν, id est, à cautibus uel cotibus. Huius duo sunt genera: Pardalianches, & Lycoctonum.

Pardalianches folia habet Cyclamini, aut Cucumeris, tria aut quatuor, minora & subhirsuta: caulem palmum altum: radicem scorpionis caudæ similem, & alabastri instar splendentem. Sic dictum, quòd Pardos interimat seu enecet.

Scorpium

A Scorpium etiam dicitur à radicis forma, quę ſcorpioni eſt ſimilis. Vulgò Vua uerſa, & Vulpina. Gallicè, *Eſtrangle liepard*. German. **Wolffsbeer/Einbeer/& Dollwurtz/** ab effectu. Naſcitur in nemoribus & collibus, Maio potiſsimùm menſe.

*Scorpium*
*Vua uerſa*
*Vua vulpina.*

B

Lycoctonon ſeu Cynoctonon folia habet Platani, ſed magis inciſa et diuiſa, longiora & nigriora, caulem filicis, cubiti altitudine, aut maiorē, pediculum glabrum: radices cirris ſquillarum marinarú ſimiles, nigras, quibus ad uenationem luporum, ut tradit Dioſco. utuntur. Vnde & Lycoctonon & Cynoctonon dictum, quòd nimirum canes & lupos interimat. Itē Cyamos κύαμος, id eſt, Faba alba. Vulgò Luparia. Ger. **Wolffswurtz/** Item **Leuſtkraut/** quòd pediculos perimat: quod nomē Staphidi agriæ quoq; tribuitur. Naſcitur in montium uallibus altiſsimis, ac magna eius eſt copia circa montem Tubingæ Farrenberg. Floret Iunio & Iulio. Huius tres numerat Dioſcorides ſpecies: duas quę in uſu ſunt Medicis, unam uenatoribus uſitatam, cuius deſcriptio iam eſt poſita, Ponticum dicta.

*Aconitū lycoctonō Cynoctonon.*
*Cyamus κύαμος.*
*Faba alba*
*Luparia.*
*Ponticum*

Duplex in Germanię hortis naſcitur, alterum flore luteo, foliis latioribus: alterū ſubnigris, cœruleis foliis, quod à florum ſimilitudine, qui galeri formam referunt, **Eiſenhütlin** & **Münchskapffen** appellatur. C

TEMPERAMENTVM.

Eroſione & putrefactione enecant aconita, ut communi cōſenſu autores ſcribūt: toto igitur genere ſunt letalia.

VIRES, INTRINSECVS.

Aconitum Pardalianches, Galeno teſte, putrefaciendi facultatem obtinet, & eſt letale, omniumq; uenenorum, ut Plinius ſcribit, eſt ocyſsimum. In cibo & potu prorſus fugiendum. Hominem occidit, niſi quod in homine occidat inuenerit, quo inuento duo uenena in homine colluctantur & commoriūtur, ut homo ſuperſit. Pardos peculiariter, ſicut alterum lupos interimit, nec non lupos & feras omnes. Alterius radice, ut autor eſt Dioſcor. utuntur ad uenationem, Carnibus etiam crudis inſerta, à lupis deuorata, eos enecat. D

EXTRINSECVS.

Aconiti radix, Dioſcoridis teſtimonio, ſcorpioni admota, eum reſoluit. Et è diuerſo, elleboro admoto, exiccatur. Ocularibus medicamentis miſcetur. Vtilis etiam eſt ad putrefaciendum & colliquandum quædam extra corpus, aut circa ſedem.

Folia, ſemen & radix Aconiti lycoctoni uiridia uel arida trita & oleo temperata, pediculos necant, & capitis immunditiem purgant. Idem præſtat radix in aqua uel lixiuio decocta.

## STAPHIS AGRIA.

*Pediculares.* *Phthyrioctonon.* STaphis agria Græcis & Officinis dicitur, Latinis Pedicularis, & Græcis quoq; Phthyrioctonon, ab occidendis pediculis. Qua de cauſa Germa. **Leuſſwurtz oder kraut** appellatur. Gall. *Le herbe au poulx.* Quod nomē etiam Aconito lycoctono ob eandem rationem tribuitur.

*Pituitaria.* Pituitaria quibuſdam, & German. **Speychelwurtz**/quòd pitu tam, inſtar pyrethri, commanducata trahit. Nonnulli **Biſmüntz** uocant. Semē eius Trago **Meuſ** & **Rattenpfeffer** nominatur. Naſcitur locis opacis, & nunc in hortis paſsim, foliis labruſcæ, inciſuris ſenis plerunq; diuiſis, coliculo recto, molli, nigroq;: florem habet cœruleū, uiolæ forma: ſemen in uaſculis uiridibus, ſimilibus Ciceri, triangulum, aſperum, in ni-

gro

Agro subrufum, intus candidum, gustu acre. Dioscorides uerò flores ei tribuit Ilatis, qui sunt lutei & exigui, quo solo Dioscoridis descriptio à nostra planta abest: reliqua enim omnia respondent.

B

Est præterea herba quædam, ab hac tamen diuersa, quam Germani itidem **Leußkraut**/& **Rodel**/**braun Leußkraut**/**braun Rodel** appellant, pecori maximè noxia: siquidem si fortè à pecore deuorata fuerit, pediculis magna copia infestantur, qui difficulter curari possunt: unde à gignendis pediculis nomen accepit; Pedicularem alteram hanc licebit nominare. Græcis Phthirion. Nascitur pratis humidis, foliis incisis, Geranij similitudine, floribus puniceis, instar urticæ mortuæ, semine rotundo. Præter nomen cum Staphide nihil commune habet, propter quod solum placuit eius mentionem facere. Huius quoq; altera species est, luteis floribus, foliis minus incisis, pecori innoxia. Germa. **Geel Rodel oder Leußkraut.** *Pedicularis altera.*

## TEMPERAMENTVM.

Staphis agria in quarto est calfacientium & desiccantium ordine. Pedicularis altera, calidæ & humidæ naturæ statuitur.

## VIRES, INTRINSECVS.

Quindecim Staphidis agriæ grana trita in aqua mulsa, Dioscoride teste, crassa per uomitum purgant: Periculosa tamen est eiusmodi purgatio. Pedicularis altera, ut in nomine dictum est, pediculos gignit. Extrinsecus tamen eius, ad arida, sicca & calida damna usus esse poterit.

Grana eius tusa & cum oleo illita, pediculos in hominibus & animantibus necant, & capitis immunditiem purgant: Papulas quoq; noxias et fluentes sanant. Radix & semina ex aceto cocta, dentium dolorem collutione sedant. Melle tamen temperari, ob acrem eius uim, conueniet. Scabiei omniq; cutis immunditiei purgandæ, & in hominibus & animantibus prodest. Radix uel semina in farina subacta et cocta, mures & glires necant.

## CRVCIATA.

CRuciata à radice quæ in crucis formam est concisa, nomẽ habet. Germ. **Creutzwurtz/Modelgeer/** & **Sperenstich** appellatur, Item **Heyl allen schaden/** ab effectu. Quo ueteribus nomine sit appellata, & an fuerit ijs cognita, nondum constat eruditis. Proinde descriptionẽ uiresq; eius quæ hodie traduntur, adscribemus. Errant etiam qui Isatin, quæ Saponaria dicitur, hanc esse herbam putãt. Herba est caulem habens rotundum, dodrantalem, in summo rubentem, alas habentem multas, è quibus singulis folia bina, crassa, angusta & oblonga, floresq; orbiculatim purpurei è siliquis coloris herbacei prodeunt. Radix est longa, alba, crucis instar ab utroq; latere perforata. Mense floret Iulio locis incultis. Gesnerus Gentianæ facit speciem.

### TEMPERAMENTVM.

Calida est & sicca, quod in gustu amaritudo indicat.

### VIRES, INTRINSECVS.

Foliorum & radicis aqua stillatitia pectus purgat, Venenum discutit, cõtra pestilentem aërem est salubris. Puluis eadem uires obtinet.

Pastoribus nota herba, qui suibus eam manducandam, tutas à contagio eas fore sperantes, præbent. Menses mouet. Comitialibus item subuenit.

### EXTRINSECVS.

Chirurgi ad equorum uulnera & damna efficacem herbam tradunt: decocto foliorum & radicis uulneribus purgatis, & puluere eius insperso.

Vulneribus, in summa, glutinandis mirum in modum confert.

## ISATIS.

Isatis

ISatis Græcis & Latinis, Gallis olim Glastum, nūc Guadum. Arabibus, Nil, Nilech, & Indicum. Gal. *Pastel*. German. **Weydt**. Lytrum aliàs & Lutea, ut suprà in Lysimachia est dictum.

*Isatis.*
*Glastum.*
*Guadum.*
*Nil, Nilech.*
*Indicum.*
*Lytrum.*
*Lutea.*

*Duo sunt eius, teste Dioscor. genera: Satiuum & syluestre. Satiuum, quo tingendis lanis utuntur infectores, folia habet Plantagini similia, sed pinguiora, & nigriora, caules duobus cubitis altiores, multifidos, rubicantes, qui in cacumine folliculos linguarū figura dependentes multos habent, in quibus est semen. Flos luteus ac tenuis. Radix alba & simplex. Nascitur maxima copia apud Duram & in agro Erphordiano, ubi trusatilibus ad hoc molis excogitatis herbam cōtundunt, tusam in globos seu pilas formant, inq; sole æstiuo tempore exiccāt, ex quibus colorem cœruleum inficiendo panno commodum, tādem conficiunt.

1.

Syluestre sponte in Germania nascitur, satiuo simile, nisi quòd folia maiora habet, lactucæ foliis similia: caulem quoq; tenuiorem, similiter multifidū, rubicantem, in cuius cacumine folliculi linguarum figura dependent multi, quibus semen inest. Flos quoq; luteus tenuisq;. Florent Maio & Iunio, ac semen mox producunt.

2.

B

## TEMPERAMENTVM.

Complexionis sunt calidæ & siccæ. Syluestris tamen ualentiùs desiccat quàm satiua.

## VIRES. INTRINSECVS.

Lienosis folia in uino decocta, aut etiam illita mirè prosunt: Potissimùm uerò ad hoc prodest syluestris, qua utendum, si satiua non prosit.

## EXTRINSECVS.

Satiuæ folia omnia œdemata & tubercula illita discutiunt. Vulnera cum polēta trita & illita glutinat. Inflammationes discutit. Hulcera phagedænica, herpetas, erysipelata & putrescentia hulcera sanat.

Profluuio sanguinis laborantibus partibus, teste Galeno, utiliter illinitur. Tumores œdematodes mirificè discutit & reprimit, omnibusq; malignis hulceribus, etiamsi putrescant, aut in capitibus musculorū fuerint, mirabiliter resistit. Quòd si laborantis natura ualidior fuerit, foliis eius tritis, aut panem, aut hordeaceam farinam, aut triticeam, aut polentam, prouincente in unoquoq; affectu, eodem Galeno asserente, miscere oportet. Syluestris eadem quæ satiua potest: humidis uerò putredinibus ualentissimè obsistit: ad cætera uerò est deterior, ob immoderatam eius cum mordacitate desiccationem.

ABSIN.

# ABSINTHIVM.

Absinthiũ

Apinthiũ.

Bathypicron.

ABsinthium dictum per antiphrasin ab ἀψίνθου, id est, tangendo, quod minimè tãgatur aut gustetur ab animalibus. Vel quasi dicas ἀπίνθιον, secũdum ueteres Comicos, id est, impotabilem, ob nimiam eius amaritudinẽ. Dicitur & Bathypicron, id est, immensam habens amaritudinem. Gall. *Absinse*, *Aluyne*, ou *fort*. Germa. **Wermût**/quasi dicas, hilaritatẽ prohibens.

Tria facit huius genera Dioscorides. Ponticum seu Romanum, Seriphium uel Marinum, & Santonicum. Ponticum herba est caule ramoso, foliis canis, fissis multipliciter, flore aureo, semine rotundo, & racematim cohærente. Sic dictum à Ponto regione, in qua prouenit præstantissimum. Locis nascitur cultis, montosis & saxosis. Plurimum autem & præstantissimum in Ponto, Cappadocia & Tauro, ut testis est Dioscorides.

Seriphium à Seripho insula, aliàs marinum, herba est prætenuibus cirris, abrotoni parui similitudine, exiguis referta seminibus, subamara, stomacho inimica, & odore graui. Germ. **Wurmsamen/Wellsamen**. Nascitur circa uias, macerias uinearum & sepes: præstantissimum uerò in Tauro mõte iuxta Cappadociam.

Santonicum regionis cognomento dictum, Absinthio est simile, subamarum, non adeò copioso semine, **Wurmsamẽ** item Germanis. Nascitur apud Santones plurimum in Gallia, à quibus nomen habet. Semen eius Officinis Sanctum dicitur.

Colligitur Absinthium cùm semine est prægnãs, in fine nimirum Iulij, ac in umbra siccatur.

## TEMPERAMENTVM.

Ponticum calidum est in gradu primo, et siccum in tertio, Galeno teste: multum adstringit, minusq; reliquis generibus extenuat. Seriphium Pontico est nõnihil calidius, magisq; extenuat. Santonicum minus extenuat, calfacit & desiccat quàm Seriphium.

## VIRES, INTRINSECVS.

Absinthium Ponticum uentriculo in cibo & potu prodest, concoctionem adiuuat, corpus calfacit, dolores

A dolores mitigat, uenena & noxia ex corpore expellit. Idem uinum Absinthites, aut flores in uino decocti, præstant. Tormina & dolores uētris sedant, in uino cum Cumino decocti flores, si calidum sumatur. Lumbricos pellit, ictericis est salutare, menses euocat. Ixiæ, cicutæ, muris aranei morsibus, & draconi marino aduersatur. Strangulationibus fungorū, ex aceto potum subuenit: unde pecoribus datum à noxijs ea custodit, & liberat. Stillatitia aqua ijsdem pollet uiribus: aliquantò tamen est debilior: Pueris quatuor aut quinq; eius cochlearia medicaminis uice cōmodè porriguntur. Santonici semen in cibo uel potu sumptum, dysenteriam aluiq; fluxus compescit. Herba uino decocta lumbricos educit. Dioscorides cum Oryza & melle decoquendam scribit. Stillatitius liquor melior est & commodior, ob grauem herbæ ipsius odorem. Seminis Santonici præcipuè ad lumbricos necandos & è corpore pellendos est usus, ac maximè corpori, nisi adulteretur, confert, ac cum melle, non ut quidam existimant cum lacte, pueris est dandum. Seriphium potest eadem quæ Santonicum.

## EXTRINSECVS.

Absinthij stillatitia aqua temporibus illita, dolorem capitis è frigore natum mitigat. Oculis instillata claritatem adfert. Auribus item ex quibus manat sanies infunditur. Cum melle & nitro tusum Absinthium anginam discutit. Vapor decocti Absinthij dentium dolori medetur, auri-
B busq; immissus est salutaris. Decoctum in uino, singultus & uētriculi dolores in cataplasmate adiuuat, cum cerato præsertim Cyprino. Ad eadē est utilissimum oleum Absinthij. Vestes à tineis conseruat. Atramentum librarium succo eius temperatum, libros à murium erosione tuetur. Succus eadem facit, in potionibus tamen improbatur. Stomacho namq; obest, & capitis dolores adfert. Aqua cum Absinthio decocta lectis & parietibus aspersa cimices abigit. In febribus ab eius usu est abstinendum. Santonici tam folia, quàm succus, putridis uulneribus, & hominum & pecorum imposita, uermiculos expellunt. Fracturas uulneribus alligata herba sanat.

## OLEVM ABSINTHINVM.

Oleum Absinthinū calefacit ac roborat ea quæ sunt refrigerata, potissimùm uerò uentriculum: excitat appetentiam, obstructiones aufert, lumbricos enecat. Fit autem ex Absinthio Pōtico & oleo Omphacino, quemadmodum Rutaceum. Quia uerò nostrum Absinthium non est uerum Ponticum, nec adeò calidum, temperandum erit rosis, quæ dimidiū eius pondus æquent.

## SIRVPVS DE ABSINTHIO.

Sirupus de Absinthio uentriculū roborat et iecur, aliaq; nutritionis instrumēta, appetentiāq; excitat. Cōtra regiū morbū prodest, flatus discutit, humores p urinā pellit. Cōficit hūc in modū: Recipe Absinthij Romani lib. s. Rosarū rubearū ʒ. ij. Spicę Indicę ʒ. iij. uini clari ueteris & optimi,

Succi

Succi cytoniorum, ana lib. ij. s. Macerentur in uase marmoreo aut fictili C
denso per noctem unam, deinde decoquantur, ac colaturæ adde saccha-
ri lib. ij. & secundum artem confice.

## TROCHISCI DE ABSINTHIO.

Trochisci de Absinthio ualent ad obstructiones uentriculi & hepatis, aq; his dolores ortos, & antiquas bilioſas febres tollendas, nutritionis in strumenta roborant, & appetentiam excitant. Confectio eorum est eiusmodi: Recipe Rosarum, Absinthij, Anisi ana ʒ. ij. Rhabarbari, succi Eupatorij, id est, Gratiolæ, Azari, seminis Apij, Amygdalarum amararum, Spicæ nardi Indicæ, folij ana ʒ. j. succi Endiuiæ quantum sufficit, & formentur Trochisci.

## ABROTONVM.

Origanũ sꝛpestre.

ABrotonum Græcis & Latinis, διὰ τὸ, ut Nicãdri scholia testantur, ἁβρὸν καὶ ἁπαλὸν φαίνεσθαι ἄλλως τε, καὶ διὰ τὸ δυσαντλῆτον εἶναι, id est, quòd usu tenerũ sit ac molle, quodq; difficiles meatus habeat.

Duorum est communi scriptorum concordia generum: Mas & fœmina. Mas est sarmentosum, foliis minutis, minus album quàm fœmina, semine tenui & numeroso, ut Absinthium, quod D
ad Septembris mensis dũtaxat initium producit. Plinius campestre uocat Origanum. Nascitur apud German. in hortis passim & campestribus. Gall. *Auronne, ou Garderobbe.* Germa. **Garthagen/Stabwurtz/Schoßwurtz/Gertwurtz/Kuttelkraut/Affrusch.**

Fœmina quadam arboris specie fruticat, candicantibus foliis Seriphij modo, minutim circa ramulos incisis, floribus referta, comantibus in summo, auri fulgore, corymbis, suauiter olens, cum grauitate quadam.

Montanũ abrotonũ. Cyparissus syluestris.

Plinius Fœminam montanum Abrotonum appellat. Vulgò Cyparissus syluestris, à foliorum eiusdem similitudine & odore. German. **Weiß Garthagen/oder wilder Cypreß.** In collibus & montibus suapte natura prouenit. Floret utrunq; mense Augusto. Colligitur Septembri potissimùm, quo tempore semine est prægnans.

### TEMPERAMENTVM.

Calidum est & siccum cum Absinthio, in medio tertij gradus, Vnde altero pro altero, teste Galeno in libro de succedaneis, uti licebit.

### VIRES. INTRINSECVS.

Ramuli Abrotoni cum semine in aqua uel uino, cum melle & saccharo decocti, terna aut quaterna uice in die poti, orthopnœicis, ruptis, conuulsis,

A uulsis, ischiadicis, urinæ difficultatibus & suppurationibus, cunctisq; internis doloribus præsentissimo sunt remedio. Parium est uirium stillatitia aqua. Plures eius uires in Absinthio require, cum quo eiusdem est facultatis.

EXTRINSECVS.

Suffitus Abrotoni noxia & uenenata fugat. Aqua stillatitia araneorum & scorpionum ictibus medetur. Muliebria item loca, hac aqua lota, purgantur sananturq;. Puluis cum melle illitus, capillos generat.

## ARTEMISIA. MATRICARIA.

Tanacetum, & Tages Indica.

ARtemisia Græcis & Latinis, ἀπὸ τῆς Ἀρτέμιδος, id est, à Diana. Vel ab Artemisia Mausoli regis coniuge. Gall. *Armoyse. Arsemise.* German. **Beifüß / Bucken / Sonnenwendgürtel / grosser Reynfar / S. Joannes gürtel.**

Dioscorides tria facit eius genera. Primum πλατύφυλλον Græcis, id est, Latifolium, herba est fruticosa, Absinthio similis, foliis tamen maioribus & pinguioribus, quę supernè ex nigro uirescunt, subter autem candicant, crebroq; resecta sunt, flore tenui & semine rotundo. Suntq; duę huius species, colore dũtaxat discrepãtes: altera caule & floribus rubens. German. **Rot Bucken / oder rot Beifüß.** Altera caule candicans, floribus flauescens. Germa. **Weiß Bucken.** Locis nascitur aquosis, incultis & asperis.

Matricaria. Parthenium.

Secundum genus, Græcis λεπτόφυλλον, id est, Tenuifolium, foliis tenuioribus, flore exiguo, tenui, albo, & grauiter olente, cuius folia & flores confricati Sampsuchi odorem referunt. Nascitur in hortis, locis siccis & lapidosis. Vulgò Matricaria, German. **Mütterkraut** / & **Metram.** Parthenium, ut placet Valerio Cordo & Trago.

3. Tanacetũ

Tertium genus Μονόκλινον, id est, Vnicaulis dicitur, herba tenuis, caule simplici, foliis minutim sciſsis, floribus in ſummo luteis abundante, iucundiore cæteris odore. Tanacetum Latinis. German. **Reynfaren/groß Reynfarē/Wurmkraut**/quòd lumbricos expellat. Naſcitur in aquarum ripis, & uinearum aggeribus.

4. Tages Indica.

Quartum genus Tageten Indicam facit Fuchſius, quæ nō niſi ſata in Germania prouenit, caule rubeſcente, ramulis multis brachiato, foliis tenuibus, minutim ſciſsis, grauiter odoratis, floribus in ſummo caule luteis ſpecioſiſsimis. Tertio generi conſine. German. **Indianiſch Neglin**/& **Sammetröſlin**. Artemiſiæ tamen aliàs neq; forma, neq; ſapore, aut odore eſt ſimile. Colliguntur æſtate cùm floribus abundant.

TEMPERAMENTVM.

Calida ſunt ſingula genera in gradu ſecūdo, ſicca in fine primi, aut initio ſecundi. Calefaciunt & deſiccant modicè.

VIRES, INTRINSECVS.

Artemiſia rubra, cum flore nucis myriſticæ, in uino decocta, bina aut terna uice in die pota, matricem calfacit, menſes diſcutit & educit, ſecundinam & mortuos fœtus, aliaq; quæcunq; alui uitia pellit. Idem præſtat ſtillatitius liquor. Decoctum eius cum melle & ſaccharo tuſsim mitigat, uteri præcluſionem & inflammationem iuuat, lapides frangit, pulmonem, renes & ueſicam, uiris & fœminis, dicto modo ſumpta, purgat: ieiunio tamen poſt uſum eius aliquandiu manente corpore.

Aridi

A Aridi flores cibis & medicamentis sunt utilissimi. Vinum etiam gratissimum ex hoc in autumno conficitur. Viribus Pulegio penè par est. Tanaceti flores pueris ex uino & lacte dati, mirificè lumbricos ejciunt. Vnde lumbricorum herba dicitur.

EXTRINSECVS.

Insessionibus & fomentis, eadem quæ potu præstat: menses enim, secundas & fœtus insessu ducit. Cum foliis Chamomillæ & Agrimoniæ in uino cocta, neruorum doloribus & conuulsionibus, si membra eo fomẽtentur & fricentur, summoperè conducit. Defatigatis ex itinere lauacrum ex Artemisia prodest. Sedi procidenti, in uino rubro cocta, insessu prodest, si Thure & Colophonia sedes primùm suffiatur, hinc calida supponatur Artemisia.

SIRVPVS DE ARTEMISIA.

Sirupus de Artemisia medetur passionibus matricis, & retinet eam in proprio loco, resoluit frigiditatem, uentositatem & dolores, corroborat neruos, aperit poros, sanguinem corrigit, menstrua cohibet & prouocat. Compositionem eius docet D. Matthæus de gradibus, satis prolixam.

# GERANION.

B GEranium, quasi Gruina, Latinis Rostrum ciconiæ, quòd gruino capiti seu Rostro ciconiæ similem habeat effigiem. Gall. *Aguille de Berger. Pied de Pigeon.* Germa. **Storckenschnabel.** *Geranium Gruina. Rostrum ciconiæ.*

Dioscorides duo tantùm facit genera: Alterum, foliis anemones, diuisuris longioribus, caule à radice rubente, lanuginoso: flore purpureo, et in cacumine caulium fastigijs, quæ ciconiæ aut gruis rostro sunt similia: radice oblonga, subrotunda & dulci. Officinis hodie Acus pastoris & Muscata dicitur. Germ. **Storckenschnabel.** In campestribus passim & inter segetes nonnunquam nascitur. Floret ab initio ueris. *1. Acus pastoris. Muscata.*

Alterum caule itidem tenui, rubente à radice, lanuginosoq;, foliis maluæ, candidioribus, flosculis subpurpureis, capitulis rostratis, gruini capitis effigie: radice tenui & oblonga. Vulgò Pes columbinus. Ger. **Taubenfůß/Schartenkraut.** Cuius nullus in Medicinis, teste Dioscoride, est usus. Nascitur plerunq; in colliculis. Floret mense Maio. *2. Pes columbinus.*

Vltra hæc duo, adhuc quatuor hodie Geranij numerantur species, ob capitulorum quam cum prædictis habent similitudinem.

Primum inter hæc foliis est Artemisiæ tenuifoliæ, seu Cherephyllo simile, caule cum prioribus simili, sed geniculato, saporis & odoris iniucũdi, flore & capitulis prædictis respondens: radice intus uiridi & adstringente. Hodie herba Roberti & Robertiana. Germa. **Ruprechtskraut/** à superstitione forsan aliqua. Locis nascitur umbrosis & in dumetis. Floret eodem tẽpore quo secundũ. Nõnulli hanc uolũt Syderitin esse alterã. *3. Herba Roberti. Robertiana. Syderitis altera.*

4. Quartum ordine, prioribus ſimile, folia habet laciniata admodum, in capitulis ſemina naſcuntur quinq;. Radix intus candida, extrà ſublutea. Germa. **Kranchshalß**. Naſcitur in agrorum limitibus & iuxta ſepes. Floret cum ſecundo & tertio.

5. Quintum reliquis omnibus maius, ranunculi habet folia, capitulis cũ quarto eſt ſimile: radix ei craſſa, oblonga, multis exiguis radiculis, uelut capillamentis fibrata. Vulgò Gratia Dei. Germa. **Gotts gnad**/ab effectu inſigni in ſanandis uulneribus. Tragus Chelidonium minus appellat. Naſcitur in pratis Floret Iunio & Iulio.

*Gratia Dei. Chelidonium minus*

6. Sextum quarto eſt ſimillimum, non niſi foliorum, floris & radicis magnitudine diſtat, quæ in hoc omnia maiora ſunt. Radix intus & extrà rufa. Germa. **Blůtwurtz**/à colore, uel à facultate in ſiſtendo ſanguine. Locis naſcitur montoſis ac ſaxoſis: eodem cum quinto tempore floret.

TEMPE-

TEMPERAMENTVM.

Folia & radices omnium, dempto primo, cuius dulcis est radix, discutiunt, adstringunt & desiccant.

VIRES, INTRINSECVS.

Radix Geranij primi est esculenta, quæ cum uino drachmæ unius põdere sumpta, uteri & matricis inflationes dissoluit. Vrinam ciet: calculo, stranguriæ, & difficultati urinæ prodest.

Sextum Geranium ad sanguinem undecunq; emanantem compescendum est præstantissimum, unde & nomen à Germanis accepit.

EXTRINSECVS.

Ad glutinanda hulcera mirificè prosunt. Dioscorides secundum in nullo usu esse ait, sed experientia constat, eiusdem mirum similiter ad uulnera & fistulas sanandas esse usum.

Tertia species, præsertim ad oris, mammillarum & pudendorum hulcera sananda conducit.

## CANNABIS.

CAnnabis Græcis, Latinis, & Officinis. Vulgò Canapus. Gall. *Chanure*. German. Hanff.

Duo statuit eius genera Dioscor. Syluestrẽ & satiuam. Satiua Cannabis folia habet Fraxini, odore graui: caulem procerum, inanem: semen rotundum, quod largiore cibo genitură extinguit: nascitur locis cultis sata. 1.

Syluestris uirgas fert altheæ, minores, nigriores & asperiores, cubiti altitudine: folio satiuæ, nigriore & asperiore: flore lychnitis, subrubro, semine & radice altheæ. Locis asperis iuxta semitas & sepes nascitur. Recensetur inter legumina semen eius, ac cibis etiam accẽsetur. Seritur à Fauonio, & quò dẽsior eò tenerior. Semen eius cùm est maturum ab æquinoctio autumni defringitur, & sole aut uẽto aut fumo siccatur. Ipsa cannabis post uindemiam uellitur, ac lucubrationibus decorticata purgatur, quod cortici proximum est aut medullæ. Optimam faciunt Alabandicam, cuius triplex est differentia. Improbatur cortici aut medullæ proximum. Laudatissimũ è medio, quæ Mesa uocatur: secunda Mylasea. Amat solum pingue, stercoratum, riguum, planum & humidum, alteq; subactum. Seruntur grana eius sex in quadratum pedem in fine Februarij. Malè seritur si pluuius cœli sit status. 2.

TEMPERAMENTVM.

Calfacit & exiccat admodum. Tragus qualitatis facit frigidæ.

VIRES, INTRINSECVS. C

Nonnulli semina Cannabis in cibis apparant, ijsq; instar leguminum uescuntur. Sed nimius eius usus stomachum uitiat, ac naturale semen extinguit. Semen in lacte calidum potum, aridam calidamq; sitim pellit. Difficilis est cõcoctionis, aduersatur stomacho & capiti, malosq; humores generat. Tanta eius uis, teste Plinio, ut aquæ infusa eam coagulare dicatur.

EXTRINSECVS.

Ex satiua Cannabi magni & robusti ad uarios usus funes texuntur. Viridia folia, siue stillatitius liquor, omnibus inflammationibus capitis, membrorumq;, præsertim podagræ, illitu prosunt. Succus auriũ uermiculos necat, aliaq; quæcunq; aures animalcula intrauerint. Sylvestris cannabis tusa folia erysipelati medentur.

## LINVM.

LInum Græcis, Latinis, & Officinis. Gal. *Lin*. German. **Lein/oder Flachß**/notissimum est uulgo, ut superuacuum sit descriptionem ipsius adijcere. Est uerò herba caule tenui, foliis angustis, oblongis, & in summo acuminatis, floribus cœruleis, speciosis, quibus decidentibus capitulum enascitur rotundum, in acumen tendens, semina continens interstitijs distincta. Seritur bis in anno, uere & circa solstitium æstiuum. Quod uere seritur, circa solstitiũ uellitur: quod uerò circa solstitium, id uellitur autumno. Pinguimaximè gaudet solo: agris admodum noxium: siquidem omnem ex ijs pinguedinẽ exugit, deterioresq; eos reddit. Vnde Verg. in Georg. Vrit enim campos lini seges, urit auenæ. De lini satione, generibus, apparatu & tortura copiosè Plinius libro 19. in Procœmio, & capite primo.

TEMPERAMENTVM.

Calidum est in primo ordine, ac humiditatis siccitatisq; quodãmodo in medio. Easdem cum Fœnogræco facultates obtinet: discutit & emollit.

VIRES, INTRINSECVS.

Semen Lini tusum, cum pipere & melle mixtum, nucis iuglandis quãtitate comestum, tussim mitigat, & ad Venerem pronos reddit. In aqua mulsa coctum lini semen potum, ac corpori extrinsecus idem illitum, internis inflammationibus medetur: omnisq; generis doloribus est utile.

EXTRINSECVS.

Oleum seminis Lini, aut coctum semen illitum, aut per clysteres infusum, matricis & intestinorum obstructiones ex humore uiscoso factas, item

A item in colica passione, soluit. Adustionibus quoq; illitum semen uel oleum prodest. Eadem omnis generis in toto passim corpore tumores sedant. In uino decoctum semen faciei maculas extergit.

Vnguium scabritiem cum nasturtio in melle mixtum sanat. Plures eius uires ex prædictis est colligere.

## PSEVDOLINVM.

B

NAscitur in lino uitium quoddam pestisq;, sicut in segetibus quoq;, adeò lino simile, ut uix etiã discerni possit, sed nullius usus ad telas, unde Pseudolinum uocare licebit. Germa. **Leindotter** appellant. Officinis dicitur Sesamum. Nonnulli Sesamum Dioscoridis esse existimant. Sesami uerò descriptionem Dioscorides non posuit, tanquam notioris herbæ: ac quidã Sesamum putant uulgò **Schwaden** dictam, quę species est Oryzę, sed falsò, ut ostendit Valerius Cordus. Sesamũ enim semẽ suum in uasculis lini modo cõtinet: **Schwaden** uerò in spica seu iuba miliacea: Vnde **Schwaden** nequaq; Sesamum esse poterit. Item Sesamũ uerum copiosè ad nos ex Aegypto unà cum oleo ex semine expresso affertur: **Schwaden** uerò sua sponte apud nos prouenit, cùm Sesamũ sit nobis peregrinum. *Pseudolinum.* *Sesamum*

Nascitur Pseudolinum uero Lino non dissimile, nisi capitulis quæ in summo sunt latiora, in lino uerò turbinãtur. Semine intus flauo, quale est Nasturtij, quod auiculis est gratissimum, ad quorum usum potissimùm colligitur. Nascitur inter linũ sponte.

### TEMPERAMENTVM.

Semen emollit & calfacit mediocriter. Folia uerò uiridia refrigerant & dolorem sedant.

### VIRES, INTRINSECVS.

In panes pistum semẽ, dulcem & suauem eidem saporem præbet: per se autem comestum stomacho aduersatur.

Oleum ex ſemine exprimitur uſu dulciſsimum ac ſuauiſsimum. Semẽ C ad corporis interna uitia & obſtructiones, ſicut Lini ſemen & Fœnugręcum, ualet.

EXTRINSECVS.

Semẽ Pſeudolini, quod Seſamum dicitur, neruorum tubercula diſcutit, aurium inflammationi & dolori, aduſtionibus, omnibuſq; inflammationibus medetur: quemadmodum de lino quoq; dictũ eſt. In uino herba ipſa decocta, oculorum inflammationibus illinitur.

## OLEVM SESAMINVM.

Oleum Seſaminum impinguat, ſemen auget, guttur, omnemq; aſperitatem & duritiem lenit, uocem clarificat. Exprimitur è Seſami ſemine, affertur autem ex Alexandria Aegypti Venetias, ubi emitur ſyncerum. Adulterantur enim oleo nucum & papaueris, ſed odore & ſapore dolus à peritis facilè deprehenditur.

## OSYRIS, SIVE LINARIA.

Herba urinalis.

OSyris Græcis & Latinis. Officinæ Linariam uocant. Item Herbam urinalem Gal. *Lin iaulne ſauuage*. Germa. **Lynkraut/ Harnkraut/ Vnſer frawen flachß/ Wildflachß/ Krottenflachß/ Nabelkraut.** Linaria à foliis lini dicta.

1.

Quatuor huius enumerat Tragus ſpecies: Prima, D quam deſcribit Dioſcor. frutex eſt niger, uirgas habens tenues lentasq;, in quibus folia ſunt terna aut etiam ſena interdum, ceu lini, nigra initio, dein colore mutato ſubrubeſcentia. Hęc Officinis Linaria dicitur, Dioſcor. Oſyris. Germ. **Lynkraut/ Harnkraut/** à facultate. Item **Scheißkraut** Trago.

Hæc ipſa adeò eſt ſimilis herbæ Lactariæ ſeu Eſulæ minori, ut uix etiam diſcerni queat. Obſeruantibus tamen facile erit diſcrimen: Eſula enim lacteum liquorem fundit: hæc minimè. Item hæc eadem flauos fert flores, thalictro ſimiles, inſtar umbilici aut canini capitis acutos: in medio luteos, qui in capitula mutantur, in quibus ſemen Gentianæ ſimile. Diſcrimen harum uerſiculo uulgato Barbari oſtenderunt.

*Eſula cum lacte, ſine lacte linaria creſcit:*
*Florem fert æſtate, totoq; inſuper autumno.*

2.

Altera ſpecies priori ſimilis, præterquàm quòd flos eſt minor & ſubflauus. Nomen idem cum priore obtinet.

Tertiam

B

Tertiam ſpeciem facit Heliochryſon, à forma quam cum Amarãtho, quem Græci Heliochryſon uocant, habet. Foliis & caule prioribus ſimilis, ſed tenerioribus & iucũdioribus, floribus in caulis ſummitate copulatis, quales ſunt Heliochryſi, maioribus tamen rubicundioribusq;. Naſcitur locis apricis, harenoſis & humidis. German. etiam **Lynkraut** dici poterit. Cõmodius tamen ad Heliochryſon, Ger. **Reinblümen** uocatam, referri Trag. exiſtimat. 3. Heliochryſos.

Quarta naſcitur ſpeciperos ferẽtibus, flore lini cœruleo, quod idẽ **Heydenflachs** nominat. 4.

TEMPERAMENTVM.

Oſyris ſeu linaria qualitatis eſt calidæ & humidæ. Vrinã ducit, unde Vrinalis herba, & **Harnkraut** eſt dicta, quod tamen nomen aliis quoq; herbis tribuitur.

VIRES, INTRINSECVS.

Oſyridis ſiue Linariæ aqua ſtillatitia, cum drachma puluꝛis corticis Ebuli pota, urinam fortiter ciet, nec niſi hydropicis eſt danda. Eadem aqua pota ſedes prouocat. Ictericos ſanat, præſertim ſi cũ uino herba fuerit decocta: iecoris item obſtructiones aperit. Heliochryſi flores & folia in uino decocta urinam cient: Philtra & uenena educunt: ruptis medentur, ſanguinis grumas diſcutiunt & expellũt, menſes & ſecundinam prouocant. Deſtillationes capitis, cum uino aridi flores ieiuno ſtomacho drachmæ poti pondere, cohibent.

EXTRINSECVS.

Oculorum inflammationes & ruborem ſuccus linariæ illitus ſanat. Herba ipſa, ſuccus & aqua, omnia damna, ut carcinomata & fiſtulas, curant. Faciei maculas & rugas, cum ſucco, mulieres formę ſtudioſæ, exterguũt. Heliochryſum calculo, lumborum, matricis & ueſicæ doloribus, indeſeſsionibus medetur. Aridi flores ueſtes à blattis conſeruant.

ANTIR-

## ANTIRRHINVM.

Antirrhinon.

Anarrhinon.
Lychnis agria.
Cynocephalæa.
Bucraniõ.

ANtirrhinon Græcis & Latinis, Officinis incognita. German. **Ozant/ Brackenhaupt/ Kalbsnaaß/ Hundskopff**. Herba est anagallidi foliis & caule similis, flore purpureo, ad effigiem uiolæ albæ, semine uituli naribus simili conspectu: nam fructus excusso flore uitulinarum narium rudimenta quædam exprimit: nulla radice, uel admodum tenui. Dicitur & Anarrhinon, à seminis scilicet forma: Item Lychnis agria, à similitudine eius herbæ. Cynocephalæa & Bucranion Galeno, quòd fructu canino seu uitulino capiti similem ferat. In hortis & agris ubiq; nascitur.

TEMPERAMENTVM.

Facultates, teste Paulo, cũ Bubonio pares obtinet, sed inferiores aliquantum: ac extra corpus potissimũm usurpatur.

VIRES, EXTRINSECVS.

Perunctos eo cum oleo lilino uenustiores fieri: nec ullo medicamento lędi posse, si quis appensum gestet, tradit Dioscorides.

## CATANANCE.

C

ATanance dicta παρὰ τὸ κατ' ἀνάγκην, id est, quòd cogat ad amorem: Siquidem ad amatoria eius est usus.

Dioscorides describit duorum generum: Alteram folia Coronopi habentem, longa, à radice iunci modo prætenui, capitulis senis septenisue, in quibus semen erui inest. Arescens in terram flectitur, & se contrahit, ad speciem unguium milui exanimati. Hæc uidetur esse ea, quam Germani **Streichkraut**/ quòd ea ad lectos illinendos mulieres utantur, nominant. Item **Sterckblũm**/ eadem de causa, cuius hic picturam ostendimus, quam nonnulli tamen Antirrhinon quoq;, cuius præcedenti capite est facta mentio, esse uolunt. Nascitur locis incultis & secus uiarum margines. Mulieres herba uiridi seu arida, in aqua & alumine decocta flauum lectis colorem inducunt.

Altera Catananes species, quam Dioscorides describit, est incognita. Descriptionem tamen eiusdem ex autore non

A non pigebit subijcere. Nascitur ea mali parui magnitudine, radice exiguæ oliuæ magnitudine, foliis quoq; oliuæ, colore & figura, mollibus, diuisis, humi inclinatis. Semen, ut Cicer, minutum in uirgulis dependet, punicei coloris, multis foraminibus pertusum.

VIRES.

Vtraq; ad amatoria expetitur.

## MALVA.

MAlua, Græcis μαλάχη, quasi μαλακὴ, quòd uentrem molliat. Sic Latinis Malua, quasi molliens aluũ. Gal. *Maulue*. Germa. **Bappeln.**

Genera sunt eius duo: Hortensis & syluestris. Dioscorides descriptiones, tanquam notiores fortasse, non ponit. Hortensis grãdescit sæpe in arborem, & baculi usum præbet, foliis amplis, circinatæ rotunditatis, rarioribus in ambitu segmentis. Caudex simplex, luxurioſæ proceritatis attollit, à medio ferè ad uerticem pulcherrimis floribus decoratus, breui admodum pediculo dependentibus, qui uenustate rosis nõ cedunt, & si suppeteret ὀdor, de principatu certarent: cùm nec colore superentur purpureo, uermiculatõue, nec etiam interdum candido, odore tãtùm uinci constat. Vicissim è maluaceo caule funduntur rosæ, quædam nascentibus similes iã primùm exeunt, aliæ conuolutis adhuc foliorum paniculis nõdum dehiscunt. Capitula quædam breuibus innixa petiolis, & leniter in mucronem fastigiata, primùm è caule prosiliunt, ijsq; paulatim intumescẽtibus, prægnantia florum inuolucra fathiscunt: in quibus dehiscentes rosæ sese pandunt & explicantur in folia, structili quadam serie numerosa, calycibus apices paucos complexis, qui lutei medijs emicant, quibus decidentibus emicant purpurea stamina. His fœtus succrescit multipliciter tunicatus, atque in umbilici formam numeroso semine coagmẽtatus, in quibus cùm decussa sunt folia, reliquarum maluarum modo semina recluduntur. Seritur nusquam nõ in hortis mense Octobri, ut

quæ

quæ hyemis occursu ab incrementi longitudine reprimatur. Solū amat C pingue ac humidum, omneq; solum in quo seritur pinguius efficiūt. Vul
Rosa trāf marina. gò Rosam transmarinam appellant. Ger. **Römische Pappel/ Herbst rosen/ Ernrosen**. Satiua uarias rursus differentias ex florum discrimine, qui interdum purpurei, interdum sunt cādidi, ac uel simplici, uel multiplici florum textura constant, admittit. Sed in reliquis sunt similes. Floret Iulio & Augusto.

Syluestris malua duplex est: Altera minor, quam Pumilam uocant. Ger. **Gensbappel/ Keßbappel/ Hasenbappel** dicitur. Locis nascitur incultis, folio rotundo, pingui, paucis in ambitu segminibus intercepto, caule magno, floribus purpureis, radice candida: Altera maior, quæ folio magis laciniato nascitur, & ferè arboresc it. Germa. **Roßbappel**. Floret Iunio & Iulio maximè.

Satiua etiam Malua, ut Columella tradit, cum sole circumagitur, Vt hoc tradit uersiculo:

*Et moloche prono sequitur quæ uertice solem.* D

Estq; eadem esui, ac aluo subducendæ cum lactuca conueniens. Vnde Martialis:

*Vtere lactucis, & mollibus utere maluis.*

Acidem: *Exoneraturas uentrem, mihi uillica maluas,*
*Attulit & uarias, quas habet hortus, opes.*

TEMPERAMENTVM.

Omnium maluarum genera & species humidi sunt temperamenti, ac medio se modo habent. Satiuæ syluestribus præstantiores sunt.

VIRES, INTRINSECVS.

Maluæ satiuæ folia, radix, uel semen in lacte uel uino cocta, tussi calidæ & pulmonis uitio medentur. Phthisicis in cibo & potu usus eorum est utilis. Folia ac radix, cum semine fœniculi & anisi, in uino cocta, lac nutricibus augent: dolorem intestinorum & uesicæ mitigant: tenasmū adiuuant. Aqua omnium maluæ generum stillatitia, omnibus internis uitijs ardentium febrium prodest: Pulmonem & hulcera laterum refrigerat & emollit. Peripneumoniæ & pleuritidi auxiliatur. Qui succum maluæ biberit, eum die isto ab omnibus morbis liberū fore, tradit Plinius. Succus comitialibus est salutaris. Aegilopas, maluæ folia in acetario cum sale comesta, sanant: ipsa folia cum melle tusa oculis illini debent. Quæ de satiua malua dicta sunt, de reliquis similiter eius speciebus intelligenda ueniunt.

EX-

EXTRINSECVS.

Flores omnium maluarum in uino uel aqua cum melle & alumine decocti, putredini oris & colli, gargarizati medentur. Decoctum florum maluæ, aut aqua ſtillatitia, contra linguæ, omnesq; internas & externas inflammationes, ignem ſacrum, anginam, aliaq; œdemata, gargarizata & illita pollent. Apum & crabronum ictus aqua uel ſuccus illitus ſanat. Oleo florum maluæ peruncta cutis, ab earundem ictibus eſt tuta.

Porriginem & ſquamas capitis, in urina cocta folia & radix, ſi caput decocto abluatur, pellunt. Omnes uulnerum inflammationes maluæ aqua purgat, & ad ſanitatem perducit. Externa corporis hulcera, folia, radix, & ſemen, uel ſola uel cum adipe, reſoluunt & molliunt.

Tumores iecoris, lienis & matricis, eadem cum farina hordeacea in aqua cocta, oleo oliuarum uel roſaceo admixto, illita reſoluunt, diſcutiunt & molliunt. Eadem ratione eryſipelata & gangrænam reſtinguunt: aculeos quoq; corpori infixos extrahunt. Clyſteribus folia, ſemen & radix ob ſanandi efficaciam ſunt utiliſsima. Eadem in ſacculo in aqua cocta, calculoſis proſunt, ſi aquæ patiens inſideat: meatus enim ueſicæ laxant & aperiunt. Fluxus capitum, ſi pedes in ea foueantur, deprimit. Omnes in ſumma Maluarum ſpecies, Alcea quoq; & Althæa, cunctis totius corporis inflammationibus opem ferunt.

B

## ALTHAEA.

ALthæa ſiue Ebiſcus aut Ibiſcus, Græcis & Latinis, ab ἀλθέω, id eſt, medendo dicta, quaſi dicas, Medica: eſt enim maximus eius in Medicinis, Chirurgis maximè, uſus. In ſylueſtrium Maluarum eſt genere, foliis Cyclamini, rotundis, lanugine caneſcētibus, flore roſaceo, bicubitali caule, radice lenta, uiſcoſa, intus alba. Officinis Biſmalua, item Maluauiſcus, ex Malua & Euiſco facto uocabulo, dicitur. Germa. **Jbiſch/ groß oder wild Bappeln.** Locis gaudet humidis & pinguibus. Radix eius in fine Auguſti, & initio Septembris foditur. Floret Iulio & Auguſto. De hac: Mirum, inquit Plinius, aquam radici eius addita, addenſari ſub dio & elacteſcere.

*Ebiſcus. Ibiſcus. Medica.*

*Biſmalua. Maluauiſcus.*

TEMPERAMENTVM.

Folia & flores ſunt calida & ſicca in gradu primo. Radices in principio ſecundi: Miſcetur medicamentis, & ad internas & ad externas corporis partes.

D

Cupreſſus

dice oblongo & tereti, folio Pini, ſed C carnoſiore, amaro, nec ita pungente fronde indecidua, odore uehementi: ſemine in conis exili, & quaſi laricis fructui proximo, quod pilula ſua fathiſcente labitur: rara, macilenta materie: radice per ſumma ceſpitum uagante. Sed de hac inter arbores. Iam de frutice Chamæcypariſſo. Herba eſt coronaria, in hortis & fictilibus paſsim naſcens, breuitatis coactæ, foliis incanis & perennibus, Abrotoni fœminæ modo ſciſsis: floribus in ſummo, auri inſtar fulgentibus, totuſq; frutex eſt odoratus. Vulgò Cupreſſus dicitur, quòd quaſi Cupreſsi arboris ſit abortus, odore & foliorum forma eidem per omnia ſimilis. Germa. Cipreß. Tragus Chamæpityn uult eſſe ueram. Eſt & ſylueſtris Cypariſſus, Abrotoni ſpecies altera, fœmina uidelicet, de qua ſuprà. D

TEMPERAMENTVM.

Cupreſſus exiccatoriam uim habet, ſed abſq; inſigni caliditate. Acrimonia enim in guſtu eſt leuis, amaritudo maior, ac multò plus acerbitatis in tota planta.

VIRES, INTRINSECVS.

Decoctum in uino ſeptenis diebus matutinò & ſub ueſperam potũ, ſtericis auxiliat: iecoris obſtructiones aperit: meatus urinæ ſoluit: dolores renum, ueſicæ & coxendicis ſedat: reſiſtit ueneno efficaciſsimè.

EXTRINSECVS.

Cypariſſus eadem ferè quæ ruta eiuſq; ſpecies, hypericon nimirũ, poteſt. Plures ergo huius uires ibi require.

## CHAMAEPITYS.

Abiga. Ibiga. Iua moſchata.

CHamæpitys, quaſi dicas terreſtris ſeu humilis pinus, quòd pini odorem aliquem habeat. Aiuga Plinio & Abiga. Item Ibiga. Officinis Iua moſchata. Tria facit huius Dioſcorides genera. Primum per terram ſerpens, ſubcuruum, foliis Aizoi minoris, multò tamen tenuioribus, & pinguioribus, circa ramos frequentibus, odore pinus, flore exiguo, luteo uel candido, radice Cichorij.

Errant

A

Errant qui hanc ſpeciem uolunt eſſe herbam, quę Germanis **Jelenger ie lieber** dicitur, diuerſam ab hac, & Latinis Amarã dulcem dictam, de qua ſuo loco. Tragus Chamæpityos oẽs ſpecies Chamæcyparíſſos facit ſyluestres, ac appellat **Feldcypreſſen**. Gallicè, *Iue*.

Altera ramis cubitalibus anchorę mõdo incuruis, tenuibus, coma ſupradictæ ſimili, flore cãdido, ſemine nigro, pinus item odore. Tragus alteram ſpeciem deſcribit, raram inuentu, in aruis præſertim auena & zea conſitis, menſe potiſſimum Iunio, Thymbræ inſtar fruticantem, odore & forma gratam, nigricantibus, teneris, & diuiſis Abſinthij inſtar foliis, minoribus tamen, aſpectuq; iniucundioribus, purpureis iuxta ramulos floſculis, uelut in hyſſopo, ſemine rotũdo, ſubnigro, radice ſimplici, qualis eſt thymbræ, guſtu amaro, odore ingrato, Germa. **Feldcypreſſen** appellant.

B

Tertia, mas dicta, paruula, foliis exilibus, candidis & hirſutis, caule aſpero, candido, floſculis luteis, ſemine iuxta alas, pinus ſimiliter odorem referens.

Hæc eſt uera Iua moſchata, quam Pharmacopolæ oſtendunt: & eſt eadem herba Iua & Chamæpitys: quamuis Pharmacopolæ negent. Tragus **Feldcypreſſen** tertiam appellat. Habet enim ſimilitudinem aliquam cum Chamæcyparíſſo. Iua moſchata uera.

TEMPERAMENTVM, ET VIRES.

Complexionis eſt calidæ & ſiccæ. Vires habet cum Chamæcyparíſſo, & Rutæ ſpeciebus pares.

## NASTVRTIVM.

NAſturtium à naribus torquendis dictũ, quòd ſternutamenta odore & ſeminis acrimonia prouocet. Græcis κάρδαμον ἀπὸ τῆς καρδίας, quòd cor foueat, ac in ſyncope, quam Cardiacam uocant, plurimum ualeat. Naſturtiũ Κάρδαμον.

Creßio. Alij alia etyma ſtatuunt. Barbari Creſsionem, German. **Kreß** appellant. Galli, *Creſſon.*

Tria Naſturtij præcipua numerantur genera: Hortenſe, Aquaticum & campeſtre.

1. Naſturtiũ hortenſe. Naſturtium hortenſe uulgaris eſt notitiæ. Caulibus aſſurgit ſeſquipedalibus, longè ſtatim à radice minutorum foliorum pediculo, floribus candidis, ſemine per ramorum latera copioſo, firmo, calyculis orbicularibus contento, ſapore acri. Floret potiſsimùm Iunio, mox ſemine prægnans. Germa. **Gartenkreß.**

Garten kreß.

2. Naſturtiũ aquaticũ. Siſymbrium cardamine. Naſturtium aquaticum, eſt Græcis Siſymbrium cardamine dictum, altera Siſymbrij ſpecies. Germ. **Brunnkreſſen/ Waſſerkreſſen/** de quo ſuo loco.

Brunnẽ kreß.

3. Naſturtiũ ſylueſtre. Tertium eſt Naſturtium campeſtre, ſeu agreſte. Græcis Κάρδαμον, Lepidion ſyluestre. Item Καρδαμαντικὴ, uel ἀγριοκάρδαμον, quòd radix odorem habeat Naſturtij: Vel quòd folia eius partim Siſymbrio cardamine, hoc eſt, Naſturtio aquatico, ſint ſimilia, partim etiam Cardamo, hoc eſt, Naſturtio hortenſi. Siue quòd guſtu Naſturtium referat. Germanis **Gauchblũm/** quòd pleroſq; quibus nondum eſt cognitum infatuet. Folia habet Naſturtio

A sturtio similia, uerno tempore uirentia, cubiti altitudine, aut minora, flore lacteo, radicibus duabus, quamuis una etiam plerunq; conspicitur, odore Nasturtij quàm acerrimo. Nascitur in pratis & locis incultis. Tragus ex Nasturtio aquatico per inundationem fortè in prata delato prouenire dicit. Vel etiam ex eiusdem semine in prata sparso. Floret Aprili potissimùm. Monendus hic lector, Lepidion & Hiberin, quarum alterã in fine primi, alteram in fine ferè tertij Dioscoridis describit, eandem esse herbam, doctissimorum hodie, qui de herbis scripserũt, iudicio. Vnde Ruellius caput de hiberide in fine libri primi adulterinum existimat, ac duas Lepidij facit species. Alterum maius, Germanis **Ingwerskraut**/seu **Pfefferkraut**/de quo suo loco, in capite de Lepidio. Alterum minus, Germa. **Gauchsblüm**.

*Lepidium & Hiberis eadem herba.*

## TEMPERAMENTVM.

Hortensis Nasturtij semen calidum est & siccum ordine quarto. Herba arida eiusdem est temperamenti. Viridis uerò & recens multò est inferior, ut in acetabulis pro cibo sumatur. Aquaticum aridum, est calidum & siccum ordine tertio. Viride autem in secundo. Agreste est calidum & siccum in gradu quarto, sicut hortense. Minus tamen desiccat.

## VIRES, INTRINSECVS.

B Omnes Nasturtij species urinam cient, aluum purgant, renes & uesicam: iecoris & splenis obstructiones soluunt, interna corporis uulnera sanant: Venenum, cum oleo sumpta, educũt. Cum mulso decoctum manè & uesperi potum, uiscosos humores educit, tussim & dyspnœam discutit. Cum lacte caprino coctum pectoris dolores tollit. Succus ore retentus, malos humores è dentibus dolentibus educit.

## EXTRINSECVS.

Succus illitus & folia tusa imposita, omnibus corporis maculis, pustulis & scabiei sunt remedio: eodem modo coxendicum & lumborum dolori fert auxilium, tumores discutit: sentes & infixos corpori aculeos extrahit: squamas capitis lotione aufert. Oĩa corporis exedẽtia mala succus purgat & sanat. Semen ore mansum, linguæ paralysi auxiliatur. Sternutationes prouocat naribus inditum, ac lethargicos excitat. Strumas & tubercula circa aures cum aceto coctum semen illitum digerit. Semen est ad omnia foliis calidius ac fortius, ac propterea minus intra corpus adhibetur: nisi ad excitandam fortè frigidiorem naturam.

# THLASPI.

THlaspi, Ruellio teste, dictum ab θλᾶν, id est, ab infringendo, quòd semen lenticulæ sit effigie, nisi quòd infringitur. Aliis Thlaspidium. Itẽ Sinapi sylueſtre, Capsella, Scandulaceũ & Nasturtium tectorum. Item Bursa pastoris, à similitudine eius herbæ.

*Thlaspi. Thlaspidium. Sinapi sylueſtre.*

Duo ſunt eius genera: Alterum folijs latiori- C
bus, Germanis **Baurenſenff**/ quòd manſum e-
ius ſemen, ſinapis modo linguam & os uellicet,
**oder Kreß**. Gallicè, *Seneue*. Hoc Thlaſpi maius
aut latifolium commodè appellabitur.

Et eſt hoc Thlaſpi maius ſine dubio eruditorum hodie conſenſu, ea herba, quam alij Raphanum ſylueſtrem, German. **Merretich** uocant. Radicibus grandibus & folijs magnis, ut deſcribit Dioſcorides, Arabibus Naſturtium album. Officinis Raphanus ſylueſtris. Aliàs Sinapi Perſicum Dioſcoridi.

Alterum folijs anguſtioribus, quod Thlaſpi minus aut tenuifolium non ineptè dicetur. Germanis **Beſemkraut**/ quòd in ſcoparum uſum ueniat. Dioſc. hoc modo deſcribit: Herba eſt folijs anguſtis, digitali longitudine, in terram uerſis, ſubpinguibus, in cacumine diuiſis, binûm dodrantum cauliculo, tenui, adnaſcentibus ramulis multis: fructu per ambitum cõtento, ſumma ſui parte parum lato, ſemine incluſo Naſturtij, lenticulę effigie, niſi quod infringitur: flore eſt candido: ſemine acri. Naſcitur in ſcrobibus, ſemi- D
tis & ſepibus. Floret Maio & Iunio, ſemineq; eſt prægnans.

Alliaria.

Alliaria.

TEMPERAMENTVM.

Calidum eſt & ſiccum ordine quarto, ſicut & Naſturtium.

VIRES.

Vires eius ſunt in internis potiſsimùm corporis partibus. Acetabuli mẽſura potũ, bilem per ſuperna & inferna purgat. In clyſtere infuſum iſchiadicis prodeſt, ſanguinolenta euacuãs. Internos abſceſſus potum rumpit, ſanguinem ducit, mẽſes cit, & fœtus necat. Thlaſpi maius ad ſalſamentarios uſus tuſum aceto conditur. Succus eiuſdem potus peripneumoniacis auxiliatur. Cõtrà calculum, & mẽſes ciendos ducendamq; urinã cum melle & aceto decoquit, & in eclegmate datur.

## ALLIARIA.

ALliaris & Alliaria. Germa. **Knoblochkraut/Leuchel/Saffkraut.** Gall.

A Gall. *Herbe de Aulx.* Alliaria dicta, quòd trita folia allij odorem referãt. Tragus dicit Thlaspi cornutum esse, cuius antiquus mentionem facit Crateuas. De huius nomine apud ueteres & Latinos nemo adhuc quicquam habet cognitum. Proinde quæ hodie eius descriptio & facultas ponitur, eandem subijciemus. Alliaria Martio primùm emicat, folia habens subrotunda, uiolæ similitudine, aliquantulum tamen maiora, quæ adulta in angulos exeunt: herba ipsa bicubitali proceritate consurgit, caule tereti, foliis Vrticæ, nisi quòd leuiora sunt, parcius fimbriata, & à pedículo latiora, allij odore cùm teruntur, flore lacteo albóue, exili in siliquis semine, colore atro, radice oblonga, eiusdem cum foliis odoris. Nascitur circa sepes & agrorum passim margines. Florem æstate ac deinceps semen profert. *Thlaspi cornutum*

TEMPERAMENTVM.

Facultates cum Allio habet similes: calfacit & desiccat: non tamen perinde atq; Allium in excessu quarto.

VIRES.

Corpus calfacit. Crassos humores in eo extenuat, glutinosos incidit. Omnia tamen hæc minori quàm Allium efficacia. Semen eius cum aceto, emplastri modo mulieribus strangulatione uteri laborãtibus impositum, & uuluæ admotũ prodest, ac easdem excitat. Omnia item quæ Nasturtij semen, sed minore efficacia, præstare ualet.

B

## LEPIDION.

LEpidion, quòd λεπίδας, id est, squamas & maculas faciei abstergat, dictum. Officinę Raphanum appellant, à radicis & foliorum similitudine cum syluestri raphano. Vulgò Piperitin, à piperis acrimonia, quam in gustu refert: diuersa à Piperitide Plinij, quæ siliquastrum & German. **Indianisch Pfeffer** appellatur, de quo suo loco in cap. de Siliquastro. Germa. dicitur **Pfefferkraut** / & **Ingwerokraut.** Gall. *Paßerage.* *Lepidion.* *Raphanus.* *Piperitis.* *Pfefferkraut.*

Duo sunt Lepidij secundum Columellam genera: Satiuum & syluestre.

Satiuum, quod apud nos nascitur, fruticosum est, foliis lauri, sed maioribus multò, & mollioribus: cubitali, & interdum bicubitali altitudine, caule solido & rotundo: floribus candidis & admodum exiguis: semine paruo, radice longa. Folia acria sunt, & piper gustu referunt, linguamq; uellicant. Vnde Piperitin uulgò uocant.

In

In hortis passim nascitur. Biennio potissimùm bene cultum durat. C
Quibusdam etiam locis, teste Ruellio, ad decennium uiuacitatem suam
prorogat. Floret Iunio & Iulio, ac mox semine est prægnans. Cultu-
ram eius docet Ruellius cap. 105. lib. 2. Dioscoridi intacta huius speciei
descriptio relinquitur. Vires tamen in lib. 2. explicat.

*Lepidium sylvestre.* Lepidium sylvestre, est Nasturtij species, quæ Cardamantice, item A-
griocardamon, Germa. **Gauchblům** dicitur. Paulo Hiberis cognomi-
natur. De hoc paulò antè cap. de Nasturtio est dictum.

TEMPERAMENTVM.

Calidum est sicut Nasturtium, ordine quarto, minus autem exiccat.
Foliis uis exulceratrix inest. Natura eius est crassos & glutinosos humo
res & cibos incidere & extenuare.

VIRES, INTRINSECVS.

Vsus Lepidij non est sine lacte, ac Nasturtio similes facultates obti-
net. Salgamorum more, sale cum lacte conditur.

Condiendi autem Lepidij rationem Columella explicuit. Sunt, in-
quit, qui satiui, uel etiam sylvestris Lepidij herbam cùm collegerũt, in um
bra siccent: deinde folia eius adiecto caule, die ac nocte macerata muria,
expressaq; lacti misceant, sine condimentis, & salis quantum satis arbitrẽ
tur adijciant. Alij in olla iuxta fundum terebrata, foramine surculo ob-
turato, & lacte ouillo quàm recentissimo uas implent, adijciuntq; uiri- D
dium condimentorum fasciculos, Origani, Menthæ, Cepę, Coriandri:
has herbas ita in lacte demittunt, ut earum ligamina extent: post quintũ
diem laxato uasis emissario, serum manè sinunt: hoc identidem faciunt.

Nonnulli recẽtia folia Lepidij cum dulci lacte in olla miscent, & post
diem tertium serum emittunt: deinde compertam Satureiam uiridem,
tum etiam arida semina Coriandi atq; Anethi, Thymi & Apij in unũ be-
ne trita adijciunt, salemq; bene coctum cribratumq; permiscent.

Errant & non minimo cum damno, qui in deturbandis calculis renũ
Lepidium pro Raphano soliti sunt usurpare: exulcerantem enim uim, te
ste Dioscor. possidet, sæpeq; renes & uesicam erosionibus intestinis uel-
licat.

EXTRINSECVS.

Ischiadicis præsenti remedio illinitur, tritum cum radice Inulæ, &
quarto unius horæ parte impositum: prodest & lienosis.

Lepras, psoram & cicatricum hulcera facilè tollit. Dolorem dentium
brachio aut collo alligata radix, sistere traditur.

## HYDROPIPER.

HYdropiper, Latinè Piper aquaticum, quòd in aquis crescat, piperis
saporem imitans. German. eadem de ratione **Wasserpfeffer**. Item
**Flöhkraut**/ & **Muckenkraut**/ quòd pulices & muscas pellat. Item
**Schmertzen**/



**Schmertzen/Raſſel/Perſigkraut/ Pfawenkraut.** Gall. *Curage.*

Sunt & aliæ eius nomenclaturæ, Perſicaria, Zinziber caninum, Molybdæna, Plumbago, Maculata à maculis. Naſcitur, teſte Dioſcor. apud ſtagnantes, aut quæ pigro lapſu repunt, aquas: Caulem ædit geniculatum, robuſtum, multis alis concauum. Folia Menthæ maiora, candidiora, tenerioraq;, guſtu piperis amaro, citra ullam odoris gratiam. Fructum gerit in ramulis ſecũdum folia, continenti acinorum ſerie congeſtum, uuæ modo, ipſum quoq; acrem. Auguſto floret, floribus albis ſpicatim cohærentibus, minuto ſubinde ſemine ſubſequente. Ruellius eam uult eſſe herbam, quam hodie Eupatorium uocant. Sed argumenta huius conuincit ſingula Valerius Cordus, oſtenditq; Hydropiper mordacem eſſe Perſicariã. Vide eius argumenta ſuper Hydropiper Dioſcor. lib. 2. *Mordax perſicaria*

Altera Hydropiperis ſpecies, quæ à Fuchſio ponitur, Hydropiper rubeum appellata, Dracunculus eſt paluſtris, ut ipſe tandem eodem capite teſtatur.

Tragus ſecundam Hydropiperis ſpeciem ſtatuit, minorem, quam fœminam appellat, ab Hippocrate Polycraton dictam. Priori foliis, maculis & caule ſimilem, niſi quòd minora ſunt, guſtu uerò non mordente, Acetoſæ propemodum ſapore.

TEMPERAMENTVM.

Calidum eſt, ſed minus quàm Piper, & ſiccum.

VIRES.

Ad externas potius corporis, quàm internas partes eius eſt uſus.

Contuſæ herbæ ſucco ſordida hulcera hominum & animantium utiliter abluuntur.

Folia cum ſemine illita, œdemata, ueteresq; duritias diſcutiunt. Sugillata delent. Siccata & tuſa, pro pipere ſali & obſonijs miſcentur. Radicis nullus in Medicinis uſus.

BATRA-

# BATRACHION.

C

Batrachion. Pes coruinus. Flãmula.

BAtrachion, Latinè Ranunculus, quòd locis fortaſſe humidis & marginibus, ranarum inſtar gaudeat. Gallicè. *Baſſinet*. Germa. **Hanenfüß**, à pedis Gallinacei ſimilitudine. Vnde etiam Pedem coruinum nonnulli appellãt, & Flammulam, ab urendi ui. Scelerata etiã eadem de cauſa, quòd ſcelerati mendicãtes, crura & lacertos hac ipſa dilanient, ut hac impoſtura ſtipem extorqueant.

Huius ſeptem in uniuerſum numerantur ſpecies: Duæ ſylueſtres: altera luteo, altera purpureo flore. Duæ hortenſes, altera ſimplici, altera multiplici flore intexto. Quinta exigua & minor iam dictis. Reliquæ duæ minimæ, altera lacteo, altera flore luteo. Poſſunt itaq; ad quatuor præcipua genera, ſicut à Dioſcor. recenſentur, referri.

D

1. & 2. Prima duo genera, ſyluestria nimirum, folia habent Coriandro ſimilia, latiora, ad Maluæ ſimilitudinem accedentia, ſubalbida & pinguia, flore luteo, interdum purpureo, caule non craſſo, pedali altitudine, radice parua, alba, amara, adnaſcentias ellebori modo habente. Qui luteum profert florem, Germa. **Weiß Hanenfüß** dicitur. Naſcitur circa fluenta & in limitibus, pratisq; humidis & uliginoſis, abſq; cultura. Floret ſatim initio Aprilis. Maio penitus euaneſcit.

3. & 4. Reliqua duo, hortenſia uidelicet, Ranunculi genera, ſunt lanuginoſiora ſeu folioſiora, ut Plinius ſcribit, altiore caule, pluribus foliorum inciſuris:

B

suris: quorum alterum simplici foliorum textura constat. Germa. **Vngefüllter garten Hanenfüß**: Alterum multiplici foliorum textura est compactum. German. **gefüllter Hanenfüß**. Hoc genus Apium rusticum, à foliorum similitudine, quam cum Apij foliis habet. Item Apium risus, & Sardoniam herbam appellant. Nascitur secus aquas & fontes, copiosissimum autem in Sardia. Hæc si comedatur uescentibus neruos contrahit, ac rictu ora diducit, ut qui mortem oppetunt, uelut ridentium facie pereant. Vnde prouerb. Sardonius risus. Inuenitur tota æstate. Vtrunq; hoc genus **Wasser Hanenfüß** dicitur.

*Apium rusticum.*
*Apium risus.*
*Sardonia herba.*
*Sardonius risus.*

Quintum genus est exiguum, graui odore, flore aureo, in pratis & campestribus tota passim æstate proueniens. Germa. **Kleiner Hanenfüß**. 5.

Postrema duo quinto sunt similia, radice longiore, & modo quodam nodosa, gustu acri: Alterum flore lacteo. German. **weiß Waldhenle**: Alterum flore luteo: German. **gelbs Waldhenle**. Syluis familiare. Aprili tantùm mense apparet. Et sic quatuor uel septem erunt Ranunculorum species. 6. & 7.

TEMPERAMENTVM.

Calidi ſunt uehementer & ſicci omnes Ranunculi. Exurunt itaq;, puſtulasq; uelut ignis excitant. Intra corpus proinde ſumi non debent.

VIRES, EXTRINSECVS.

Folia & caules omnium Ranunculi generum, ſi teneri illinantur, exulcerandi, & cruſtas cum dolore generandi uim habent. Scabros igitur ungues & ſcabiem tollunt, ac ſtigmata delent.

Myrmecias, acrochordonas, & alopecias illita modico tempore ſanant: nam ſi diutius adhæreant, non excoriatur ſolùm cutis, ſed & in cruſtam uritur.

Perniones tepido eorum decocto fouentur.

Radix ſicca & trita, ſternutamenta, naribus admota, ciet.

Dentium dolores admota lenit: dentes tamen atterit.

## CORONOPVS.

Coronopus

COronopus idē ualet quod Pes coruinus, seu Cornicis. Germanis eadē nomenclatura **Rappenfüß / Krácnfüß**. Nonnullis Cornu ceruinum, à foliorum forma nomēclaturis desumptis. Italis herba Strella. Gallis, *Capriole, Sanguinaire*. Herba est acetaria, cuius loco malè ranunculū nonnulli exhibēt, cùm à Ranūculis sit diuersa. Nascitur, ut breuiter Dioscorides descriptionem absoluit, locis incultis, in aggerib. & circa uias. Nō tamen facilè nisi satam in Germania nasci constat. Herbula est oblonga, per terram repens, foliis fissis, radice tenui & adstringēte, quæ in cibo cœliacis prodest: Coquit in oleribus. Hæc Dioscorides. Hæc descriptio herbæ uocatæ **Rappenfüß**, omnium testimonio cōuenit. Sin quis pleniorem uelit, prouenit hunc in modum: Folia habet longa, tenuia, acuminata, in coruini pedis, aut ceruini cornu modum diuisa, aut lacertæ formam repræsentantia, nigricantia, per terram copiosè sparsa. Caules fert nudos, semen & florem plātaginis acuminatæ forma in summitate ferentes. Radix uilis, tenuis. Est autem diuersa Coronopus ab aculeata, seu gramine aculeato Plinij, ut ex descriptionum, aculeati graminis Plinij, & Coronopi huius, collatione satis apparet. Sanguinariam nonnulli, à ui sistendi sanguinis, & Herbam stellæ, qua ratione Græci ἄσπριον uocant.

*Pes coruinus.*

*Cornu ceruinum.*

*Herba stella.*

*Herba acetaria.*

*Sanguinaria.*

*ἄσπριον.*

TEMPERAMENTVM.

Radix est adstrictoria: Natura ei exiccandi.

VIRES.

Radix, Dioscor. teste, olerum modo estur, ac cœliacis, Galeno, Dioscor. & Plinio consentientibus, prodest. In acetarijs hodie editur.

## SINAPI.

SInapi, Athenæo teste, ὅτι σίνεται τὰς ὄψεις ἐν τῇ ὀσμῇ, hoc est, quòd olfactū luminibus officiat, dictum. Vnde Columella: Seq; lacessenti fletum factura sinapis. Græcis item Napy nominat: quasi Naphy, ut idem interpretatur, quoniam non sine naturā sit, sed acri, & proinde quasi incommoda donetur. Vel quòd pusillo sit corpore, ἀφυὲς enim dicunt, quod natura priuatum sit. Alij Napy per priuationem, uidelicet, νήπυον dici uolunt, quasi immite, quòd acrimoniæ sit uehementis. Gall. *Senene*. Germa. Senff.

*Sinapi.*

*Napy.*

1. Hortense primum.

2. Hortense alterum.

Eruca satiua.

3. Syluestre primum.

Sinapis plura sunt genera: Est hortense, idq; duplex. Est item syluestre, similiter duplex. Nec non & duplex aquaticum. Est & postremum, quod circa sepes & loca inculta nascitur. Germa. **Eisenkraut.**

Primum itaq; hortense Sinapi, caulem habet hirsutum, longum, ramosum, folia rapi, minora tamen, & asperiora, flores luteos, siliquas rotundas et hirsutas, plenas semine candicante. Germa. à flore luteo, **geeler Gartensenff.**

Alterum hortense, hirsuto itidem est caule, minore tamen, foliis Erucæ, maioribus tamen ac latioribus, laciniatis, floribus albicantibus, crucisq; effigiem referentibus, siliquis teretibus & oblongis, semine pullo rufescentéue refertis. Germanis ab albicantibus floribus **Weisser Gartensenff** dicitur. Latinis Eruca hortensis, seu satiua. Grecis Εὔζωμον, quòd iura commendet. Eruca uerò, quòd linguam erodat.

Syluestre primum in Auena & Rapis nascitur, flore albo, uiolæ similitudine: folia, caulem, & siliquas cum satiuo similes habet, sed minores, nec ita proceras. Latinis Eruca syluestris. German. **Weiß wild senff/ oder Senffkrut.**

Eruca syluestris.

4. Syluestre alterum.

Syluestre alterũ priori est simile, nisi quòd florem habet uteum. Germa. **geeler wilder Senff.** Iumentis in pabulo potissimùm miscet.

Eruca duo genera.

Sic duę sunt Erucæ species: altera satiua **weisser Gartensenff**: altera syluestris **weiß wilder Senff.**

Similiter

A Similiter iuxta aquas duo Erucæ genera crescunt, caule, foliis & siliquis prædictis similia, flore autem sicut & priora discrepantia: alterum luteo, alterū uerò albo. Minus reliquis sunt acria, gustu tamen nonnihil amara, Germa. **Wasserſenff/ groß & klein.** 5. & 6.

Postremum circa sepes & loca inculta nascitur foliis & caule & flore Eruca tenuioribus, & angustioribus: siliquis item breuioribus: semine flauo & minuto, sinapin quadantenus gustu referente: asperum uerò est secundum reliqua, ac linguam sicut sinapi uellicat. Tragus Verbenam fœmellam, Germa. **Eiſenkraut / das weiblin** appellari dicit, quoniam similitudinem quandam in gustu & forma cum sinapi habeat. Quod tamen alij Verbenæ faciunt speciem, de qua suo loco. 7. *Eiſenkraut/ das weiblin. Verbena fœmella.*

TEMPERAMENTVM.

Calidum est & siccum sinapi in quarto ordine. Vim habet calfaciendi, extenuandi, & extrahendi. B

VIRES, INTRINSECVS.

Quomodo sinapi ad Salgamorum & conuiuiorum usus apparetur, uide Columellam lib. 12. cap. 55. Varronem Rei rusticæ lib. 1. cap. 59. Palladium in mense Iulio. Fortius est, quod est album: ad Venerem incitat, urinam ciet: torminibus medetur, & intestinorum dolori. In uino coctum & potum idem semen, morsui scorpionum & uenenatorū prodest. Syluestre uerò quod in amnium ripis nascitur, est ualidius, & in ciendā urina uehementius. Postremum genus, quod Verbena fœmella existimatur, cum melle & uino apparatū, pectoris obstructioni summoperè confert: tussim lenit: fluxus ex capite ad pulmonem retinet. Phthisicis prodest: regium morbum pellit. Cum uino uenenis resistit. Ex tuso semine in lacte uel aceto macerato, pastilli, qui ad ciborum usus reponi solēt, conficiuntur. *Sinapis confectio.*

EXTRINSECVS.

Semen cum aceto illitum & impositum, pustulas rubras excitat: feras impetigines & lepram, hoc modo sanat: Contra tonsillarum tumores & arteriæ scabritiem ex aqua, & melle tusa farina gargarizatur: ad coxendicum & lienis cruciatus, & tumores illinitur. Cum melle sugillata tollit, & alopecias sanat. Plures seminis uires Nasturtio sunt pares. Radix Erucæ, seu albi Sinapi in uino cocta, confractis & tusis ossibus illinitur. Succus ad oculorum hebetudines prodest.

Verbenæ fœmellæ ſemen ex aqua, & melle il C litum, tubercula circa aures diſcutit: mammillarum tumores ſedat, & locorum naturaliū. Clyſteribus etiam utiliter admiſcetur. Reliquis generibus eædem ſunt uires.

## S. BARBARAE HERBA.

SAnctæ Barbaræ herba ſuperſtitione quadā Seſt uocata. German. **S. Barbara kraut.** Ex Erucæ ſylueſtris aliqui faciunt genere, ob ſimilitudinem quam cū illa habet. Naſcitur in cāpeſtribus, caule rotundo, ſolido, ſtriato, foliis Erucæ modo laciniatis. Florem Maio & Iunio fert luteum, ſemen in ſiliquis. Radix obliqua & longa.

TEMPERAMENTVM.

Qualitatis eſt calidæ, adeoq; ſiccæ.

VIRES.

Vulneribus potiſsimùm medetur, præſertim iis quæ impura ſunt. Carnem uulnerum ſuper creſcentem minuit, & ſordes extergit. D

## CHELIDONIVM MAIVS.

CHelidonium maius ab hirūdine, quæ Græcis χελιδὼν dicitur, nomen accepit, quòd nimirum, teſte Plinio, hirundo hanc primùm inuenit, & ea oculis pullorum in nido reſtituit uiſum. Vel quòd hirundinum aduentu floret, diſceſſu uerò marceſcit: quod de altero, minore uidelicet, uerè dicitur. Maius autem dictum ad differentiam minoris, de quo ſequente capite. German. **Schelwurtz / Schelkraut / groß Schwalbenwurtz.** Nonnullis etiam **Goldwurtz.** Gallis, *Chelidoine, ou Eſclere.*

Caule conſurgit cubitali, & amplius, gracili, adnatis folioſis compluribus: foliis Ranunculi, multis, tenerioribus, colore cœruleo nitidis. Flos iuxta ſingula folia uiolæ. Succus in eo croci, mordax, acer, non ſine quadam amaritudine & graueolētia. Radix ſupernè ſingularis, infernè autem multiplex in croci capillamenta fibratur. Siliqua cornuti papaueris, tenuis, longa, in metæ figuram, in qua ſemina ſunt minuta,

Papaueris

A Papaueris semine maiora. Locis nascitur opacis & parietinis. Floret in hirundinum aduentu, ac deinceps tota æstate.

Alteram etiam Chelidonij huius speciem statuit Tragus, Ger. **Gotsgnad**/de quo suo loco, capite de Geranio.

TEMPERAMENTVM.

Calidum est & siccum in tertio ordine absoluto.

VIRES, INTRINSECVS.

Radix Chelidonij maioris, cum uino albo & anisо pota, regio morbo medetur. Idem pota per aliquot dies præstat aqua stillatitia. Manipulus Chelidonij purgatus, in rosaceo iusta quantitate decoctus, ac colatus, theriacæ ʒ. j. s. addita, contra pestem efficacissimum est remedium.

EXTRINSECVS.

Succus Chelidonij mixtus melli, & in æneo uase in carbonibus decoctus, oculorum caligini confert. Succus autem ex floribus, foliis & radice æstate exprimitur, siccaturq; in umbra, inq; pastillos formatur. Cum uino radix illita herpetas sanat. Commanducata dentium dolores sedat.

## CHELIDONIVM MINVS.

B

Chelidonium minus Scrophularia minor.

CHelidoniũ minus. Officinis Scrophularia minor, quòd scrofulas, hoc est, strumas curet: Vel quòd strumosa radix multis frumentorum granis uideatur coaluisse. Scrophularia uerò minor, ad differentiam maioris, de qua suo locò est dictũ. Germa. **Feigblatern eppich/ Feigwartzenkraut/ Meyenkraut / Feigblatern kraut/ Schorbocks/ Pfaffenhödlin/ klein Scheel oder Schwalbenwurtz.**

Herba est parua, sine caule, foliis hederæ, rotundioribus minoribusq;, pediculis quibusdam à radice dependentibus, item teneris & aliquatenus pinguibus. Radices habet pusillas, frequentes ex eodem callo prodeuntes, in tritici modum aceruatim congestas, quarum tres aut quatuor tantùm in longitudinem progrediuntur. In limitibus gignitur humidis & palustribus. Verno floret tempore, mense Martio, sub hirundinum aduentum. Florem habet splendoris aurei, & in foliis purpureas maculas, quas Dioscoꝛ non descripsit. Vergilio quarto Georg. Amellus, ut Valerio Cordo placet, appellatur: his nimirum uersibus.

Amellus.

*Est etiam flos in pratis, cui nomen Amello*
*Fecere agricolæ, facilis quærentibus herba.*
*Namq; imo ingentem tollit de cespite syluam*
*Aureus ipse, sed in foliis, quæ plurima circum*

*Funduntur, uiolæ ſublucet purpura nigræ*
*Sæpe deûm nexis ornatæ torquibus aræ.*
*Aſper in ore ſapor: tonſis in uallibus illum*
*Paſtores, & curua legunt prope flumina Mellæ.*

TEMPERAMENTVM.

Calidum eſt & ſiccum, teſte Galeno, ordine quarto. Noſtrum tamen hodie minus eſt acre & guſtu erodens, ut ſæpe etiam nullam commandu cando acrimoniam præbeat: Potiſsimùm quod locis humidis eſt natũ. Locis uerò natum ſiccis, guſtum acriorem & erodentem habet.

VIRES, EXTRINSECVS.

Chelidonium minus ad externas potius quàm internas corporis partes, ob inſignem acrimoniam & eroſionem, adhibetur. Herba cum radice in uino cum melle decocta, præſtantiſsimum præbet gargariſmum: fluxus capitis purgat: lentos humores educit. Idem præſtat ſuccus cum melle naribus inditus. Folia, radix, ſuccus, puluis & ſtillatitia aqua mari ſcas, & ſtrumas efficaciter ſanant. Vnde Scrophulariæ minoris nomen accepit.

## CAPNOS, SEV FVMARIA.

CApnos, Latinis Fumaria. Officinis Fumus terræ, quòd ſuccus eius oculis inditus, uelut fumus lachrymas moueat, & oculos mordeat. Germa. **Erdrauch/ Daubenkropff/ Katzenkörbel.**

Herba eſt, Dioſc. teſte, fruticoſa, coriandro ſimilis, prætenera, folio albiore, cinerei coloris undiq; numeroſo, flore purpureo. Radicem habet albicantem, ſuccum acrem & amarum, qui oculorum caliginem diſcutit, lachrymaſq; in fumi modum elicit. Naſcitur in ſegetibus hordeaceis, hortis, uineis, ſepibus & macerijs, alijſq; locis incultis, & pinguibus. Carpitur in fine Maij & Septembris.

Eſt etiam alia Capni ſpecies, cuius meminerunt Plinius & Aëtius, quam pedes uocant Gallinaceos. Naſcitur hæc in dumoſis & ſepibus, unde Capnon phragmitida uocant. Item Capnos chelidonia, quòd hirundinum aduentu prodeat, folia eius inter Rutæ & Fumi terræ folia mediam ſimilitudinem obtinent: Cauliculo eius, ubi è terra erumpit, gallinaceorum calcaribus ſimile quiddam adiacet:

*Capnos phragmitis, & Chelidonia.*

Aret: Vnde Pes Gallinacei uulgò dicitur. Hęc Capni ſpecies eſt, quam uulgò Ariſtolochiam rotundam uocant. German. Holwurtz/ & Hanenſporn/ cùm nihil præter radicem rotundam habeat, quo cum Ariſtolochia conuenire poſsit, præterea & odore & ſapore differat. Vt etiam ſuprà capite de Ariſtolochia eſt dictum.

Pes Gallinacei. Ariſtolochia rotũda.

## TEMPERAMENTVM.

Calida eſt & ſicca in ſecundo ordine: Eſt enim acris & amara. Diſcutit, extenuat & penetrat.

## VIRES. INTRINSECVS.

Capni ſtillatitia aqua morbo Gallico laborantibus eſt ſaluberrima, ante purgationem diebus aliquot cum theriaca pota, ad ſudorem contecto corpore. Vitiatum enim ſanguinem purgat.

Contra peſtis eadem & ſudoris Anglici periculum eſt ſalutaris.

Bibitur etiam ante balnearum deſudationes.

Succus Fumariæ drachmæ pondere cum pari quantitate radicis Eſulæ mixtus, & cum aqua calida potus, hydropem expellit: uomitus ciet.

Oris putredinem & dolorem ſuccus ore collutus ſanat.

Decoctum Capni & Fœniculi iecoris obſtructionem aperit, & icterum morbum per urinam educit.

B

## EXTRINSECVS.

Oculorum hebetudini ſuccus illitus medetur, eorundemq; ruborem & uitia ſanat.

Succus cum gummi illitus, ſupercilia regignit.

Succus Capni cum ſucco radicis Lapathi pari quantitate mixtus, cũ aceto & melle modico temperatus, omnis generis ſcabiem extergit.

## SIRVPVS DE SVCCO FVMI TERRAE.

Sirupus Fumariæ maioris, uentriculũ & hepar roborat, obſtructiones aperit, cutis morbos, præcipuè ab humore ſalſo uel uſto natos, ut pſoram, lepram, impetiginem & ſerpiginem curat. Compoſitionem docet Meſue.

## PILVLAE FVMARIAE.

Pilulæ Fumarię educunt è corpore bilioſos humores, acres & ſalſos, ualentq; aduerſus omnia cutis uitia. Confectio eſt eiuſmodi:

Recipe Myrobalanorum Citrinarum, Chebulorũ & nigrarum, hoc eſt, Indarum, ana ʒ. v. Aloës ʒ. vij. Scammoneæ ʒ. v. Succi Fumi terrę clarificati, quantum ſufficit, formeturq; ter hæc maſſa: nam cùm primò fuerit ſiccata hæc maſſa, plus ſucci eſt addendum, & rurſus exiccetur, idq; tertia uice.

## ALSINE.

Alſine,

Auricula muris. Morsus Gallinæ. Paucrina.

ALsine, quòd ἄλσος, hoc est, lucos nemorosaq; & umbrosa loca amet, ut Dioscor. est autor. Aliàs Auricula muris, quòd folia musculorū aures referant. Morsus Gallinæ uulgò. Italis Pauerina, id est, Anserina, quòd pullis Gallinaceis & iunioribus anseribus pabulum ministret. Germ an. Hünerdärm / Hünerserb / Vogelkraut / Hünerbiß. Gallicè, *Mourron.*

1. Quatuor huius est inuenire genera. Primum radice est uillosa, caule rotundo, succulento & molli, foliis Portulacæ, ex utroq; caulis latere, è quibus folliculi exigui, milio palustri non maiores, enascuntur, quibus minutum flauens semen inest, Chelidoniæ semine minus. Quouis anni tẽpore in hortis & locis cultis inuenitur: sapore herbarum, quæ inter olera numerantur.

2. Secundū genus locis humidis & gramineis prouenit, reliquis maius, in cubiti altitudinem excrescens, ramulis & foliis Portulacæ non dissimile, flosculis ut in priore genere prouenientibus.

3. Tertium in hortis & uineis primo simile conspicitur, foliis magis hirsutis & serratis, sicut Chamædrys, flosculo inter ramulorum alas cœruleo, semine rotundo in geminis folliculis seu uulgis incluso.

4. Quartum genus foliis admodum est minutulis, instar Thymi, floribus in cœruleo albicantibus, semine in uulgis flauo incluso, hoc Kleins Vogelkraut appellant propriè. Atq; hæc posteriora genera Alsines & Portulacæ instar per terram serpunt sparguntur q;. Discriminis gratia primum poterit appellari Hünerdärm / secundum Hünerserb / tertiū, Hünerbiß / quartum Vogelkraut.

Ippia media.

Primum genus nonnulli Ippiam mediam existimant. Tragus priora tria genera Telephion Dioscoridis autumat. Euricius Cordus duas facit

A cit Alsines species: Maiorem & minorem. Maiorem dicit Caprifolium & Matrisyluam: minorem uerò alteram Auriculam muris. Nascitur hæc herba à media hyeme, musculorum, cùm prorepit, aures imitans: arescit æstate media. *Caprifolium. Matrisyluа. Auricula muris altera.*

TEMPERAMENTVM.

Naturæ est frigidæ & humidæ, sicut Portulaca, ac citra adstrictionẽ refrigerat.

VIRES, INTRINSECVS.

Aqua Alsines stillatitia uiribus cum Portulaca par est. Cum uino aut per se datur ijs utiliter qui ex ægritudine tabescunt. Pueris in nimio morbi calore commodè porrigitur: internum enim calorem extinguit, aliaq; symptomata, ut spasmos & paralysin, prohibet.

EXTRINSECVS.

Herba, succus & aqua, omnibus inflammationibus & uulneribus utiliter illinuntur & imponuntur. Ex succo refrigeratoria cataplasmata cõtra iecoris inflammationem, aliasq;, conficiuntur.

## ANAGALLIS.

B

ANagallidis duo sunt tantùm genera: Mas & fœmina, quæ flore solũmodo distant, qui mari est puniceus, fœminæ cœruleus. Frutex est paruus, tãmas, quàm fœmina, non altè à terra consurgens, sed sparsus, caule quadrangulo, foliis pusillis subrotundis, ad helxines folia accedentibus, semine rotundo, sed in mari puniceo, in fœmina cœruleo. Gall. *Morgeline, uel Mourron.* Germ. **Gauchheyl/oder Colmarkraut**/quòd fortasse in uestibuli limine suspẽsa, maleficiorum introitum pellere sit credita. Passim in uineis & aruis crescit. Vliginosis tamen potissimùm gaudet locis. Floret à Maio usq; in autumnum. De hac Plinius: Mirum quod fœminam pecora uitant: at si decepta similitudine: flore enim tantùm distant: eam degustauere, statim eam, quæ Asyla uocatur, in remedio quærunt. Præcipiunt aliqui effossuris, ante Solis ortum, priusquam quicquam aliud loquãtur, ter salutare eam, tum sublatam eximere, ita præcipuas esse uires. *Superstitio.*

Videtur etiam Anagallis Corchoros esse, cuius Theophrastus lib. 7. cap. 7. meminit, in prouerbium ob amaritudinem abijsse, dicẽs, κόρχορος ἐν λαχάνοις, id est, Corchorus inter olera. *Corchoros.*

Est

2. Sion. Est & aliud Anagallidis genus, Sion dictum, Germa. **Bachpungen/** diuersum ab hac Anagallide, ac à Dioscoride etiam separatum, de quo peculiariter in capite de Sio.

TEMPERAMENTVM.

Vtraq; calida est & sicca: extergendiq; naturam habent.

VIRES, INTRINSECVS.

Vino cocta Anagallis, omnibus uenenatis uulneribus, pota & illita, prodest. Contra pestem est salubris, ante somnum haustus eius sumptus, contecto pòst & sudante corpore: pestilentes enim humores per sudores educit. Succus seu stillatitia aqua morsis à rabidis canibus, si potetur & morsui illinatur, maximè confert. Vnde uenatores hac ad canes læsos seu morsos à feris plurimùm utuntur. Quo dictum est modo usurpata, hydropicis auxiliatur, iecoris obstructiones soluit, renes purgat, et calculum pellit.

EXTRINSECVS.

Vim habet leniendi, & extrahendi hæc herba. Omnis igitur generis uulnera huius aqua uel succo purgantur. Venena, clauos, sentes, spinas, & aculeos, imposita, extrahit: manantia item & mordentia hulcera ad sanitatem, illita, perducit. Oculorum caliginem discutit, & argema rubens, cum melle purissimo inuncta. Succus naribus infusus cerebrũ purgat, fluxusq; dentium attrahit. Anagallis mascula procidentia sedis proritat: Cœrulea uerò seu fœmina retrò agit, ut tradit Plinius. Vnde colligere licet, marem in extrahendo fortiorem esse fœmina.

## POLYGONON.

POlygonum herba à multis geniculis nomen accepit. Masculum Dioscorides cognominat, ad differentiam fœmellæ, quam Hippurin uocant. Dicitur eadem Seminalis, à copioso semine: & Sanguinaria ab effectu, quo in sanguine sistendo pollet. Corrigiola & Centumnodia Officinis, à forma seu geniculorum multitudine, Gall. *Corrigiole*, German. **Weggraß/Denngraß/Wegdrit.**

*Seminalis Sanguinaria. Corrigiola. Centumnodia.*

*Heliobotane. Proserpinaca. Polygonũ mas alterum.*

Dioscoridis duo facit genera: Marẽ & fœminam. Mas nascitur in semitis passim, ramis tenuibus, teneris, copiosis, geniculis intersectis, in terra graminis modo repentibus: foliis rutæ similibus, longioribus tamen: semine iuxta singula folia: flore albo puniceõue: floret æstate. Aëtius Heliobotanen, hoc est, Solis herbam appellari dicit. Item Proserpinaca, Apuleio & Dioscoridi.

Nascitur in aruis humidis, præsertim inter rapa, herba quædam Polygono similis, ramulis multis, crebris geniculis, sicut dicti Polygoni, foliis

lijs teneris, acuminatis, coloris cinerei, qualia ferè Cypariſsi: flore & ſemine multiplici, ſtellato, ſeminis milij forma, odoris fortis: radice rotunda, alba, uilloſa, digiti longitudine. Germani **Knawel** appellant: uiribus Polygono ſimilis. Vnde Polygonon minus, ſeu Polycarpon, à ſeminis copia nominari poterit. *Knawel Polygonõ minus. Polycarpon. 2.*

Polygonum fœminã, quam deſcribit Dioſcorides, Hippurin faciunt alij minorem, quæ German. **klein Katzenwadel/** & **Katzenkraut** dicitur: caule fruticat uno, arundini teneræ ſimili, denſis geniculis, & in ſe tubarum modo farctis: articulos in orbem cingunt apices, foliolis piceæ ſimiles: radicem habet inutilem, locis naſcitur riguis. Vide caput de Hippuri.

TEMPERAMENTVM.

Frigidum eſt Polygonum in ordine ſecundo, & quodammodo in initio tertij, ſimulq; exiccat. Spiſſandi ac refrigerandi uires obtinet.

B VIRES, INTRINSECVS.

Polygonum utrunq; in uino rubro coctum, omnes alui fluxus, uomitus, ſanguinis excreationes & menſes ſuperfluos cohibet: uenena & calculum expellit efficaciter. Ventriculi & choleræ æſtum reſtinguit: omnibuſq; internis uitijs medetur. Aqua ſtillatitia cum trito ſemine pota, parium eſt effectuum. Pecoribus pabulum eſt gratiſsimum.

EXTRINSECVS.

Succus uel aqua Polygoni utriuſq; ſtillatitia, inflãmationibus corporis internis & externis reſtinguendis plurimum prodeſt: Aurium dolorem mitigat. Collutione gingiuarum putredinem curat. Vulnerum inflammatorum, ueterumq; damnorum ſymptomata, præſertim circa genitalia loca, prohibet.

## CLEMATIS DAPHNOIDES.

CLematis daphnoides Græcis dicta, quòd κλήματα, hoc eſt, ſarmenta ſeu uiticulas per terrã ſpargat. Daphnoides à foliijs daphnes, hoc eſt Lauri. Latinis Vinca peruinca. Officinis Peruinca dicitur. Germa. **Yngrün/** & **Singrün**. Gal. *Peruenche*. Locis naſcitur pinguibus, ſarmentis prælongis, iun- *Vinca peruinca. Peruinca.*

ceæ crassitudinis, folio lauri, figura & colore, multo minore. Solo gau- C
det pingui umbroso, sed inculto. Viret perpetuò. Vnde Germanis **Nn grün** dicitur. Florem autem fert Martio potissimùm & Aprili.

Est & alia Clematis species, quam alteram uocant, Germa. **Waldreben**, de qua suo loco, cap. de Bryonia.

TEMPERAMENTVM.

Qualitatis est siccæ: adstringit enim modicè, sed fortiter est amara: Exiccat igitur, sed citra mordicationem.

VIRES, INTRINSECVS.

Vino cocta herba, tormina, & fluxus uentris, mensesq; sedat.

EXTRINSECVS.

Tusa herba uenenatorum ictibus & morsibus medetur. Expressus succus aurium dolorem mitigat. Idem dentium dolorem, ore detentus, sedat. In pesso subditus, matricis dolores & fluxus compescit. Vinum turbulentum uel corruptum, iniecta hæc herba, uase ad dies aliquot occluso, pristino nitori & claritati restituit.

*Vini corrupti cura.*

## LAVRVS ALEXANDRINA.

*Laurus Alexandrina. Daphne Alexandrina. Victoriola. Idæa. Bonifacia Pagana lingua. Vularia.*

*Hippoglottum.*

LAurus Alexandrina. Græcis Daphne Alexandrina, quòd Alexãder uictor hac sit usus: unde & Victorialam appellant: quòd uictores D
pro Lauro sint hac usi. Idæa ab Ida monte. Italis Bonifacia & Pagana lingua. Officinis Vularia. Germa. **Zäpfflinkraut/Hauckblat/Auffenblat/Beerblat/Zungenblat.** Folia Ruscо seu sylvestri Myrto, similia habet, maiora tamẽ, molliora & candidiora: fructum in medijs foljs ferè rubentem, ciceris magnitudine: ramos spargit à terra dodrantales, & ampliores nonnunquam: radicem rusco similem, maiorem tamen, odoratam & molliorem.

Nascitur in locis montanis, & in Ida monte potissimùm, unde Idæa nominatur. Fructum fert æstate.

Dioscoridi eadem Hippoglosson, siue Hippoglotton dicitur, utriusque enim historia & uires conueniunt: nec obstat quòd diuersis locis Hippoglosson & Laurum Alexandrinam, Dioscorides descripsit, siquidẽ idẽ fecit in Phyllo & Mercuriali, ut Valerius ostendit Cordus. Potuit enim eadem hæc herba ab alijs Laurus Alexandrina,

A Alexandrina, ab alijs uerò Hippoglosson uocari: unde Dioscorides & post hunc alij decepti, crediderunt diuersas esse herbas: cùm reuerà una sit & eadem, quod & descriptio & uires utriq; communes comprobant: estq; hæc ipsa quam Officinæ uocant Vulariam. Ruellius similiter ab Hippoglosso diuersam facit. Atq; eadem ratione Galenus & Aegineta diuersis locis de Hippoglosso & Alexandrina lauro, Dioscoridem secuti, agunt. Ex Dioscoride nanq; sua Galenus, ex Galeno uerò Aegineta sua transsumpsit. Quòd uerò in descriptione eius apud Dioscor. minora legitur, factum est errore quodam scribentium, ut μείονα pro μείζονα, per incuriam sit factum.

TEMPERAMENTVM.

Calidi est & sicci temperamenti, eiusq; potu ad uuulæ potissimùm inflammationem, & hulcera colli Germani utuntur. Vnde uuulariæ nomẽ accepit. *Vularia unde dicta.*

VIRES, INTRINSECVS.

Radix arefacta & trita, quatuor aut quinq; drachmarum pondere in uino dulci aut Maluatico pota, partus difficultatem adiuuat: Strangu riæ subuenit, & menses ciet.

EXTRINSECVS.

Puluis foliorum & radicis omnia manantia uulnera ac hulcera exic-
B cat. Ad uuulæ lapsum herbæ potus prodest.

# CERVICARIA.

CEruicariæ nomẽ præsenti herbæ imposuimus, quòd aliud, quo commodè ipsam appellaremus, non esset. A uiribus nimirum, quibus ad gulã colliq; exulcerationes ualet: sicut Laurus Alexandrina, quam Officinæ uocant Vulariam eadem de causa, de qua præcedenti capite est actum. Germani pari ratione **Halßkraut**/ quasi dicas Cerui cariam, appellãt. Fuchsius à florum forma Campanulam uocat. Val. Cordus Rapunculum syluestrẽ.

Duæ sunt huius species, admodum sibi adfines. Nascuntur circa sepes, locaq; arida, caule utraq; quadrangulo, alto, foliis asperis, nigricantibus, urticæ forma. Flores fert purpureos, rapunculi flori bus maiores, tintinabuli specie: quibus decidentibus, capitula subsequuntur rotunda, clausa, in quibus semen canum. Radix breuis uilis.

Altera species flores fert uiolaceos, seu cœruleos prorsus, tintinabuli similiter formam referẽtes. Inodoræ sunt utræq;.

Temperamentum ipsis tribuitur calidum & siccum. Decocto eius ad gargarismos contra gulæ inflammationem utuntur.

## POLYGONATVM.

Polygonatum.

Sigillum Salomonis.

POlygonatum nomen accepit, q radix frequentibus geniculorũ nodis interuallata tumet: caulis enim nullis cingit articulis, sed enodis, nullis brachiatus ramis attollitur. Officinis, herbarijs, & uulgo Sigillum Salomonis appellatur: Gall. *Signet de Salomon*: omnes siquidem Salomonij sigilli notæ cũ Polygonato conueniunt. Nascitur in montibus, maiorem cubiti altitudine fruticem habens, folijs lauri, duntaxat latioribus læuioribusq;, sapore mali cotonei, aut punici: gustatum quandam resipit adstrictionem: Per singulas foliorũ eruptiones spectantur flores candidi, copiosi, numero maiore quàm folia, quæ ab radice ad cacumen exeunt: radicem habet candidam & oblongam, mollem, geniculis frequentẽ, graueolentem, digitali crassitudine. Mense floret Maio. Germani **Weißwurtz**/à radicis forma appellant.

Duo fáciunt eius genera, à foliorum differentia: alterum folijs latioribus: alterum uerò angustioribus. Singulis annis radici nouum accrescere tradunt geniculum.

Laureola Eupetalũ. Chamædaphne. Daphnois

Tragus Polygonatum ueram esse Dioscoridis Laureolam, quam idẽ Eupetalon et Chamædaphnen, Peplion & Daphnoida nominat, credit, quoniam & descriptio & uires nihil habeant diuersi. Quòd uerò Laureolæ radicem Dioscor. inutilem, huius uerò utilem dicat, mendam potius uitio scribentium, quàm autoris existimat, ut pro ἄχρηστον sit σύχρηστον legendum.

### TEMPERAMENTVM.

Temperamenti est calidi, discutit & expellit.

### VIRES, INTRINSECVS.

Sanguinis grumas, & calculum lumborum, per urinam stillatitia Polygonati aqua pellit, menses ciet, & interna corporis hulcera sanat.

Grana

A Grana eius duodecim uel ſedecim comeſta, per inferna et ſuperna purgant. Folia in uino uiridia cocta, aut aridorum puluis ſemidrachmæ pondere ſumptus, pituitam & uiſcoſos humores educit.

EXTRINSECVS.

Folia uiridia manducata, fluxus ex capite extrahunt, & ſternutamenta prouocant. Radix tuſa ſugillata tollit. Idem poteſt aqua ſtillatitia, illita calida cum linteolo. Maculas & rugas faciei & cutis eadem purgat & exergit.

## FLOS CVCVLI.

B

FLos in pratis naſcitur, auriculas muris foliis referens, quæ anguſtiora tamen ſunt & acuminatiora, cuiuſmodi Hyſſopi: caulem in Maio emittit rotundum, foliis per interualla binis, flore purpureo, flori ferè Caryophyllorum ſyluestri ſimili, quem Germa. **Mätwillen** uocant. Germani hanc herbam **Gauchblümen** uocant, quod aliis tamen herbis, ut Hiberidi, attribuit. Latinis itaq; Flos cuculi appellari poterit, quòd ſuper hanc herbam, ut quorundam eſt opinio, cuculus expuat. *Flos cuculi.*

Alterum eiuſdem eſt inuenire genus, locis montoſis, & pratis ſterilibus, priori ſimile, niſi quòd florem fert candidum.

TEMPERAMENTVM, ET VIRES.

Temperamenti utraq; eſt humidi & calidi.

De uiribus eius nihil dum traditum eſt, quod ſciam, certi.

## VERATRVM NIGRVM.

VEratrum, quòd mentem auertat, quorundam ſententia. Græcis Elleborus, quòd cibum corporis eripiat. Melampodium appellari tradit Dioſcor. à Melampode paſtore, qui eo oues purgauerit & ſanauerit. *Veratrum. Elleborus. Melampodium.*

Duum eſt genus rum: Nigrum & album. De nigro in præſenti capite agetur, mox de albo.

Veratrum nigrum duo rurſus habet genera: Alterum adulterinum, quod Officinis Veratrum nigrum, Plinio Conſiligo. German. **Chriſtwurtz** appellatur. Alterum uerum, quod **Schwartz Nießwurtz** uocant.

Primum itaq; genus, uidelicet **Chriſtwurtz**, ſic dictum eſt, quòd mẽſe Septembri, qui Germ. **Chriſtmonat** dicitur, floreat: Radicem habet *Veratrũ nigrum adulterinum. Chriſtwurtz.*

multis fibris intricatam & contextam: flores circa finem Decembris o- C
ſtendit in uiridi flaueſcentes, colore mali cotonei, qui bini uel terni in pur
pureo naſcuntur caule: flore pereunte ſemen in ſiliquis, uelut in aquile-
gia, innaſcitur, quod maturum fathiſcentibus ſiliquis excidit. Folia ſunt
inciſa, cuiuſmodi ferè in Pæonia, minora tamen & nigriora: radix eſt a-
Conſiligo Plinij. mara. Tragus Plinij Conſiliginem & Columellæ lib. 6. cap. 5. tradit.

D

Eſt præterea quædam ſpecies, dicto iam Veratro nigro admodum ſi-
milis, ut non facilè ſit diſcernere, quæ nonnullis **Schlangenwurtz** & **wild Chriſtwurtzel** appellatur: quidã ſunt qui Conſiliginem uelint eſ-
ſe Plinij: flores huius in capita, ſicut in Nigella abeunt, in quibus ſemen
eſt nigrum, herba ipſa odore fœtido, Locis ſaxoſis & aſperis naſcens.
Latinis Veratrum nigrum ſylueſtre. Huius tradunt radicem à collo ſu-
ſpenſam, ueneno reſiſtere, ne hauſtum uenenum obſit. Intra corpus uerò
ſumptam hominem occidere. Cuius rei experientiam refert Tragus, de
monacho quodam, qui in cane hoc ipſum ſit expertus. Huius potiſsi-
mùm ad luporum uenationem uulpiumq; eſt uſus. Noxia enim facultate
eſt præditum.

2. Veratrũ nigrum alterũ ſeu uerum. Alterum quod uerum eſt Veratrum nigrum, radice ſimiliter naſcitur
multis capillamentis intricata, duarum ſpitamarum altitudine, foliis in
caulibus ab imo ad ſummum teneris, leniter inciſis, ſicut in Abrotono
minore, uiridioribus tamen & copioſioribus, floribus in cacumine ſin-
gulis

gulis in uere flauis, cuiusmodi sunt propemodum anthemidis. Vulgò **Christwurtz** etiam appellãt.

Est autem uerum Veratrum nigrum. German. **Schwartz Nießwurtz**. Primum enim genus tutò intra corpus sumi potest: hoc minimè. *Veratrum nigrum uerum.*

Plurimum præstantissimumq; nascitur in Anticyra, unde prouerb. Nauiget Anticyras.

## TEMPERAMENTVM.

Calidum est Veratrum nigrum, & siccum ordine tertio.

## VIRES, INTRINSECVS Veratri nigri adulterini.

Veratrum nigrum, quod Germ. **Christwurtz** uocant, uerum Veratrum nigrum non esse, hinc constat, quòd Veratrum nigrum tutò intra corpus sumi facilè nequit, hæc uerò absq; damno sumitur. Veratrum igitur nigrum adulterinum, Germa. **Christwurtz**/in uino maceratum, ac mediocri quantitate potum, aluum emollit citra læsionem. Radix drachmæ põdere trita & in uino aliõue liquore pota, fortius educit. Atq; hic potissimùm huius est usus.

B

## EXTRINSECVS.

Consiligo seu Veratrum nigrum adulterinum pecorũ pesti medetur, ut docet Columella lib. 6. cap. 5. hunc in modum: Leua manu effoditur ante Solis ortum: sic enim lecta maiorem uim creditur habere: usus eius traditur talis: Aenea subula pars auriculæ bouis latissima circumscribitur, ita ut manãte sanguine tanq; o, literæ ductus appareat orbiculus. Hoc & intrinsecus & superiore parte auriculæ cùm factũ est, media pars descripti orbiculi eadem subula transuitur, & facto foramini prædicta radicula inseritur, quam cùm recens plaga comprehendit, ita continet ut elabi non possit: In eam deinde auriculam omnis uis morbi pestilẽsq; uirus elicitur, donec pars quæ subula circumscripta est, demortua excidat: & minimæ partis iactura caput conseruatur. Hæc Columella.

## VIRES VERATRI NIGRI VERI, INTRINSECVS.

Noxius est intra corpus Veratri nigri usus: at si quis uti eo uolet, drachmæ pondus non excedet: Nimio tamen eius usui lac caprinum potum confert.

Commodissimè itaq; in uino mediocriter sumitur. Veteres deliros, insanos & melancholicos, comitiales item, phthisicos, febres quartanas, elephantiasin, conuulsionibus & torminibus laborãtes, Veratro nigro purgarunt.

In pesso subditum, menses fortiter ducit. Vetera damna & fistulas insperſus eius puluis mirificè sanat.

Cum aceto omnis generis scabiei, psoræ, serpigini & elephãtiasi prodest, Putridam carnem erodit & consumit.

## VERATRVM ALBVM.

VEratrum album, seu Elleborus albus. German. weiß Nießwurtz/ à radice alba, qua differt à nigro. Folia habet Plantaginis, & Betę syluestris, sed breuiora & nigriora, & canalium dorso rubentia, caule palmi, concauo, multis conuolutò tunicis, quas abdicat cùm incipit arescere, radix capillamentis multis fibrata, ex oblongo capite, ceparum modo coëuntibus. Locis nascitur montanis, macris, & frigidis. Vellitur messis tempore. Coturnicibus semen Ellebori gratissimum tradit Aristoteles. Vnde:

*Præterea nobis ueratrum est acre* D
*uenenum,*
*At capreis adipes, & coturnicibus*
*auget.*

Album optimum, quod celerrimè mouet sternutamenta, sed multo terribilius nigro. Vtriusq; uires durare triginta annis putant.

### TEMPERAMENTVM.

Calidum & siccum est tertio ordine, sicut & nigrum.

### VIRES. INTRINSECVS.

Agyrtæ Veratro albo cũ Esula & Lathyri aduersus pleraq; corporis uitia maximo utentiũ damno utuntur. Radix uiginti quatuor horarum spacio in Oxymeli mollita, ac rursus arefacta, semidrachmæ pondere cũ uino delirantibus datur. Sin potionem ex radice cupias conficere, biduũ in uino maceranda, uel in iure coquenda erit, ac potus uel decocti istius, mediocris, pro patientis crasi, haustus dabitur. Valet autem contra eosdem affectus ad quos nigrum, nempe delirantes, melancholicos, comitiales, phthisicos, quartana febri laborantes, elephantiasi, conuulsionibus & torminibus infestatos.

### EXTRINSECVS.

Naribus inditum cum sampsychi foliis, cerebrum per sternutamenta purgat.

A purgat. Dentium dolorem, cum aceto cocta, collutione mitigat. Veteribus hulceribus, & damnis purgandis, & psoræ confert. Cum lixiuio decoctum pediculos & lendes capitis necat. Idem unguentum eius præstat. Cum melle & farina temperatum, mures & glires occidit. Efficacius autem ad hoc ipsum est nigrum. Muscas in lacte decoctum, perimit.

## ARVNDO.

B ARundo, Græcis Calamus, Germanis Rot. Arundinum multæ, imò plurimæ nascuntur species. Viginti enim nouem à se demonstratas dicit Plinius. Calamus.

Dioscorides enumerat quinq;. Primam facit Sagittariam, quam Naston uocat, id est, farctam, ex qua sagittæ conficiuntur. Secundam, fœminam, ex qua ligulæ librorum cæduntur. Tertiam, Syringiam, quòd fistulis addicta sit, crassiore callo, densioréq; geniculis, unde scriptorius conficitur calamus. Quartam, aquaticam, quæ in amnibus & aquis nascitur, quæ Donax uocatur, crassa & caua, à quibusdam Cypria dicta. Quintam uulgarem & omnibus notam, Phragmitida, hoc est, uallatoriã, gracilem & candidam, leui fastigio in cacumen tenuatam. Nascitur solo diluto, estq; uiuacissima. Reliquis proceriores sunt Indiæ, ut quæ hastarũ uicem præbeant, arboreamq; habeant altitudinem. De uarijs Arundinum generibus lege Plin. lib. 16. cap. 36. Nostra quoq; arundo hastalem interdum ferè magnitudinem æquat. Nascitur in piscinis amniumq; ripis, digitali crassitudine, uigenis ut plurimum geniculis, folio gramineo, longo, acuto utrinq;, per quod arundineus caulis, sicut in frumentis, enascitur. Radix candida, caua, geniculata, quotannis nouas gemmas ex singulis geniculis, ueris tempore, protrudens. In summitate, mense Iunio, aristas fert molles pilosasq;, quæ in pappos tandem euanescunt.

1. Nastos: 2. Fœmina. 3. Syringia. 4. Aquatica Donax. 5. Phragmitis.

### TEMPERAMENTVM.

Temperamenti est frigidi & sicci.

VIRES.

Gemmæ teneræ,quæ ex radicis geniculis enaſcuntur, tritæ & illitæ, aculeos & tela corpori infixa educunt. Lumborum dolorem,cum aceto mixtæ & impoſitæ,mitigant. Folia arundinis tuſa & illita, eryſipelata aliasq; inflammationes reſtinguunt: unde frigida ſiccaq; eorum qualitas deprehenditur.

## GRAMEN.

Agroſtis.

Carex acuta. Gramen parnaſſi.

Gramen aquaticũ.

GRamen, Græcis Agroſtis, παρὰ τὸ ἀγρὸν ἵστημι, quòd in agro conſiſtat. Latinis à gradiendo dictum. Germa. **Graaſ**/ communi nomine appellatur,& **Riedgraſ**. Geniculatis,ex Dioſcoridis deſcriptione, ſerpit ramulis, à quibus radices crebrò ſpargit, dulces, geniculatas: folia dura,&,ut arundinis paruæ,lata,acuminata,quæ iumenta & boues paſcunt. Graminis ſpecies magnitudine differunt, ſiquidem alia ſunt maiora, alia minora. Ex huius quoq; genere numeratur Carex acuta Vergilij. Quod uerò in Parnaſſo monte naſcitur, denſius fruticat,foliis hederaceis,flore candido,odorato, ſemine paruo,non inutili: radicibus quinis ſeniſue, digitali craſsitudine,candidis,mollibus,& admodũ dulcibus. Locis paſsim naſcitur umbroſis,& dumetis. Flores in fine Aprilis fert candidulos.

Eſt præterea aquaticum gramen, quod Germani uocant **Entengraſ**/ Gramen anatum, quòd anates,maximè ſylueſtres,hyemali tempore hoc uictitent. Naſcitur in aquis, potiſsimùm ſtagnantibus,longum,tenue, graminis forma, aquæ abſq; radice innatans. Sin fundum contingat,iunceos tenuesq; culmos,ariſtis harũdineis, mittit,fructu carentes. Hoc anates auesq; aquaticæ hyeme uictitant.

### TEMPERAMENTVM.

Radix Graminis mediocriter eſt frigida & ſicca, tenuiumq; partium, cum mordicatione quadam. Herba eſt frigida in exceſſu primo, humiditate ſiccitateq; moderata. Semen alibi quidem imbecillum. In Parnaſſo uerò deſiccatorium. Tenuium partium & ſubacerbum, Galeno teſte.

### VIRES, INTRINSECVS.

Decoctum radicis in potu tumoribus & urinæ difficultatibus medetur. Calculoſa quoq; ueſicæ excrementa comminuit. Semen uehementius urinam impellit: aluum,uomitionesq; ſiſtit.

### EXTRINSECVS.

Radix graminis trita & illita,uulnera glutinat: quod idem decoctum gramen,

A gramen, & herba tusa præstat: tueturq; & ab inflammationibus, ut scribit Plinius, placat. Decocto uinum & mel adijcitur: ab aliquibus thuris, & piperis & myrrhę tertiæ portiones: rursusq; coquitur in uase æreo, ad dentium dolores & epiphoras. Semen draconum morsibus auxiliatur. Superstitio est, quod Plinius de pellendis strumis & panis tradit, ut apud autorem ipsum licet uidere.

Gramen aquaticum inflammationibus perinde ac Lens palustris adhibetur.

## TYPHA.

TYpha Græcis & Latinis, palustribus stagnantibusq; aquis innascitur, ex arundinum genere. Germanis **Narrenkolben/ Kolben/ Liepkno spen/ Moßkolben/ Deitelkolben.** Folium, teste Dioscoride, fert Cyperidi simile, caulem leuem, enodem, cuius in summo capite flos obducitur lanuginosus densus, euadens in pappum. Radix geniculata, articulata intrinsecus, alba, spongiosa. Vtuntur huius caulibus seu calamis Vietores ad uasorum iuncturas, item ad nauium rimas obstruendas. Ex lanugine eius nonnulli toros & puluinaria conficiunt.

### TEMPERAMENTVM, ET VIRES.

In calfaciendo & refrigerando medium quodammodo, præsertim flos eius, obtinet, neq; enim euidenter calfacit, neq; refrigerat. Exiccat modicè & abstergit.

Flos eius, teste Dioscoride cum suillo adipe uetusto eloto exceptus, ambustis medetur.

## GNAPHALION.

GNaphalion Dioscorides Tomentum appellat, ex etymo, alij Centunculum & Centuncularem uocant, quòd centonibus cum hoc maxima sit cognatio. Lanam pratensem, seu Linum pratense non incommodè appellabimus, Sicut & Germani **Mattenflachs/ Wisenwollē/ & Rhürkraut/** quòd dysenteriæ medeatur. Pauperes olim culcitras hoc farciebant: siquidem mollis est & lanuginosa herba.

*Tomentū.*
*Centunculus.*
*Centuncularis.*
*Lana pratensis.*
*Linum pratense.*

Constat duo eius esse genera: Alterum maius, alterum minus. Nascitur in humidis & palustribus campis, gramine iunceo, absq; geniculis, in summo circa cacumen tenuis & candida lanugo adnascitur, Gossipio purior, tenuiorq;: cuius ad telam similiter usus esse poterit.

Alterum

Iuncus.

Alterum genus maius est, foliis copiosioribus candidis mollibusq;, flore luteo, radice capillata & tenui. Florem fert mense Iunio & Iulio.

TEMPERAMENTVM.

Adstringendi & exiccandi uis est Gnaphalio.

VIRES, INTRINSECVS.

Folia eius in uino austero ad dysenteriam efficaciter, teste Dioscoride, bibuntur. Ventris solutiones, & mulierum menses sistit.

EXTRINSECVS.

Putrescentibus hulceribus illinitur.

Schœnos.

## IVNCVS.

IVncus, Græcis Schœnos. Germanis **Binsẽ/ Schmelen.** Huius tria sunt nobis genera: quæ etiam Dioscoridi & Plinio numerantur.

Primus in aquis nascitur, crassitudine & magnitudine reliquos superans, stylo enodi & leui, in exile cacumẽ fastigiato, medulla fungosa, quà ad lucernarum utuntur ellychnia, Latinis Mariscus,

A scus, Græcis Holoschœnos, atq; hic ut mollissimus, ita ad uitilia præfertur, hoc ad operiendas tegetes, contextusq; nassarum, aliorumq; uitilium utuntur. Germanis **groß Weiherbintzen**. Hunc eundem cum scirpo faciunt. Vnde prouerb. Nodum in scirpo quæris. *Maritscus. Holoschœnos. Scirpus.*

Alter acutus dicitur, Græcis Oxyschœnos, quem sterilem & marem appellant: hic quotannis regenerat se ex cacumine in terram defixo, Germanis **Bintzenhelmer**/uel **spitz Bintzen**. Nascitur plerunq; locis asperis & humidis æditisq;, nec non inter Iuniperi frutices. *2. Acutus. Oxyschœnos.*

Tertius Melancranis, quasi dicas atriceps, uocatur, quem acutũ fœminam Dioscor. & Plinius faciunt. Vliginosis frequẽter locis nascitur, fructum fert uuarum cohærentium modo, in quibus cuspidatum semẽ claudit. Hæ in Germania nascuntur iunci species. Reliquæ ceu peregrinæ sunt, quas Plinius enumerat. Videlicet Cyperus, Iuncus odoratus, qui accipiendus est quoties simpliciter Iuncus scribitur, qui & Schœnanthos, ex Schœnos & Anthos cõpositа dictione, nominatur, de quibus suo loco. Tropicus præterea seu Euripicus quinta Plinio numeratur species. Sexta Theucitis. *3. Melãcranis. Atriceps. Iuncus odoratus. Schœnanthos.*

B

### TEMPERAMENTVM, ET VIRES.

De usu Iunci in Medicinis nihil constat. Ad opera aliàs textoria, storeas, canistra, idq; genus plurimus eius usus. Iunci autẽ odorati, qui per excellentiam simpliciter Iuncus dicitur, plurima est utilitas. De quo speciatim est actum.

## POTAMOGETON.

NAscitur in aquis & palustribus herba, quam Germa. uocãt **Samkraut**. Gall. *Espid'eau*, cuius plures numerantur species: nos hic de una tãtùm, quam propriè **Samkraut** uocant, dicemus. Hãc Dioscor. appellat Potamogetona, eruditorũ testimonio, quòd nimirũ aquis seu fluminibus sit uicina. Folium Dioscoridi habet Betæ, siue Plantaginis hirsutum, paulũ extra

aquam supereminens: florem similiter mense Iulio, sicut Plantago, spicatum, ac subinde semen. Stachytes eadem dicitur, hoc est, spicata, propter flores ac semen, quod fert, spicatum. Latini Fontalem appellant. Phycus marinus, quem Fucum marinum, & Algam marinam Latini nominant, ex hoc est quoq; genere, sed nobis est incognitus, nec nascitur nostris regionibus.

Stachytes Fontalis. Phycus marinus. Alga marina.

TEMPERAMENTVM.

Naturam habet refrigerandi & exiccandi.

VIRES, EXTRINSECVS.

Vires Potamogetonis eiusq; specierum sunt ad externas tantùm corporis partes. Folia in oleo & aceto tosta, & mediocriter cum lacte tepefacta, magnos podagræ dolores æstusq;, illita sedant & restinguunt.

Omnibus autem inflammationibus medentur.

## LENS PALVSTRIS.

LEns palustris, Græcis φάκος ὁ ἐπὶ τῶν τελμάτων. German. **Wasserlinsen/ Meerlinsen/Wassermoos.** Nascitur in lacustribus, stagnantibusq; aquis, nihil aliud nisi aquę muscus, lentis forma, neq; radicem, neq; caulem habens.

TEMPERAMENTVM.

Naturam habet euidenter refrigeratoriam.

VIRES, INTRINSECVS.

Lentis palustris aqua stillatitia bis térue in die pota, prodest ijs quibus, corpus est incensum, uelut pestis tempore.

EXTRINSECVS.

Aqua eius stillatitia iecoris inflammationibus cum panniculis in ea madefactis, calidisq; lateri appositis, est maximo auxilio. Pares cum Potamogetone uires possidet. Ramici & rupturarum inflammationibus utiliter illinitur.

## HIPPVRIS.

Cauda equina. Equisetũ. Ephedrõ. Anabasis. Salix equina.

HIppuris, Latinè Cauda equina, Equisetum aliàs, à forma nimirum, quòd Equinæ caudæ sit similis. Ephedron alij ab insidendi natura, & Anabasin, ab scandendi more: & Salix equina Latinis. Germ. **Roßschwantz/Pferdsschwantz/Roßwadel/Katzenwadel/Katzengel/Kantenkraut/Schafftheu/Taubenrock.**

1. Asprella.

Duo facit Dioscor. genera: Vnum longius, alterum breuius. Equisetum longum, Asprella alijs dicitur, ab asperitate, unde fabri materiarij ligneam pectinum & aliorum minutorum operum ruditatem, huius herbæ scabritia in nitorem expoliũt. Hippuris maior, seu Equisetum maius Latinis dicitur. Germa. **groß Schafftheu**: atq; hoc ipsum duorũ etiã est genus: alterum, nudo & iunceo caule, scabro & geniculato: alterum

Equisetũ maius duplex.

rum folia habet circa cauliculū iuncea, crebra & tenuia: caulem uerò in B anem, leuiter rubentem, subasperum, geniculis dissectum: comas dependentes habet multas nigras, ut equorum cauda: radicem lignosam & duram. Hæc in altitudinem assurgit, ac scandendo proximis stipitibus comis suis circunfunditur. Nascitur primum genus utrunq; in aquosis locis & scrobibus circa aquas & umbrosa loca frequentissimè. Vnde etiam ἔφυδρον dicta est, quasi iuxta aquas nascens. *Ephydrō.*

Equisetum minus, Ger. **klein Schafft hew/** Nascitur in pratis, nec alia ferè, teste Plinio, frequentius occurrit, inuisa fœnisecis: hoc Equition etiam uocāt, quo ad uasa culinaria & cantharos extergendos potissimùm utūtur. Caule nascitur recto, cubitali, maiusculo, inani, comis per interualla propendētibus, breuiusculis, mollioribus, & candidioribus. *Equisetū minus.* *Equition.*

Est etiam alterum minus, quod similiter in hārenosis & macribus pratis, nec non agris frequentissimè nascitur, quod Asparagum primum emittit nudum, cauliculis in plantagine semen ferentibus similem, mox uerò alios caules & folia sicut Equisetum minus profert, hoc itidem ad culinarias operas est usitatissimū, quod Charadranon *Charadranon.*

uocant, quoniam ex rimis terræ enascatur: equitium quoq; à caudę equi C
næ similitudine.

TEMPERAMENTVM.

Vis ei est exiccandi citra mordacitatem: facultas ei est adstringendi.

VIRES, INTRINSECVS.

Equiseti utriusq; ad sanguinem sistendum maximus est effectus. Foliorum Equiseti maioris expressus succus potus, sanguinis fluxus tam in mulieribus, quàm in uiris sistit, sanguinemq; excreãtibus & mingentibus prodest, bis, térue per diem trium cochlearium mensura potus. Cum uino potus succus, tormina sedat, confert ijs qui difficulter tussiũt, & ægrè spirant: intestinorum quoq; & ueficæ rupturis est utilis. Ad idem ualent folia uel radix in uino cocta, & calida pota.

Equisetum minus in aqua uel uino coctum, ad omnes similiter sanguinis fluxus conducit: intestinorum exulcerationes sanat, renum hulcera & fluxus curat: stranguriæ dolorem mitigat. Aqua stillatitia ad eadem ualet.

EXTRINSECVS.

Expressus foliorum Equiseti maioris succus, naribus exceptus, & ceruici illitus, sanguinis ex naribus profluuium compescit: quod etiam stillatitius liquor efficit. Tusa & cum succo imposita folia, uulnerum sanguinem cohibent, eademq; glutinant, & intra paucos dies, Galeno teste, sanant. Linteolum in Equiseti minoris stillatitio liquore tepido madefactum, impositumq;, erysipelati medetur, rubris item pustulis, inflammationibus sedis, aliorumq; locorum, & dysenteriæ. Occultorum locorũ tumores sedat. D

Reliquas cum maiore Equiseto uires pares obtinet.

## NYMPHAEA.

Nenuphar. Clauus Veneris. Digitus Veneris. Alga palustris. Papauer palustre.

NYmphæam Græci, quòd aquis gaudeat, appellauere, Latini & Officinæ Nenuphar nominant, nonnullis clauus Veneris, & digitus Veneris, Alga quoq; palustris, & Papauer palustre. German. Seeblůmen/ Seekennekẽ/Keulwurtz/Wassermähe/Hörwurtz/Hörstrang.

1. Nymphæa candida.

Duum simpliciter est genus: Candida & lutea. Nymphæa candida, folio nascitur orbiculato, leui, herbaceo, ampio, in stagnantibus aquis supernatante, flore candido, lilio simili, in medio croceum habente apicem, & cũm defloruerit capite papaueris, in quo semen latum, amarum, pingue. Caulis gracilis & læuis: radix nigra & ampla, dulcis, nodosa, clauæ formam repræsentans. Vnde etiam quidam Rhopalon uocant, hoc est, clauam. Item Herculeam à Nympha, quæ zelotypia erga Herculem fuit mortua, secundum fabulas.

2. Nymphæa lutea.

Nymphæa lutea, folia fert priori similia, radicem albam & asperam, florem luteum, splendentem, rosæ similem. German. geel Seeblůmen. Vtraq; locis palustribus & stagnantibus conspicitur.

Lutcam

Lutea.

Candida.

B

Luteam nymphæam Theſſalam propriè uocant, ſicut Nymphæa candida Heraclea uenit appellatione. Theſſala.

TEMPERAMENTVM.

Vtriq; facultas eſt refrigerandi & exiccandi citra morſum.

VIRES, INTRINSECVS.

Liquor Nymphææ candidæ ſtillatitius, duarum uel trium unciarum pondere potus aduerſus ardentes febres, peſtis maximè tempore, præſtans eſt remedium: præſertim uerò ijs qui Ethicam in pleuriſi ſentiunt: Tuſsi quoq; aridæ, uehementi ſiti, iecoris & lienis inflammationi medetur, ac extrinſecus etiam linteola in liquore iſto madefacta, iecori & cordi tepida commodè imponuntur. Diuturno alui fluxui, idem liquor, aliquoties in die potus, fert auxilium. Ad eoſdem affectus conſeruas nonnulli & olea ex eius floribus conficiunt. Genitale ſemen prorſus extin-

guit, ob quod ijs tantùm conueniet, qui castitati se addixerunt. Radix & C semen in nigro uino cocta & pota, menses, nullo aliàs remedio adiuuante, sistunt.

EXTRINSECVS.

Quæ de inflammationibus intra corpus dicta sunt, eadem quoque de externis partium inflammationibus, utpote, capitis, iecoris, cordis, lienis, & ardentium pustularum, sunt intelligenda.

Aqua cum linteolo fronti illita, phrenesin sedat: quod oleum quoque eiusdem præstat. Eadem ratione iecoris æstū refrigerat, maculasq; facici ex calore natas exterit. Anthracas, & ex calore orta corporis hulcera, oleum eius lenit & restinguit.

## ACORVS.

Acorus.

Acorus Officinarum.

Aphrodisia. Venerea.

ACorus, quam & Aphrodisiam Græci, Latini Acorum & Venereã appellant, Herba est, ut describit Dioscorides, folia habens Iridis, angustiora

A ſtiora tamen, radices non diſsimiles, complicatas, non in rectum, ſed obliquum actas, in ſuperficie exiſtētes, geniculis ſeu internodijs diſtinctas, albicantes, guſtu acres, odore non ingratas. Optimum eſt denſum, candidum, non carioſum, plenum, odoratum, cuiuſmodi eſt Colchidicum & Galaticum, quod Aſpletion dicitur. Noſtræ autem Officinæ uero Acoro carent, quo uerò ipſæ utuntur, eſt adulterinus. Germ. **Geel Lilien/ Drachen oder Ackerwurtz.** At uerus Acorus non eſt alius quàm qui Calamus aromaticus Officinis appellatur, quo Officinę pro uero etiam Calamo aromatico utuntur, manifeſto errore: Nemo enim non uidet Calamum & radicem conuenire non poſſe. Alijs Galangam maiorem uerum eſſe Acorum placet. Naſcitur uerus Acorus locis cultis, pratis ac hortis, raruſq; eſt inuentu, ut in Botanologico ſuo Cordus oſtendit: cū inquit: Dictum hodie Calamum aromaticum ego pro Acoro ſcribo, & eundem etiam eſſe ſuſpicor, dubitoq; uehementer, num uerum Calamum aromaticum habeamus: res enim eſt exotica, & præcioſior quàm ut tot tantiq; eius colei proſtent. Noſtrum autem Acorum iuxta amnes & paſsim in aquoſis & paluſtribus locis prouenit. Foditur radix æſtatis initio, & in umbra ſiccatur.

Aſpletion

Galanga maior. Euricius Cordus.

TEMPERAMENTVM.

Acorus uerus, qui eſt Calamus Officinarū aromaticus, calidus eſt & ſic cus gradu tertio, adhibeturq; internis & externis corporis partibus.

B

VIRES INTRINSECVS, ACORI VERI.

Decoctum Acori potum urinam ciet, doloribus lateris, thoracis & iecoris, torminibus, ruptis & conuulſis medetur. Lienes minuit, urinæ ſtillicidio & ſerpentum ictibus auxiliatur, omniaq; ueſicæ uitia ſanat. Succus eius contra ſuffuſiones & oculorum caligines, contraq; ſerpentes bibitur. Pectoris doloribus confert, unde antidotis radix utiliter miſcetur. Cōtuſis & luxatis pota duobus obolis, in mulſi tribus cyathis, radix prodeſt. Internis quoq; fœminarum morbis Acorum conducit.

EXTRINSECVS.

Inſeſſu, quemadmodum Iris, muliebria adiuuat. Succus corneæ membranæ craſsitiem detergit & extenuat. Radix in uino decocta, trita & illita, teſtium tumores mirificè diſcutit. Duritias & collectiones omnes ſanat, decocto huius herbæ fouentibus.

VIRES ACORI ADVLTERINI, QVO OFFICINAE utuntur, ex Leonhardo Fuchſio.

Acorus Officinarum immenſam adſtringendi facultatem obtinet, diuerſamq; planè à ueri Acori radice facultatem habet: craſſarum eſt partium, facultate frigida, conſtringit, denſat, cogit, & contrahit. Quare urinam non cit, nec menſes euocat, ſed potius ſupprimit. Sanguinem undecunque manantem cohibet. Succus igne expreſſus, menſes nimium promanantes conſtringit. Quę uis uero Acoro nō ineſt.

Vnde Pandectarum autor tradit, eum qui Acori radicem gestet, nullo C
sanguinis profluuio corripi.

## XIPHION.

Phasganõ Machæronium. Gladiolus. Segetalis.

XIphion Græcis, item Phasganon & Machæroniũ. Latinis Gladiolus propriè, & est sui generis herba, quæ etiam Segetalis dicitur, Germ. **klein bloe Schwertel**. Gladioli autem nomen multis herbis ueteres tribuerunt, sicut hodieq;, uelut Acoro, Sparganio, Xyridi, Iridi. Verùm propriè Gladiolus de hac herba sumitur, quę supradictis etiam, eadem de causa, nominibus appellat. Nascitur locis pinguibus & humentibus, quæq; fluuiorum inundationes obtegere possunt, foliis & caule Iridis, sed minoribus, angustioribus, & gladij modo mucronatis, flore penè cœruleo, tribus foliis constante, semine in triangulis longisq; siliquis, rotundo, Acori similitudine. Ruellius caulem dicit habere scabrum, cui experientia reclamat, Deinde etiam Theophrasti descriptio.

### TEMPERAMENVM, ET VIRES.

Temperamentum & facultatem cum Acoro parem obtinet. Radix uerò præcipuè extrahendi uim, tusa, cum thure & uino D
imposita, obtinet.

## IRIS.

IRis ea herba omnibus appellatur, quam Germani uocant **blaw Lilgen / blaw Schwertel / Veielwurtz / Himelschwertel**. Gall. *Glaieul*. Iris dicta, ab cœlestis arcus similitudine, quem flores eius referunt. **Veielwurtz** uerò, non quòd Violæ sit radix, sed quòd radix eius uiolæ odorem imitetur. Nascitur in hortis passim, rarò nisi plantata, folia gladiolo fert similia, maiora tamẽ, latiora & pinguiora: flores in caule æqualibus inuicem spacijs distantes, inflexos, uaria colorum commixtura, arcus instar cœlestis: Radices subsunt geniculatæ, solidæ, supra terram eminentes, albæ, uiolæ purpureæ odore. Optima censetur Illyrica, cuius Dioscorides meminit, à qua tamen nostra Germanica non multum abest. Differt autem in hoc, quòd est horribilior quadantenus, & odore iniucundior, multò maiore acrimonia, fauces enim gustanti grani gnidij modo exurit. Caliditate itaq; Illyricam superat,

A ſuperat, ac uehementius etiam aluum purgat, Sed odore & ſapore eſt inferior. Porrò eadem eſt herba Iris & Ireos, quas quidam ineptè diſiungunt.

*Iris & Ireos eadē eſt herba.*

TEMPERAMENTVM.

Iris eſt ex ſecundo ordine calfacientium, & tertio exiccantium: reſoluit, abſtergit & maturat.

VIRES, INTRINSECVS.

Quæ de Acoro & Xiphio dicta ſunt, omnia plenius de Iride ſunt intelligenda. Radix trita & cum melle ſumpta, Vel cōcīſa & in uino cocta potaq;, pectus purgat, lentos & uiſcoſos humores diſcutit & attenuat, excreationes multas facit, tuſsim pellit, & pulmonis uitia corrigit.

Trita radix, ſeptem drachmarum pondere cum aqua mulſa pota, uentriculum purgat, uiſcoſam bilem, ex qua febres & icterícus morbus oriūtur, educit. In uino cocta radix calida pota, tormina ſedat, utiliterq; iis qui ſemen continere nequeunt, bibitur: horrorem febrium mitigat, tempore inuaſionis pota. Idem decoctum bonam quietem efficit, ſomnum conciliat, menſes ciet. Radix ex aceto cocta potaq;, ſerpentum morſibus medetur, uenenum à corde pellendo.

EXTRINSECVS.

Radix trita in puluerem ad omnia externa corporis uitia utiliter inſpergitur: Vulnera purgat, carnem gignit, cum melle præſertim mixta. Carcinomati, fiſtulis, intertrigini, aliſq; occultarū partium damnis medetur. Cocta radix dum molleſcat, & illita, omnis generis tubercula & ſtrumas diſcutit. Cum modico melle & Veratro mixta radix, faciei maculas illita extergit. Fomentis ad matricem molliēdam, clyſteribus item, unguentis & cataplaſmatis radix utiliſsimè additur.

In uinum eadem ſuſpenſa, ſaporem odoremq; gratum efficit.

In cereuiſiam uerò ſuſpenſa, dulcem eam conſeruat.

Piſtoribus etiam eius, ad fermentum triticei panis, eſt uſus.

## MVSCVS TERRESTRIS.

MVſcus terreſtris, Germanis dicitur **Beerlap / Haarſchar / Teufelsklaen / Seyl oder Gürtelkraut / Neunheyl / Neungleych.** Nonnulli Soldanellam uocant, diuerſam tamen à Braſsica marina, quæ Soldana uocatur.

*Muſcus terreſtris; Soldanella.*

Naſcitur in ſyluis abſq; caule & ſemine uiridi graminis muſco ſimilis, uillis quibuſdam albis, ceu radicibus, ex terra enaſcens, humi latè reptās, octo aut nouem cubitorum intricatus longitudine, longi ac lanuginoſi uermis ſimilitudine. Menſe Iulio articulares Iuli forma profert aſparagos, attactu leues & molles, ceu farina aut puluere conſperſos, mox decidentes, quos pro flore licebit ſumere.

Dioſcorides

Muſcus marinus Dioſc.

Corallina.

Dioſcori. lib. 4. cap. 84. Muſcum deſcribit marinum in ſcopulis teſtaceisq; non procul à mari naſcentem, gracilem, capillaceũ, caulis expertem, quem Officinę, quòd ijſdẽ cum Corallio locis naſcatur, Corallinã, errore loci decepti, appellant, Græcis Bryon θαλάττιον. Huius deſcriptio et uires cum terreſtri noſtro cõueniunt: nec locus multũ obſtare poterit, uterq; enim petroſis, ſed alter iuxta mare, alter in ſyluis naſcitur. Vna tamẽ herba diuerſis ſæpenumerò locis prouenit. Plinius Muſcum marinũ lactucæ deſcribit ſimilibus foliis, ijſq; rugoſis, & cõtractis, ſine caule ab ima radice exeuntibus. Verùm hæc deſcriptio Plinij ad Lichena herbam, nõ ad Muſcum marinum pertinet, cuius ſententiæ Valerius eſt Cordus. C D

TEMPERAMENTVM.

Temperamenti eſt ſicci & calidi. Vires ei ſunt ſpiſſandi & ſiccandi, calfaciendiq;.

VIRES, INTRINSECVS.

In uino decoctus lapidem ueſicæ frangere & educere, experimento certo conſtat. Idem præſtat liquor eius ſtillatitius.

EXTRINSECVS.

Tuſa herba uel cum uino cocta, omnibus corporis inflammationibus, calidæ item podagræ eſt auxilio. Vinum corruptum lentumq;, in uas ſuſpenſa breui reſtituit.

Vinum corruptũ

Brathus. Sabina ſylueſtris.

## BRATHVS SYLVESTRIS, ſiue Sabina ſylueſtris.

BRathus ſiue Sabina ſylueſtris, aut Herba Sabina nominis id habet, quòd folia ſeu ramuli eius Sabinæ arbori, de qua ſuo loco inter arbores, ſint ſimiles. Naſcitur in harenoſis altarum ſyluarum uallibus, ſpitamæ altitudine, perpetua uirens coma, foliis Sabinæ arboris, inodora, amara, Iulos ſicut Muſcus etiã terreſtris profert, qui

mox

A mox absq; fructu decidunt. Germa. **Wald Seuenbaum**. Ob lulos autem quos cum Musco terrestri profert, hunc ipsi locum relinquere placuit, tum quòd temperamentum & uires easdem ob tineat.

TEMPERAMENTVM, ET VIRES.

Temperamentum habet calidum & siccum, ut de Musco terrestri est dictum, cuius etiam uirium est particeps.

## VIOLA PVRPVREA.

Violam Græci Ion uocant. Violę uerò nomen omnibus eius speciebus Latini attribuunt, propriè tamen intelligitur de Viola purpurea, quam Germani simpliciter **Veiel/ Violn/oder Mertzen violn** appellant, Græcis ἴον πορφυρέον, hoc est, Viola purpurea. Item Muraria. Ion uerò dicta, teste Nicandro, quòd Nymphæ quædam Ioniæ florem illum Iui primùm muneris loco obtulere. Vel secūdum alios, quòd florem hūc pabuli uice Ioi in uaccam mutatæ terra protulerit. Latinis uerò Viola, quasi Vitula, eadem de causa.

*Viola purpurea.*

*Muraria.*

*Vnde dicta Viola.*

B Duo sunt huius genera: Satiua & syluestris. Folium habet hedera minus & tenuius, nigriusq; absq; ramulis, Cauliculus ex radice medius statim prosilit, in quo flosculus suauiter olens, purpureus, in satiua tamen nigrior. Semen in folliculis uasculisue minutis extrema ferè æstate profert.

Syluestris præterea est inodora, ac Violam caninam, Germa. **Hunds violen** eam nominant. Locis potissimùm prouenit opacis & asperis, ut iuxta murorum radices, circa hortorum sepes & margines. Flos eius uere & Martio præsertim mense ad plurimos usus colligitur.

*Viola canina.*

TEMPERAMENTVM.

Violæ frigidæ sunt in ordine primo, humidæ uerò in secundo.

VIRES, INTRINSECVS.

Violæ purpureæ plurimus ad medicamenta, uelut olea, acetum, Conserua, Zulapia, & Sirupos est usus, ad omnis generis inflāmationes utilis, præsertim pueris comitialibus, quiq; febri ardente infestantur. In sacchari inopia licebit ad eosdem usus in aqua uiolas decoquere. Sirupus Violarum trium quatuōrue cochlearium quantitate sumptus, febrium æstus restinguit, aluum soluit, apostemata emollit, cor confortat, laterū dolores mitigat, omnibusq; ex calore natis morbis medetur. Contra sitim aliqui Sirupum Violarum cum aqua fontana temperatum ægris porrigunt. Flauus qui in medio uiolæ apex cōspicitur, in aqua decoctus potusq;, anginæ præsentissimo est remedio, puerorumq; comitialibus medetur.

EX-

Phreneticis, oleum, aqua, uel acetum uiolarum, capiti illitū medetur: iecorisq; æstum componit.

## SIRVPVS VIOLACEVS.

Violis mense Martio collectis adhuc recentibus, in stanneum uas cō clusis, aquam calidam ad octo horarum tempus superinfunde, hinc expressis Violis eandem aquam calfacito, ac eadē ratione nouis uiolis infunde, idq; tertio & quarto, hinc aquam istam cum sacchari optimi quantitate sufficiente paulatim ad ignem coquito, donec mellis depurati densitatem acquirat, atq; in uitro occluso obfirmatoq; ad usum conserua. Prodest febribus acutis, iecoris & cordis caloribus, gutturis asperitati, pleuritidi, tussi aridæ: Sitim restinguit, aluum emollit.

## OLEVM VIOLACEVM.

Oleum Violaceum fit ex floribus Violarum, & oleo Omphacino, hoc est, immaturo, hunc in modum: Recipe Violarū recentium contusarum quantum libuerit, ijsq; in uase uitreo affunde olei Omphacini sufficientē mensurā, ac ad solem uel loco aliquo calido diebus quindecim macera, deinde in uase duplici coquito, & abiectis uiolis recentes inijce, & pariter pore macera, coque & exprime, idq; tertiò. Oleum hoc refrigerat, incandescētibus inflammationum feruoribus est utile. D

Viola matronalis. Liguſtria

## VIOLA MATRONALIS.

Violæ matronales, quòd à matronis in hortis coli soleant, sunt dictę. Item Liguſtria Germ. **Winter violen**/ & **Welſch Violen** appellantur. Veteribus an fuerint cognitæ, non constat.

Tria numerantur eius genera, non nisi flore differentia, qui in quibusdam candidus, in nonnullis puniceus, in aliquibus uerò est purpureus, aut prorsus etiam rubens.

Herba ipsa est fruticosa, altitudine cubitali, ramosa, caule folijsq; lanuginosis, oblongis, angustis, mollibus & canescentibus, floribus uel albis, uel puniceis, uel purpureis, folijs quaternis: semine in siliquis oblongis, lato ac tenui: radice longa lignosa, subrufa & acri. Florem ferunt interdum etiam hyeme & ueris initio, Vnde Germanicum nomen **Winter violen** acceperunt.

### TEMPERAMENTVM.

Temperamēti sunt admodum calidi, multumq; humiditatis admixtum habent.

VIRES.

VIRES, INTRINSECVS.

Radix aut folia in aqua decocta, conuulsis, & difficultate spirandi laborantibus, ueteri quoq; tussi medentur. Vrinam & menses ducunt, sudores cient. Vis ipsis in summa est incidendi, & digerendi per halitum.

## LEVCOION.

B

Leucoion

LEucoion Latinè idē ualet, quod Viola alba, ἀ λευκὸν & ἴον, id est, Viola: omnibus tamen uiolis attribuitur, siue albę, siue luteę, siue purpureæ fuerint. Arabes Cheiri & Keiri uocant. Germ. **Gelb/ weiß/ oder rot/ braun Veiel.**

Huius tria numerat Dioscoridi genera, ex floris differentia, album luteum, & purpureum. Nascuntur in hortis locisq; cultis, cubitali altitudine, ramosa, caule Brassicę, exiliore: folio molli, lōgo, canescente, aut subnigro, uerbasci foliorum similitudine, nisi quòd angustiora sunt et minora, Violæ syluestris odore: flore quadrifolio, uel candido, uel luteo, uel purpureo, quem ueris initio, uel Maio mense potissimùm profert. Semen foliaceum tenuibus & longis siliquis continetur.

Leucoion Dioscor. Leucoion Theophr.

Atq; hæc uocant Leucoia Dioscoridis, ad differentiam Leucoij cuius mentionem facit Theophrastus. Is enim aliud facit Leucoion, ab hoc diuersum, folijs porri, tenuioribus & mollioribus, ex radice bulbosa prodeuntibus: pediculo dodrantali, tenui ac ferè iunceo, in quo flos candidus, in medio croceus, uiolam purpuream odore referens, quo decidente capitula nucis auellanæ quantitate erumpūt, in quibus semē Sinapi haud dissimile continetur. Germa. **Weiß**

H

**Hornungs oder Mertzen blümen.** Latini Leucoium Theophrasti appellant. Estq; Leucoion hoc Narcissi species, candida uidelicet. Proinde cũ simpliciter dicitur Viola, uel Viola purpurea, intelligitur ea quæ Græcis ἴον, & Germa. **Mertz violn** dicitur. Cuius uerò in hoc capite fit mentio, quæ etiam Viola purpurea dici poterit, lõgè & forma & uiribus ab illa est diuersa: unde Leucoion purpureum appellabitur. Duplex igitur erit Viola purpurea: altera Græcis ἴον, altera Leucoion.

*Leucoion purpureũ.*

TEMPERAMENTVM.

Qualitatis est calidæ, abstergit, tenuiumq; est partium.

VIRES, INTRINSECVS.

Decoctum earum uel liquor stillatitius, iecoris & renum affectionibus medentur: lassa membra, bis in die quatuor aut quinq; cochlearium mensura sumpta, reficiunt. Semen & succus, menses, item secũdas & mortuos fœtus educunt: suntq; ad hunc tantùm usum adhibenda. Recentes flores in uino decocti, matricis æstum poti refrigerant. Liquor stillatitius omnia interna membra confortat, sanguinem & mentem exhilarat, dolores sedat, quietem generat.

EXTRINSECVS.

Succus oculos purgat, maculas & caliginem discutit. Liquor cũ melle mixtus, oris dolorem sanat. Radix in aceto cocta, podagricis doloribus & spleni imposita opitulatur. D

*Iacea magna. Herba trinitatis. Diosanthos. Iouis flos. Phlox. Phlogion. Flammea. Herba clauellata.*

## IACEA MAGNA.

IAcea magna, aliàs Herba trinitatis, & Viola flammea, à triplici colore nominatur. Aliqui Diosanthon, hoc est, Iouis florem, & Phlogа seu Phlogion, id est, Flammeam. Item herbam clauellatam appellant. Germ. **Dreifaltigkeyt blümen/** & **Freyssamkraut.** Græcis ueteribus quo sit dicta nomine, non constat. Est autem uiolæ inodoræ aliqua species. Nascitur in aruis & hortis passim sponte, folio primùm rotundo, inciso per ambitum, paulatim uerò longiore: cauliculo triangulo, intus cauo, per interualla geniculato, leuiter striato: flores in pediculis oblongis, qui circa geniculatos alarum sinus enascuntur, prodeunt, uiolis purpureis non dissimiles: in summo purpurei, medio

A medio candidi, inferna autem parte lutei, nigris quibusdam radijs distincti, quibus decidentibus semina sequuntur. Radix uillosa, breuis, capillamentis multis. Tota floret æstate.

TEMPERAMENTVM.

Qualitatis est mediocris particeps in calfaciendo & exiccando, potissimumq; intra corpus adhiberi debet.

VIRES, INTRINSECVS.

Pueris æstu nimio & alui dolore laborantibus, aqua stillatitia datur utiliter: Asthmaticis pulmonisq; phlegmonibus prodest, collectum in thorace & pulmone pus expurgans. Comitialibus item puerorum medetur. Porcis angina infestatis est remedio.

EXTRINSECVS.

Scabiem & pruritum, omniaq; cutis uitia emendat. Hulcera uiscosa etiam glutinat.

## CYANVS.

B

CYanos à cœruleo floris colore nomen habet, Baptisecula uocant Itali, quòd secantibus & metentibus officiat: seculam enim ueteres falcem dixere: Melius Blaptisecula à βλάπτειν, id est, nocendo appellaretur. Blaueolam Galli: Blaueum enim ipsis est cœruleum. In agris & frumentis passim nascitur, caule anguloso, foliis angustis & oblongis, rosarum calycibus, sed asperis & horridis, quos multæ cœruleæ stipant barbulæ. Radice oblonga, lignosa, fibris quibusdam capillata. German. Blaw Kornblümen. Mense floret maximè Iunio. Cyanos. Baptisecula. Blaueola.

TEMPERAMENTVM.

Temperamentum habet prorsus frigidum.

VIRES, INTRINSECVS.

Flos uel semen in uino decoctum, scorpionum & araneorum morsibus potum medetur, uenenisq; alijs resistit. Ventriculum à bile, tusum semidrachmæ pondere semen potum, purgat.

EXTRINSECVS.

Oculorum aliarumq; partium inflammationibus illita cyani aqua stillatitia, fert opem.

Pueri barbulas Cyani ex calycibus erutas, ex candido oui liquore terunt, quò in pingendis literis grandioribus cœrulei nitorem imitentur.

## CONSOLIDA REGALIS.

Consolida regalis.

Calcatrippa.

Vaccinũ Hyacinthus.

CONsolidæ nomen pluribus tribuitur herbis, ut suprà in Symphyto dictum est. Sic & præsentem herbam pleriq; eruditi Consolidam uocant regalem, quam Germani **Ritterspoꝛn/Hoꝛnkümmel** appellant. Valerius Cordus Calcatrippã agrestem. Gall. *Pied d'Aloette*. Hodie sunt qui hãc herbam Vaccinium uocent, à purpureo floseulo. Nigrum enim appellat Verg. cùm dicit: Et nigræ uiolæ sunt, & uaccinia nigra. Vide caput de Hyacintho. Fuchsius hanc tertiam facit Anthemidis speciem Dioscoridi Eranthemon uocatam, ut in Anthemide est ostensum. Ruellius & Gesnerus pro secũda specie Cumini syluestris Dioscoridis accipiũt, quorum sentẽtia uidetur esse proxima: quod idem Valerius Cordus approbat. Gallis Cornuta à corniculis dicitur, & Germa. **Hoꝛnkümmel** eadem ratione. Ex sylueſtris est Cumini specie. Tragus potius Dioscoridis credit esse Thalictron, Germa. **Krottendyll**/altera Leucanthemi species. Thalictrum uerò Valerius Cordus dicit herbam, quam Germani **Heylblat** uocant, qua rustici in Saxonia maxima etiam absq; Medici opera curãt uulnera. Errat autem Ruellius, qui Thalictron existimat esse Argentinam seu Argẽtillam uulgo herbam, ab argenteo nitore dictam. Proinde Consolida regalis, Calcatrippa, Cornuta, eadem sunt herba, Cumini sylueſtris species.

Cornuta.

Thalictrõ Argẽtina.

Herba nascitur in segetibus caule simplici, sicut Cyanus, ramulis multis, tenuibus, foliijs longiusculis, laciniatis, nigellæ, flore uiolæ ferè purpureæ, nisi quòd ex altera parte in acutiem quandam, ad calcaris ueterum similitudinem, tendit, unde Calcatrippæ nomenclaturam est sortita. Semen siliquis exiguis includitur, rotundum, canum, minutum, Vicio rum sapore.

### TEMPERAMENTVM.

Qualitatem refrigerandi, & extergendi sanandiq; possidet.

### VIRES, INTRINSECVS.

Flores & liquor stillatitius, oculorum aliarumq; corporis partium inflãmationibus, hausta uel illita medentur. Semen in corniculis occlusum, serpentium morsibus est auxilio: Calculosis item & urinæ stillicidio uexatis, uel concretum cum lotio sanguinem reddentibus, prodest.

### EXTRINSECVS.

Illita herba, uel liquor eius stillatitius oculorum hebetudinem sanat, adeò ut illius etiam conspectu multi ex oculis laborantes sint sanati. Ad uulnera etiam antiqua sananda eius effectus traditur.

POLY.

## POLYGALA.

CVm Latinum nomen non esset, nec alia Dioscoridis herba, cui ita quadraret huius descriptio atq; Polygala, hoc ipsam nomine cum Trago appellauimus, donec melius se offerat, uel ab alio demonstretur.

Polygala igitur à lactis copia, quam generat, dictum est. German. uocant **Creutzblüm/ Ramsel/** quòd circa illud ipsum tempus, uidelicet quod uocant Crucis, plenissimus flos ille conspiciatur. Nascitur locis aridis, palmi altitudine, humi serpens, caliculis tenuibus, ligneis, foliis lenticulæ, sed acutioribus & tenerioribus, uelut in hyssopo florem in caule fert ordine ad summum usq; dispositum, fumiterræ flosculis non dissimilem, in quibusdam purpureum, in nonnullis cœruleum, in alijs candidum. Vnde triplex eius statuitur differentia: flore decidente folliculi uulgorum forma, subsequūtur exigui, alis utrinq; minutis, in quibus semen minutum. Radix uilis & parua. Purpureum & cœruleū genus Glaucion Dioscoridis idem censet. *Polygala.*

B *Glaucion.*

TEMPERAMENTVM.

Natura est præsentibus herbis lac generare.

VIRES, INTRINSECVS.

Cum uino cocta lac nutricibus extinctum regenerat. Alij cum polenta, sale & oleo ad eosdem effectus præbent.

EXTRINSECVS.

Inflammationibus & tumoribus utiliter tusa imponitur. Aqua stillatitia earundem est uirium.

## LILIVM CONVALLIVM.

LIlium conuallium, quòd in opacis locis & conuallibus nascatur, dictū est, Græcis Cacalia, & Latinis. Officinis Lilium dicitur conuallium. Germa. **Meyenblümen.** Locis nascitur opacis inq; conuallibus, unde nomenclaturam sumpsit. Folia mense Aprili emittit bina, asparagi primùm foliis non dissimilia, è quorum medio mox caulis prodit triangularis, leuis, quinq; uel sex bullis pisi magnitudine adhærentibus, candidis, canisq;, cymbali in modum mense Maio se aperientibus, leuiter in ambitu serratis, admodum odoratis, amaris, in quorū *Lilium cōuallium. Cacalia.*

medio macula purpurea conspicitur: Decidente flosculo, fructus rubro corallio, uel Asparagi fructui, similis apparet. Radix est candida, inæqualis per terram latè serpens. C.

Ephemeron. Errant qui Ephemeron hanc esse putant, omnibus penè notis, radice, caule, foliis, odore, reclamantibus. Ephemerum uerò quod Irin syluestrẽ etiam Dioscor. appellat, hodie est incognitum. Vide infrà de Ephemero utroq; in Colchico. Falluntur etiam qui Hemerocallin, hoc est, syluestre Lilium esse scribunt, de quo infrà, cùm radix illi sit bulbosa, huic uerò Lilio minimè.

TEMPERAMENTVM.

Qualitatis sunt calidæ, quod gustus satis ostendit. Præcipuas habent uires cùm ad maturitatem plenam flores peruenerint, quod ex odore deprehenditur.

VIRES, INTRINSECVS.

Stillatitius liquor Liliũ cõuallĩ semel atq; iterum distillatus, & in uino forti imbutus, uocem amissam restituit. Epilepticis & uertigine laborantibus, cochlearis mensura potus auxiliatur. Torminibus & uenenis aduersatur, Cor ac cerebrum confortat, mentem bonam reddit.

EXTRINSECVS.

Oculorũ inflammationibus stillatitia aqua mirè prodest, omnibusq; externis ardoribus illita medetur. Capiti utilissimè, ad memoriam recuperandam, illinitur. D

Flos Garyophyllorum.

Betonica altilis.

Herba tunica.

## FLOS GARYOPHYLlorum.

FLores hos nemini nõ in Germania cognitos, Garyophyllorum nomine cũ plerisq; eruditis nominare placuit, ob odoris cũ Garyophyllis similitudinem & præstãtiam, quæ etiam ratione German. **Negelin blümen** / & **Graßblümen** / quòd herba gramini non sit aspectu dissimilis, appellant. Hunc ipsum florem alteram Betonicæ speciem, altilem uidelicet, nonnulli faciũt, sed num satis commodè alĩ iudicauerint: cùm neq; inter folia, neq; flores ulla sit similitudo. Argumento sibi sumũt Officinarum nomenclaturam, qui Herbã tunicam hanc appellant, quasi primis duabus literis à Betonica detractis. Sed quis Officinarum in herbarum nomenclaturis errores satis excusserit?

Plura sunt huius ex florũ, colore & forma genera: quidam enim simplici foliorũ textura,

Ara, quidam multiplici constant: alijs flores sunt cãdidi, alijs punicei, alijs nigri, alijs rubri: nonnullis rursus colores sunt diuisi, rubro album uincente, & contrà albo rubrum: pluribus rubris uel etiam candidis foliis existentibus. Inter candidos etiam maculis sanguineis folia inueniuntur tincta: similiter inter rubros maculis & fibris lacteis folia notata est uidere.

In eodem quoq; pediculo diuersi coloris flores est inuenire, alterũ candidum, alterum rubrum. Hæc de differentia floris secundum coloris formam. Frutex ipse foliis est porraceis, oblongis, per extremum mucronatis, concoloratu cæsijs, teretibus cauliculis, sesquicubitalibus, geniculatis, coëuntibus pyxidatim internodijs, floribus omnium speciosissimis, Garyophyllorum odoratu, sed longè suauissimo: cocco alius rutilat, saturata alius nitet purpura, alius candido, alius emaculato blanditur colore, alius uersicolore uariatur commistu. Teres longiusculusq; calyx spectatur omnibus, orbiculo superiore denticulatus, à quo folia prodeunt in quibusdam frequentiora & densa uelut coma stipata, in quibusdam uerò rariora, lentè quidem fimbriata, geminis utrinq; stamineis emicantibus apicibus. In fictilibus passim à uirginibus colitur, hyeme loca calidiora expetit, frigoris impatiens. Coronis nobilitatus uirginum, & manuarijs scopis frequentissimus. Hæc de domestico seu altili Garyophyllorum coronario flore, quem Betonicam alij altilem appellare malunt.

β

Est præterea syluestris species, eaq; duplex: altera Germanis **Donderneglin / Feldneglin / & Blůtstrõpfflin** appellat, Latinis Garyophyllea syluestris. Radice tota rubra, odorataq;, caule plerunq; simplici, foliis priori similis, floribus simplicibus, qui quinis senisue constant foliis, magna ex parte purpureis, interdum etiam niueis, lentè fimbriatis.

Garyophyllea sylustris

Altera Germa. **Můtwillen/ & Hohmůt/** Latinè Superba. Caule & foliis altili seu domestico est similis, nisi quòd sunt minora: flores fert simplices, puniceos potissimùm, incisuris frequentibus, odoratos. Sponte in pratis et montibus nascitur: hodie in hortis etiam coli est cœpta.

Superba.

TEMPERAMENTVM.

Qualitas ijs est mediocriter calida & sicca.

Ex floribus Garyophylleæ altilis medicamentum conficitur, quod Conseruam uocant, cordi & febrium inflammationibus utilissimum. Acetum floribus hisce imbutum capiti prodest potum, uel temporibus & capiti illitum. Contra serpentum & scorpionum ictus ex uino albo farina eius bibitur. Febrium horrores discutit. Sub accessionem propinata comitialibus medetur. Lumbricos comesta expellit. Succus pestis contagia arcet, et haustus, si iam morbus inuaserit, liberat. Ieiuno sumpta stomacho dentium dolorem sedat, iure decocti ore colluto. Grauedines discutit: partum qui sine febri sit accelerat. Præsumpta ebrietatem arcet. Intertriginem in itinere faciundo non sentient, qui ex uino biberint. Fastidia cum aceto mulso discutit. Iis qui ex morbis se recolligunt, aluum ex aqua calida deijcit. Vomitiones cohibet. Dolores podagræ & uentris inflationes sedat. Succus syluestris Garyophylleæ ad atterendum & educendum calculum maximam uim habet. Comitialibus quoq; opitulatur.

EXTRINSECVS.

Farina per se carcinomatis inspergitur, quæ tamen succo herbæ prius abluí præstiterit. Ex flore fit oleum ad rabidi canis morsum, ad fistulas et parotidas, quibus illitu medetur. Neruorum uulneribus imponitur. Venena rabidi canis morsu impressa, plagæ diutius alligata, elicit.

## PAEONIA.

Paeonia. Glycysida. Sidia. Herba casta.

Asphodelus nõ est Hemerocallis.

Paeonia mascula.

PAEonia à Pæone inuentore dicta, Græcis Glycysida, quòd grana, mali punici granis similia habere uideatur. Sidia enim Bœotæ mali punici grana uocant. Herba item Casta Latinis. Officinis Pæoniæ nomen retinet. Germa. **Pæonien rosen/ Königs rosen/ Gichtwurtz/ Beninien rosen/ Venedisch rosen/ Benedicten rosen. Pfingstrosen/ Freyssam rosen.** Regiam aliqui hastã uocant, Sed nequaq; de Asphodelo accipiendum erit, longè diuerso ab hac herba, quem aliqui Hemerocallin malè appellant, ut suo ostendetur loco.

Duum est generum: Mas & fœmina. Mas uulgò **Aimuenwurtz.** Nascitur in montibus altissimis, caulem habet dodrantalem, ramosum, folia nuci iuglandi similia: Summo caule siliquas quasdam amygdalis similes profert, in quibus, quũ aperiuntur,

A aperiuntur, grana rubra, multa, exiguà, punici mali acinis similia inueniuntur, quinq; uel sex, in medio nigra, purpurea. Radix digiti crassitudine, dodrantali uerò longitudine, gustu adstringens, alba. Hæc radix est ea quam pro Dictamni radice seplasiarij hodie uendunt, ut in capite de Dictamno suprà commõstratum est, & capite etiam de Pæonia Tragus satis ostendit. Ridiculam uulgus de radice hac effodiẽda superstitionem habet, interdiu ob Pici custodiam effodi non posse. Pæonia uerò hæc mascula in Germania incognita: semina tamen eius aliunde missa terræ se mandasse, scribit Valerius Cordus, sed nullum protulisse germen: uelut certum serendi tempus semine hoc expetente.

*Pæoniæ marij radix est ea, quam seplasiarij pro radice Dictãni uendũt.*

*Superstitio.*

*Pæonia fœmina.*

Pæonia fœmina in hortis passim prouenit, folia habet Smyrnij modo diuisa, fructu & caule priori est similis. Florem fert rubro papaueri simile. Radix eius propagines soboleue ceu glandes septem aut octo, ut Asphodelus habet. Hæc in Germa. passim cognita: nominibus suprapositis gaudens. De Pæoniæ huius satu nihil certi constat: cùm ex semine eius enasci germen non sit deprehensum. Superstitiosam igitur propemodum curam ei attribuunt, quòd semina manu contrectari non oporteat. Præterea locis ijs quibus magna Pæonia est copia, semine sponte excidẽte, nulla noua enascentia germina est animaduertere. Quod magna à se diligentia obseruatum, Valerius Cordus scribit.

B

## TEMPERAMENTVM.

Pæonia tenuium est partium, exiccat, & in caliditate symmetriã obtinet. Radix leuiter cum quadam dulcedine adstringit.

## VIRES. INTRINSECVS.

Arida Pæoniæ radix tusa, amygdali magnitudine cum uino sumpta, mulieres à partu purgat: menses ducit: calculum uesicæ & renum pellit, ictericos adiuuat, uentris dolores sedat: fluxus alui sistit, per dies aliquot in uino decocta radix pota.

Grana eius duodecim tusa & pota, sanguineum mulierum fluxum cohibent: ructus & singultus componunt: lapidem in puerorum uesica generari prohibent. Quindecim grana trita cum uino sumpta, mulieres ex matricis dolore concidentes excitant.

Aqua radicis & floris stillatitia, cor confortat: puerorum comitialibus prodest, duorum triũmue cochlearium mensura nonnunquam pota.

Alba Pæoniæ masculæ radix, quam pro Dictamni radice seplasiarij uendunt, easdem uires habet, ac plurimùm contra uenena ualet.

## EXTRINSECVS.

Grana Pæoniæ contra phantasmata & comitialem morbum ualere præcipuè, multorum experientia constat.

GLYCYR.

# GLYCYRRHIZA.

Liquiritia. Scythica radix.

GLycyrrhiza, Latinis Dulcis radix, à gustu id nominis impositio. Officinis Liquiritia. Gall. *Erculisse*, *Regalice*. German. Süßholtz/ Kolstock. Theophrastus Scythicam à loco ubi copiosissimè prouenit, nominat. Nonnullis Adipson, quòd sitim ore retenta arceat. Frutex est breuis, ut Dioscorides describit, ramulis binûm cubitorũ altitudine, foliis densis, lentisco similibus, pinguibus, tactuq; glutinosis. Florem fert Hyacintho similem: fructum pilularum Platani magnitudine, asperiorem tamẽ, siliquas lentis modo rubescentes, breuesq;. Radices longę, colore buxi aut Gentianæ, subacerbæ & dulces, quę Licij modo in succũ densantur & coguntur. Plinius Glycyrrhizam inter aculeatas herbas refert, ac folia dicit echinata habere, proculdubio, ut monet Ruellius, similitudine uocabulorũ deceptus, quòd legit ἐχῖνον pro χῖνον id est, echinum pro lentisco. Vnde non uisam ipsi Glycyrrhizam constat. Nascitur hodie copiosè in Germania, in agro præsertim Pabergẽsi. Carpitur mense Septembri, cùm semine est prægnans.

## TEMPERAMENTVM.

Temperamentum habet mediocre, seu symmetron tepidæ caliditatis existens: nostræ temperaturę maximè familiaris.

## VIRES, INTRINSECVS.

Succus Glycyrrhizæ omnibus propemõdum affectibus est utilis.

Fabæ quantitate in ore dissolutus, asperitatem gutturis lenit, æstui uẽtriculi confert, pectus lenit & purgat: nec non pulmonem & iecur. apostemata mollit: asperam tussim lenit, uesicæ & renum exulcerationibus medetur: sitim restinguit efficaciter.

Radix ex uino uel aqua assiduè pota, difficulter & calidam urinam emittentibus est auxilio. Præcipuè tamen ad hoc ualet radix ex lacte caprino cocta.

## EXTRINSECVS.

Arida radix in puluerem tusa, manantibus oculorũ hulceribus inspersa, fluxum sistit, & hulcus sanat.

LIMO-

# LIMONIVM.



B

Limonion, Latinis Beta syluestris, ea est herba, quam Germani appellant **Wisen mangolt/ Biberklee.** Limonium pratense Latinis. Tintinabulum etiam à florum forma est dictum. Nascitur pratis humidis. Folia, describente Dioscoride, habet Betæ, tenuiora & longiora, decem, sæpe plura, caule tenui, recto, altitudine liliorum, pleno seminis rubri, quod gustu linguam adstringit. Hæc descriptio conuenit herbæ, quam **Wisen Mangolt** appellãt. Hæc siquidem pediculos ex una radice emittit tres uel quatuor, dodrantali longitudine, & in singulis terna folia, quo fit ut decem aut pluribus à Dioscoride foliis describatur. Flores uerò, quorum nullam fecit mentionem Dioscorides, habet candidos. *Limoniũ pratense. Tintinabulum.*

Est præterea & alia syluestris Betæ species, quã Limonion syluestre, seu Betam syluestrem uocant. Vulgò Pyrolam, quod folia eius pyro arbori similia sint, German. **Wintergrũn/ Wald mangolt/ Waldkõl/ Holtz mangolt/** huius folia à frigore non læduntur, sed uiridia manent. Vnde appellatio ipsi **Wintergrũn/** est imposita. Hæc locis nascitur umbrosis & syluestribus. *Pyrola.*

## TEMPERAMENTVM.

Folia & semen exiccant in ordine tertio: uim habet glutinandi & sanandi.

## VIRES, INTRINSECVS.

Limonij pratensis semen in uino coctum, rubrum alui fluxum, menses q; muliebres sistit.

Pyrola in albo uino cocta, ulneratis utiliter bibitur: nonnulli Leontopetalon, Saniculam, Agrimoniam, & Centummorbiam admiscent. Commodioris tamen est usus liquor Pyrolæ stillatitius. Omnibus ruptis alui fluxibus, mẽsibus muliebribus, Limonium prodesse, præsertim tamen semen eius, scribunt Dioscor. & Plinius.

## EXTRINSECVS.

Limonium pratense omnibus inflammationibus impositũ, medetur.

Viridia Pyrolæ folia tusa & imposita, corporis damna sanant.

Aliqui aridæ herbæ tritis foliis ad manantia hulcera & damna utuntur. Nonnulli cum oleo & uiridi æris unguentum ex ea conficiunt.

BETA.

# BETA.

Teutlon.
Seutlon.

BEta à literæ Græcæ ϐ, similitudine, quam dum semine est prægnans refert, id nominis accepit, Græcis τεῦτλον, uel σεῦτλον, ab impellẽdo, ut uolunt, quòd uelut impulsu quodam arboris quadantenus incrementum sumat, ac omnia alia, quæ in hortis seruntur, foliorum latitudine superet. Ger. **Mangolt/Römisch Kól/Beyß kól/Romgraß.**

Duum omnibus est generum: Candida & nigra, à foliorum nimirum colore.

Candida quam Siculã nominant, & hinc corruptè siccam & Siclam, Germ. **Weiß Mangolt.** Gall. *Bette.* Solo gaudet putri, humido & læto, Caulem gerit striatum, bicubitalem, folium ferè Atriplicis, flores exiguos, luteos, semẽ in caulibus copiosum, radicem unicam, in longum protensam, è cuius lateribus alæ, modò singulæ, modò binę, nõnunquam ternæ fundantur, fibris multis refertæ.

Nigra huic similis est, nisi quòd folia in purpura sunt nigricantia, è radice rufa. Germa. **Roter Mangolt.** Huius radices condiuntur, & assatis carnibus apponuntur, Candidæ uerò Betæ radices in nullo sunt usu. Alij à sationis temporibus distinguunt, facientes uernam & autumnalẽ: quanq; & alijs seritur temporibus. Transfertur commodissimè quinq; foliorum: ac eadem maior & candidior fit, si radices recenti fimo bubulo linantur, & priusquam in caulem exeant, lapillus latior, aut fictilis testa superponatur: pondere enim hoc compressa in latum se distendit, & candorem contrahit, ut autor est Sotion.

## TEMPERAMENTVM.

Calidam esse & siccam in tertio ordine, tradit Simeon Sethi. Nigra ad strictionis aliquid habet, præsertim in radice.

VIRES,

VIRES, INTRINSECVS.

Betæ cibus cóncoctu est facilis, & uentriculo infirmo conducit. Candida Beta soluí aluum, nigra uerò inhiberi tradunt. Teneri caules Betæ, & folia cum radicibus, modicè in aqua, quoad mollescant, sicut Brassica quæ conditur, cocta & ex aceto sumpta, appetitum edendi excitant: sitim restinguunt: Choleram in uentriculo sedant.

EXTRINSECVS.

Veteribus hulceribus & inflammationibus imposita Beta, dolorem mitigat, tumorem reprimit, & calorem nimium restinguit.

Nigræ Betæ radicis succus naribus instillatus, capitis frigidos fluxus mirificè purgat.

Radix in cinerem usta, cum melle temperata, capillis capitis defluentibus & alopecijs medetur.

## ATRAPHAXIS, SEV ATRIPLEX.

Ατράφαξις, παρὰ τὸ ἀσφαῶς αὔξεσθαι, quòd celeriter augeatur: decimo enim statim die, postquam sata fuerit, erumpit, & incrementum sumit. Latinis Atriplex. Gall *Arroche*. German. **Molten oder Milten Burchard.** Chrysolachanon item Græcis à floris forma dicitur, hoc est, Olus aureum. *Chrysolachanon. Olus aureum.*

Duo sunt eius genera: Satiua & syluestris Satiua uel hortensis caulem habet quadratum, ramis brachiatum, quibus flores primum lutei, exigui, dein foliatum semen & obductum cortice promitur. Radicem habet unam, in altum descendentem, nõ glabram, sed fibris quibusdam capillatam: nec nisi sata nascitur: assiduoq; humore gaudet. Vnde non facilè aliud quicquam iuxta olus hoc prouenit: uicinum enim omne ad se alimentum rapit, ut nihil nisi languidum iuxta ipsam nascatur. Iunio floret ac Iulio, moxq; semen producit. Germa. simpliciter **Molten.** Vulgaris admodum notitiæ herba.

Syluestris Germa. **Schiſmolten/Acker/oder wild Molten.** Spõte sua in hortis nascitur, ac quaternos sæpe proceritate sua cubitos excedit, caule sicut hortensis, ramoso, anguloso & purpurascente. Folio hortensi non adeò dissimili, flore luteo, exiguo, semine racematim cõgesto, radice simplici, in altum descendente, ex qua multæ se aliæ promunt. Floret eodem cum satiua tempore.

TEMPERAMENTVM.

Humida est in secundo ordine, frigida in primo. Hortensis tamen syluestri est humidior & efficacior.

Atriplex cocta olerum instar editur: aluum emollit, Dioscoride teste, quod de syluestri uidetur intelligendum, ac facilè ob lubricitatem, ut Galenus ait, aluum permeat. Semen eius abstergentis est facultatis, unde potum cum aqua mulsa, morbum regium, ex iecoris obstructione natum, sanat. Quòd Hippocrates dicit aluum non ciere, de hortensi uenit intelligendum, quæ difficillimè concoquitur, nec, nisi mutata sæpius, aqua coquenda, ut refert ex Diocle Plinius: morbos gignit plurimos, ut lentigines, papulas. Stomacho est inimica.

EXTRINSECVS.

Cruda uel cocta, panos, furunculos incipientes, duritiasq; omnes, illita sanat. Incipientibus autem, Galeno referente, & mollibus adhuc phlegmonis & panis, hortensis est utilior. At declinantibus uel adhuc uigentibus syluestris est melior. Inflammationes cum malua illita sanat. Ignem sacrum cum melle, aceto & nitro restinguit. Podagricis item illinitur. Scabros ungues sine hulcere detrahere dicitur. Syluestri capillos nonnunquam tingunt, estq; idem eius usus cum altera.

## BLITVM.

Beta insipida.

Βλίτος qui.

BLitum Græcis & Latinis dicitur. Officinis cum Beta cõfunditur. D
Beta aliàs insipida, foliis enim est betaceis, sed absq; sapore fatuis & insipidis. Vnde etiam Græci Blitum dixerunt, hoc est, insipidum & stolidũ: Stolidos enim & fatuos βλίτους uocãt, quemadmodum etiam Latini insulsos & bliteos. Nascitur inter olera restibili fœcunditate, ut semel sata per multa secula ex seminis deiectione renascatur. Erumpit ocyssimè, foliis betaceis, sine acrimonia, fatuis & insipidis, semine ut Beta corticeo, copioso, & ut Atriplex, racemoso. Radice non una, nec in rectum tendente, sed multiplici, obliqua & prolixa. Gal. *Blete*. Germ. **Meyer**/ & **Miste milten.**

2. Blitum rubrum. Rubrum olus.

Aliam quoq; Bliti speciem est inuenire, rubentem, quæ in cultis se attollit, cuius folia iuribus incocta, sic ea rubore inficiunt, ut nigelli uini dilutum colorem repræsentet. Vnde olitores Rubrum olus uocant, Germa. **Blůtkraut.**

TEMPE-

Blitum faciunt humidum & frigidum in ſecundo ordine.

Rubro contra dyſenteriam fœminæ utuntur. Inflammationibus imponuntur.

Aluum, Dioſcoride teſte, nõnihil mouet. Menſtrua cibo eius ſiſti, tradit Hippocrates. E uino aduerſus ſcorpiones Galeno bibitur, & clauis pedum illinitur. Ventrem adeò turbat, ut choleram aliquibus faciat.

## ATRIPLEX CANINA.

IVxta muros & macerias herba naſcitur aſpectu iucunda admodum, & exigua, odore uerò fœtidiſsima, folijs atriplicis minoris, multò tamẽ minoribus, mollibus & coloris cinerei, ſemine nigro & minuto, German. **Stoltz oder Güter heynrich** appellant, quòd nimirum herba ipſa appareat pulchra, & interim fœtore ſit plena, ſicut homines arrogantes multa fronte promittũt, in receſſu uerò nihil habent. Aliqui **Hundsmilten**/ob fœtorem nominant: ac ueriſimile eſt eam ex urina canum enaſci. Locis enim fœtidis, ut muris uetuſtis, gaudet. Qui uolet pro Blito fœtido poterit ſumere, Vnde Bliteam meretricem, hoc eſt fœtidam, Plautus in Truculento uocat.

Eſt præterea & alia herba, quæ Bonus hendrichus uocatur, de qua ſuprà inter Lapathos ſeu Rumices eſt actum.

### VIRES.

Herbam hanc conſtat, uetera & putrida hulcera animantium, in quibus uermes naſcuntur, tuſam & impoſitam purgare.

Alij tantam uim habere tradunt, ut alligata ſolummodò animanti, uermes ex hulceribus confeſtim expellat.

## BRASSICA.

BRaſsicæ tria ſunt genera ſummaria: Satiua, ſylueſtris, & marina. Græcis Crambe quaſi Coramble, quòd pupillas oculorum, quas Græci κόρας uocant, obtundat & hebetet. Germa. **Kõl/Cappes**. Caulis & uulgò dicitur, quòd nulla herba caule ſit amplior, Vnde etiam factum eſt Germanicum **Kõl**. Crambe.

Satiua Braſsica quatuor habet ſpecies. Eſt enim leuis, criſpa, & quæ propriè Crambe dicta, & capitata.

Omnibus est caulis leuiter rubens, crassus, folium prægrande, crassum, carnosum, ex cæsio candicãs, in latus utrinq; diffusum, prominulis uenarum toris fruticans, Cyma patula (Sunt aũt Cymæ delicatiores & teneriores herbarum coliculi, quos à prima germinatione, & in summa stirpe proferũt, Verno enim appetente tempore, primo quoq; foliorum pullulatu, præclusis adhuc florum calycibus, quosdam quasi turiones olus subministrat, in quibus floris primùm, mox seminis fœtus, concluditur) flore tum luteo, tum albo, semine in siliquis.

Cymæ.

Prima aũtẽ Brassicæ species, quæ λάπα Græcis, Latinis Leuis dicitur, foliis est grãdibus, latis, caule magno, German. **Breyt / oder grosz Kól.** Gall. *Choux.*

Satiua 1.

Altera crispa, quę Græcis Selinoides, q.d. Apiana, ab apĩ foliorũ forma, Vulgò caulis crispus. Ger. **krauser Kól.**

Satiua 2.

Caulis crispus.

Tertiam propriè Crambem uocant, caulibus minutioribus, & foliis tenuioribus, flore luteo, Germa. **kein Kól/** uel simpliciter **Kól.**

Satiua 3.

Crambe.

Quarta

Quarta seſsilis dicta seu capitata, quoniam in capitis formam folia eius extuberant, huius folia glomerãtur in orbem, exterius calloſa, et per ambitum rugata, multis intus carinarum uoluminibus, externis semper interiora complectentibus, Ger. **Cappeskraut.** Hanc à foliorum candore, Braſsicam albam, & caules albos uocant. *Satiuæ 4. Capitata. Braſsica alba. Caulis albus.*

Plura Braſsicarum genera licebit à natalibus locis conſtituere.

Transfertur Braſsica tenera adhuc, cùm ſex foliorum fuerit. Frigidis & humidis gaudet locis. Sarrita & ſtercorata ſæpius, plenius incrementum facit. Maxima Braſsicæ & uiti eſt diſcordia, adeò etiam ut ſi iuxta uites proueniat, uel ipſa cõfeſtim emarceſcat, uel ſarmenta eius contabeſcentia elangueſcant. Neſtor in horto Alexidis Braſsicam Lycurgi tradit eſſe lachrymam, quam ſecundum fabulas, cùm à Libero patre uiti eſſet alligatus, profudit. Hinc etiam ſi quis feruefcenti in olla Braſsicæ uini paulum inſtillauerit, nõ amplius excoquetur, ſed ſuis defuncta uiribus ad perniciem trahetur.

Præter ſatiuam Braſsicam ſunt adhuc duo Dioſcoridi, Galeno & Aeginetæ genera: Sylueſtris nimirum, quæ ruſtica dicitur, in maritimis plerunq; & præruptis tractibus naſcens, ſatiuæ ſimilis, candidior, hirſutior, nec ſine amaritudine. Hanc Lampſanam Dioſcoridis eſſe ſunt qui putent, German. **Reinkõl**/ quo apud Dyrrhachium ſe uictitaſſe milites Cęſari in triumpho exprobrauerunt, Vt eſt apud Plin. & Suetoniũ. Lampſanam tamen alij uolunt eſſe herbam, quæ Germa. **Hederich**/ & **Wilder Senff** dicitur, de qua in Raphano ſyluestri. *Syluę. ſeu ruſtica. Lampſana.*

Marina Braſsica prorſus à ſatiua eſt diuerſa, eſtq; ea quæ Officinis Soldana & Soldanella dicitur, foliis Ariſtolochię rotundæ, tenuibus, prælongis, quæ ſingula à ramulis proſiliunt ſubrubentibus, uno nixa pediculo, hederaceorum modo: uulnerata liquorem emittit paucum, candidum, non inſulſo guſtu amaricantem, pingui concretu. Soldanã etiam uocant Muſcum terreſtrem, diuerſum ab hac, de quo ſuprà eſt actum. *Marina.*

TEMPERAMENTVM.

Calida eſt & ſicca primo ordine.

VIRES, INTRINSECVS.

Braſsica pręſumpta cibis temulẽtiam arcet, poſt cibos uerò ſumpta temulentiam diſcutit. Cuius rei rationem reddit Ariſtoteles, quòd nimirum dulcẽ diſcutientemq; ſuccum contineat: eaq; in plenum excocta, & expurga-

to callo refrigerata, Medici uehementes uentris deiectiones moliuntur: C
quo fit ut ijs qui crapula uexantur, succus humores in aluum eliciat.

Crudis etiam hominibus, temulentisq; in uentriculo suprà remanens, corpus refrigerat, fitq; ut humores per urinarios meatus euadentes ad uesicam delabantur. Qui cùm utrinq; abigantur, refrigerato corpore, eos liberari crapula est conspicuum, præsertim cùm sequax uini uapor, humoribus deorsum conuersis deuocetur, & preceps ad ima deuoluatur, qui sese efferens in caput, mentis arcem obsidet, & temulentiam grauitatemq; creat: Fastidienti stomacho esus Brassicæ commodat, concoctionem adiuuat, alui duritiam impedit, urinam ciet, Choleram & biliosos humores, quibus uisus acies hebetatur, paulatim educit.

Folia in uino cocta, calida pota, morsis à serpentibus auxiliãtur. Idem præstat semen ex uino.

Aluum cyma deijcit feruefacta, & noua iterum & tertiò adiecta, cùm cœperit feruere, indita salis mica & cymini momento, ut autor est Cato.

Verùm qui bibit cubet incœnatus, sola contentus mulsa: itidem faciendum ubi nauseæ libido ueniens quem apprehenderit.

Tormina discutit si cocta iterum decoquatur, addito cumino, sale, oleo, & polline polentæ, præsertim si sumatur sine pane.

Idẽ facit ius decoctæ cum ueteri gallinaceo: iocinorosis & lienosis, quiq; calculo uexantur renum, prodest. Quem largior uini potus delectat, antecedens in cibis cruda ex aceto ebrietatem arcet, postea quinque D eius folia crapulam discutiunt, ne uinosæ halitus reliquiæ uideantur superesse. Podagricis quoq; in cibis prodest, ruta præsertim & Coriano additis. Hippocrates bis decoquendam alui fluxu laborantibus & dysentericis tradit.

Brassica condita prodest stomachi æstui, utilis præsertim ijs qui uehementioribus exercitijs sunt adsueti, appetitum quoq; edendi excitat, & sitim sedat.

Plura Plinius & Cato. Marina Brassica in totum stomacho est inimica & acris. Aluum uehementissimè ciet in cibo cocta. Cum pingui uerò carne propter acrimoniam coquitur.

EXTRINSECVS.

Folia omnis generis inflammationibus imposita, calorem pellunt, dolorem mitigant, herpetas & scabiem, epinyctidas, ignem sacrum & lepram sanant. Podagricis illita folia cum Fœnigræci farina & aceto prosunt. Ad hoc utilis etiam est urina hominis, qui dies aliquot Brassica uictitauit. Illitum, fistulas, carcinomata, gangrænas, nomas & papulas sanat. Pueros pusillos si lotio hoc abluantur, nunquam debiles fieri, Cato est autor: mulier quoq; si lotio eo locos foueat, nunquam eos uirosos fieri. Cinis ex caulibus Brassicæ ustus, cum axungia, manantia cutis uitia, teste Galeno, sanat. Lixiuium ex eodem cinere sacrum ignem restinguere, mira experientia comprobatum est.

Syluestris

A Syluestris Brassicæ cyma in lixiuio cocta, ori est grata. Folia eius illiat uulnera glutinant, & inflammationes tumoresq; discutiunt.

## RAPVNCVLVM.



B

RApunculum à rapo diminutiuum est, quasi dicas Paruum rapum, Rapi genus est syluestre, Germa. **Rapunzel**/omnium ferè eruditorum sententia. Cubitali, ut Dioscor. describit, assurgit altitudine, fruticosum, in cacuminibus leue, folio glabro, longitudine digitali, aut interdum maiore, fructum fert in siliquis calyculatis, dumq; seminum inuolucra dehiscunt, alia intus capitulata continetur siliqua, in qua semina concipiuntur paruula, foris nigra, trita uerò candicantia. Hæc deliniatio prorsus cum ea conuenit, quam uulgò Raponticum seu Rapunculum nominant. Nemini non cognita: siquidem uerno tempore, priusquam in scapum attollatur, acetarijs inseri solet, radicitus cum suis foliijs. Vbi uerò adoleuerit pauci eam cognoscunt, quòd faciem mutet: nisi qui singula deliniamenta, præsertim duplices siliquas diligẽter perspexerit, quarum interna capitis speciem repræsentat, eius itaq; incrementum cognitionem obliterat. Flos in purpureum uergit colorẽ. Radix digitalis ferè est, qua cruda uescuntur, sed concoctu contumax, & ructus ciet.

### TEMPERAMENTVM.

Raporum naturæ est particeps, Vim habet detergẽdi, ut tradit Dioscor.

### VIRES, INTRINSECVS.

Appetitum ciborum excitat, stomachum bonum efficit.

### EXTRINSECVS.

Medicamentis, quæ ad detergendam faciem, reliquumq; corpus, ex lupinorum, uel tritici, uel erui farina, conficiuntur, miscetur.

## SISER.

SIser, ut testatur Brunsfelsius, est ea radix, quam Germani **Rot rübelin**. Item **Gierlin** & **Gerlin**/**Gritzel mören**/ & **Klingelrüben** appellant. Galli *Cheruys*. Omnium radicum saluberrima: quod Olus Cæsar Tiberius, ut scribit Plinius, quotannis à Germanis flagitabat: serebat enim olim in Germania, & optimè in hac frigida regione proueniebat. Huic sententiæ subscribunt Hieronymus Tragus & Valerius Cordus.

Siser.

Ex Rapunculorum potest numerari genere, pro rapūculo satiuo, **Zam garten Rapuntzel**. Caule nascitur longo, foliis Pimpinellæ maiori, nonnihil similibus, serratis, umbella candida, semine lato, Radix gustu dulcis & amara.

TEMPERAMENTVM.

Qualitatis est mediocriter siccæ & calidæ.

VIRES.

Radix in cibo uētriculo prodest, appetitum edendi excitat. Semen auget urinam mediocriter ciet.

## RAPVM SATIVVM.

RApum syluestre in secundo antecedente capite est descriptum, de satiuo in præsenti capite. Græcis Rapum dicitur γογγύλη, uel γογγυλίς, quia in rotunditatem seu orbem coactum est, hoc enim uult uocabulum. Gall. *Raue*. Ger. *Ruma*. **Rüben**.

Est

A Est autem duplex: alterum quod Rapum dicitur simpliciter, seu Rapum satiuum, alterum quod Napus Dioscoridi, nec non eruditis appellatur.

Rapum satiuum caule & foliis Raphano est simile, floribus uerò aut siliquis, in quibus semen profert, Napis aut Brassicis: radix rapo cartila ginosa, corticem carni adhærentem habens. Locum amat pinguem & solutum. Seritur mense Maio. Laudatur semen eius tenue: crassum uerò est uitiosum. 1. Rapum.

Napi rapis sunt affines, densiores tamen, acriores & minores, Germa. **Napen/Steckrüben**/ Item **Borfeldisch rüben**/ à Borfeldiano Brunsuicensis ducatus agro, uel ab oppido Saxoniæ Borfeldia, ubi nascũtur, quibus laus & autoritas est præcipua. Item **Baumholder rüben**/ similiter à loco ubi optimi proueniunt, Græcis Bunias dicitur, à figura nimirum tumente quam præ se fert: radix enim eius in amplitudinem excrescit, & in rotundum extuberat. βουνὸς nanq; Græcis cliuos colles, uerrucosaq; loca significat. Et huius duo faciunt genera: alterum satiuum, quod forma ad Brassicam tertiæ speciei proximè accedit, radice lõgiore. Germa. **trucken Steckrüben**. 2. Napus. Bunias.

Alterum syluestre, Germa. **naß Steckrüben**/ quod foliis erucæ nõ est dissimile, radice ampliore & rotundiore. Loca amat frigida.

TEMPERAMENTVM.

B Rapum & Bunias, seu Napus, utraq; eiusdẽ sunt facultatis, easdemq; uires obtinent, teste etiam Galeno. Calida sunt in ordine secundo, & humida in primo.

VIRES, INTRINSECVS.

Rapum uentrem opplent & inflant, uentositates generant: per se autem cocta parum nutriunt, qua de causa cum lacte à nonnullis coquuntur. Condiuntur etiam sicut Brassica. Semen rapi genitale semen auget, Venerem assiduus & frequens raporum esus ciet: crassos humores parit. Tusum & potum semen, Napi maximè, uenenis aduersatur. Vnde Theriacis etiam admiscetur.

EXTRINSECVS.

Cocta rapa calidæ podagræ imposita, dolorem mitigant.

Aqua stillatitia ex putrefactis rapis, damnis pedum ex frigore contractis, calida sæpius cum linteolo applicata, prodest.

## RAPHANVS.

RAphanus Græcis & Latinis, ijsdem Radix & Radicula. Nominis id habet παρὰ τὸ ῥᾳδίαν φαίνεσθαι, hoc est, quòd facilè appareat, siquidem tertio à satu die prosilit. Radix. Radicula

Radix, κατ' ἐξοχήν, hoc est, per excellentiam Raphanus dictus est: in magnitudinem enim humani excrescit capitis.

Duo

Duo sunt huius genera: Satiuus & syluestris. C. Satiuus Germ. **Rettich**/ Caudice assurgit uno, nonnunquam arboreo, radice ad rapi similitudinem, foliis laciniatis, angulisq; horrida: Floribus candidis, & semine in siliqua. Huius plures sunt ex magnitudine differentiæ, alij rotundiuelut uulgares, quos Argentoratum mittit: alij uerò longiores. Est præterea alia herba, quam Latini Lanariam radiculam uocant, Græci Struthion, diuersa tamen ab hac radicula seu raphano: quod ob nominis similitudinem indicare placuit, de qua in capite de Struthio.

Raphanus syluestris spõte in aruis nascitur, Latinis Armoracia, Germa. **Heydërettich**, aliàs **Hederich**/ & **Wilder Senff**. Huius enim descriptio quàm proximè ad Raphanum syluestrem accedit, quamuis alij ad Erysimon, alij uerò ad Lampsanã uelint referre. De Lampsana in Brassica est dictum. Folio est satiuo similis, sed magis Lampsana imitatur, radix ei tenera, gracilis & subacris.

Alij Raphani quoq; faciunt speciem radicem, quam Germani **Merrettich** uocant, Raphanum maiorem & Armoraciam uocantes, sed nulla ueterum autoritate & testimonio: Quo autem nomine ea uocetur radix, suprà in cap. de Thlaspi est dictũ, ubi maius esse Thlaspi est ostensum.

*Thlaspi maius est Merrettich.*

### TEMPERAMENTVM.

Satiuus Raphanus, excalfacit in ordine tertiò, exiccat in secundo. Syluestris satiua est efficacior.

### VIRES, INTRINSECVS.

Raphanus uentositates efficit. Ructus stomachi, ante uel post cibum sumptus gignit, cerebrum, oculos & rationem turbat. Vrinã uerò ciet, aluum mollit: sed difficulter concoquitur. Hydropicis & lienosis commodè præberi potest, nec non mulieribus quibus menses impediuntur. In aqua mulsa coctus ueteri tussi conducit: Viscosum pectoris phlegma discutit, excreationesq;, dies aliquot, haustum idem decoctum, facit. Membrana Raphani tusa, & cum aceto & melle sumpta, nauseas & uomitiones

Amitiones generat. Hoc idem præstat semen cum aqua potum calida.

Semini efficax in expellendo est facultas: utile ijs qui fungos ederunt, quos nequeant concoquere.

EXTRINSECVS.

Cum melle tusus & illitus Raphanus, maculas aliaq; cutis & faciei ulcera discutit & pellit: alopecijs medetur. Eadem ratione adustionibus, scorpionum, araneorum, & serpentum morsibus auxiliatur.

Raphani segmentum aut particulam umbilico impositam, tormina mulieribus sedare, autor est Hippocrates.

## CROMMYON.

BCRommyum, Aristotele teste, est dictũ, quòd oculi pupillam cõprimi cogat. Latinis Cepa, à capitis magnitudine, & Cepe in neutro indeclinabiliter. Gall. *Oignon*. German. Zwibel. Cepa notior est, quàm ut descriptione sit opus.

Duo faciunt eius Latini genera: Capitata & Condimentaria, quã Gethyon uocant. Cepa capitata, foliis nascitur ferè porraceis, intus concauis, caule tereti & rotundo, per cuius fastigium flores primùm candidi, ac subinde semen, in orbem sparguntur: radice capitata, pluribus cõpacta tunicis, quæ summatim prætenuibus rufisq; uestitur membranis: uertice nigricante, à quo fibræ capillitij modo fruticant. Hæc uulgaris est notitiæ. 1. Cepa capitata.

Cepa condimentaria, quam Gethyon uocant, est penè sine capite, ceruicis tantùm longæ, totaq; est in fronde, sæpiusq; ut porrum resecatur. Solum amant pingue, uehementer subactũ, & irriguum, itaq; prius proscindi solum iubent, ut hyemis frigoribus & gelicidijs putrescat: deinde stercorari: mox bidentibus perfossum in areas disponi, uulsis herbis, omnibusq; deletis radicibus: deinde mense Februario, placido & sereno die, Austro uel Euro flantibus, semina spargi. Intermiscetur semen Saturciæ: nam uiridis esui est iucunda, & arida non inutilis ad pulmentaria condimenta. Minuente luna si serãtur, tenues & acriores prouenire tradunt: crescente, robustas & saporis humecti. Capita quoq; maiora fieri, si cum transferuntur, fibras omnemq; comam auferas: multò quoq; maiora, 2. Cepa condimentaria. Gethyon.

iora,si detractis tunicis nudæ pangantur. Solo rubro proueniunt optimæ,sicut allia candido. Quòd si Cepas non in semen,sed in caput crescere uoluerimus,folia radicetenus sunt euellenda, sic enim succus ad inferiora feretur. Cùm semen caules protulerint,tùm humilibus canteriolis stilorum rigos conseruandus;ac scapi leuibus adminiculis harundinibusq; uelut iugatæ uites sunt fulciendi,alioqui thalli ceparum uentis agitati prosternentur, semenq; deturbatis scaporum cacuminibus totum excutietur,quod non antè quàm nigrum præ se ferat colorem est legendum. Mouet Plutarchus quæstionem, cur crescente luna cepe marcescat,decrescente uerò reuirescat & germinet? Item: cur cepe lachrymas ciet siue estur,siue oculis admoueatur,cùm nec Nasturtium,quod maiore morsu lacesit,nec item allium,lachrymas eliciant?

TEMPERAMENTVM.

Calfacit in quarto ordine,estq; crassarum partium.

VIRES, INTRINSECVS.

Operarij & laboribus assueti cepis manè cum sale & pane aduersus aërem infectum,non exiguo remedio, ut experientia idipsum ostendit, uescuntur. Qui uerò laboribus & esui ceparum non assueti sunt, ab eiusmodi ceparum usu abstinebunt: insaniam enim ijs pariunt, caput infestant,oculos turbant,mentem grauant, & lethargum inducunt. Frequens ceparum in cibis usus,aluum mollit,& urinam ciet. Crudæ cepæ D
Lumbrici concisæ & in aqua pura per noctem relictæ, lumbricos efficaciter pellunt: si aqua illa in qua Cepæ sunt maceratæ,pueris bibenda postero die præbeatur. Assiduo ceparum esu uis genitalis augetur. Quod potentius tamen semen earum præstat.

EXTRINSECVS.

Oculorum caligini,ceparum succus cum melle oculis infusus, medetur. Auribus inditus,earum susurrum sedat. Naribus immissus cerebrum purgat. Alopecias illitus pilis explet.

Faciei maculas cum aceto succus illitus extergit. Morsui rabidi canis summoperè auxiliantur,succus ceparum,ruta,acetum & mel, temperata inuicem illitaq;.

Cepa cum ficubus tusa, apostemata & hulcera,podicis præsertim, mollit,aperitq;. Balani ex cepis corpori inserti,hæmorrhoides sanant. Eadem ratione menses ducunt.

Pestis & hulcera malefica. Contra pestem uenenatosq; tumores præstantissimum ex cepis cataplasma hunc in modū cõficitur: Cepã mediocris quãtitatis excauato,theriaca partem excauatam expleto,ac abscissum operculum rursus admoueto,hinc in calidum cinerem,ut paulatim assetur mollescatq;, abscondito,quo facto extremis membranis amotis reliqua contundantur, fiatq; cataplasma. Hoc linimento hulcera malefica & pestes molliuntur aperiunturq;.

BVLBVS.

# BVLBVS.

BVlbus generale est uocabulum eorum, quæ radices habent capitatas, seu pluribus capitulis compactas, uelut Ceparum, Allij, Porri, Asphodeli, Lilij, aliarumq; quarundam. Speciatim aũt Bulbi pro Ceparum sumuntur generibus.

Dioscorides duo facit Bulborum genera: Alterum esculentum, hodie incognitum prorsus, ueteribus notum adeò, ut descriptionẽ Dioscorides præterierit: alterum uomitorium, qui itidem hodie nõ admodum est notus, quẽ quarto libro Narcissum etiam appellat.

Bulbum tamen Dioscoridis esculentum faciunt hodie, quem uocant **Feld oder Ackerzwibel.** Latinè Cepa syluestris, uel Bulbus syluestris: nihil tamẽ certi in hoc statui potest, cùm uelut notissima ab auctoribus non depingatur. Nascitur autem Bulbus syluestris iam dictus in locis umbrosis, et circa quorundam pratorum margines, caule dodrantali, cauo, foliis porraceis, floribus lilij sinuatim emicantibus, speciosis, sex foliis è calatho stellatim radiatis, ex uiridi in luteum tendentibus, capillo intus croceo, capitulo floribus decidentibus triangulari, seminibus pleno, radice bulbosa, ceu allium, citra odorem glutinosa. 1. *Bulbus esculentus Cepa syluestris.*

B

Bulbum uerò uomitorium Tragus credit esse herbam, quę Germanis **Blae Hornungsblůmen** dicitur. Foliis nascitur binis longis tenuibus, allij ferè similitudine, è radice alba rotunda, bulbosa, nucis myristicæ quantitate, caule inter folia tenui, paruo, iunceo, flore cœruleo, interdũ etiam albo, stellato, quo decidente capitulis rotundis, pisi magnitudine, luteum semen milij quantitate includitur. Dioscorides paucis descriptionem, ut notæ herbæ absoluit. Aliqui hanc herbam inter Narcissos referunt.

## TEMPERAMENTVM, ET VIRES.

Facultatem emolliendi & discutiendi duros tumores obtinet. Tostus calido cinere, & cum melle tritus & admotus depascentibus hulceribus prodest. Venerem Bulbi mirè stimulant. Vnde Mart.

*Cùm sit anus coniunx, cùm sint tibi mortua membra,*
*Nil aliud bulbis quàm satur esse potes.*

Item Columella in hortulo:

*Quæq; uiros acuunt, armantq; puellas,*
*Iam Megaris ueniant genitalia semina bulbi.*

Ouidius hac de causa damnasse potissimùm uidetur, his uersibus:

*Dauntus an Libycis bulbus tibi missus ab oris,*
*An ueniat Megaris, noxius omniscrit.*

Sed cùm quid sit uerus bulbus nobis incognitum sit, superuacuum ui res eius copiosius describere, cùm satis à Dioscoride explicentur. Bulbus uomitorius, teste Dioscoride, uomitiones efficit.

## SCILLA.

Squilla.

Cepa murina.

Pangration.

Scilla pusilla.

SCilla cõmuni omnibus nomine dicitur & Squilla, Germanis **Meerzwibel**. Gal. *Stipoule*. Nascitur undiq; sicut & Allium ac Cepe, radice ut Cepa multipliciter tunicata, corticosaq;, ex qua prius, ut in croco, caulis prosilit, tum ex eo flos in luteo candidus emergens insidet, qui cùm senuerit, folia demum multis diebus pòst emicant, lata, nullo nixa pediculo, ceparum quadam specie, & pleraq; ex ijs in terram deflexa. Cepam eandem murinam uocant, Germa. **Meußzwibel**/ quòd mures eius esu moriantur.

Duo faciunt eius genera: Masculum & fœminam. Masculam folijs albis, fœminam uerò nigris. Dioscorides alteram quoq; ponit speciem, quam Pancration appellat. German. **klein Meuß oder Meerzwibel**: radice bulbi magni, colore rufo purascente ue, gustu amaro, qui os accendat, folijs lilij, uerùm longioribus. Pusillam Scillam uocat Plinius. Vires, Dioscoride teste, & præparationem cum Scilla habet eandem, eodemq; pondere in morbis efficaciter assumitur. Theophrastus autor est, Scillam ter florere, triaq; sationum tempora ostendere: Primum enim florum tempus, arandi primum tempus significare, secundum medium, tertium nouissimum. Quot enim fuerint isti, totidẽ & arari tempora fermè contingit. Scillæ quoq; flos, ut Berytius scribit, uirgata specie prosiliens, modò non celeriter emarcescat, largos frugum prouentus significat.

### TEMPERAMENTVM.

Ex secundo est ordine excalfacientium, facultatem habet maximè incidentem.

### VIRES, INTRINSECVS.

Scilla cruda noxia maximè est corpori, præsertim interaneis, qua de causa non nisi tosta aut cocta, aliáue ratione præparata sumitur. Quomodo coquatur asseturq;, docet Dioscorides.

Nobilissima eius in medicaminibus uis est, aceto maximè exacuẽdo. Vnde acetum Scillite dictum. Cuius hæc præscribitur Confectio:

Scyllæ

A Scyllæ quæ fuerit cādidiſsima, amotis nūuotenus aridis tunicis, quod reliquum eſt conciſum ſuſpenditur in locum apricum, conſutum filo, modicis interuallis, ad quadraginta dierum tempus.

Poſtea arida fruſta in cadum aceti acerrimi merguntur, ita ne ulla pars uas contingant. Oblitus deinde cadus, ne ulli uapores exhalare queāt, Soli exponitur. Poſt diem quadrageſimum ſeptimū uas tollitur ac Scylla eximitur, habesq; acetum acerrimum. Vinum alij ſcyllite conficiunt, conciſas eius partes in muſtum, ut ſimul deferueat, iniicientes. Hoc uino ſicut & aceto utuntur.

Scyllæ medicamina, ut Cōſtantinus in libello de gradibus refert, prō ſunt hydropicis, dyſpnœicis, lienis iecorisq; uitijs ex uiſcoſis humoribus ortis.

Scyllæ tamen uſum fugient febricitantes, quiq; exulcerati intra corpus fuerint: Acetum enim ſiue uinum ſcyllite craſſa phlegmata penetrat, & corrodit, ſedes & urinam ciet, uomitionesq; efficit.

Scylla aſſatur Dioſcoridi hoc pacto: Paſta aut luto oblita conijcitur in clibanum, aut carbonibus obruitur, donec circumlita paſta ſufficienter toſta fuerit. Qua mota, ſi non emolleſcat, ſecunda uice oblinitur pariq; ratione torretur. In olla quoq; torretur, indito operculo, & in clibanum coniecta. Hinc in aëre ſuſpenditur, in taleolos conciſa, & filo tranſmiſſo, ne tamen partes ſe contingant: eſtq; eius ad oleum, acetum, uiB numq; uſus.

Coctionem Scyllæ docet Dioſcorides eiuſmodi: Sumitur ex ea, remotis extimis partibus, quod maximè medium eſt, quod conciſum, effuſa priore aqua, coquitur, nouaq; ſuperinfunditur, uſq; dum nec amaritudinem, nec acrimoniam habeat, aqua. Hinc in umbra, ut dictum eſt paulò antè, ſiccatur. Tritæ aridæ Scyllæ puluis ſemidrachmæ pondere cū melle linctus, prodeſt ueteri dyſpnœæ & tuſsi, uentriculi & lienis affectioni bus. Hydropicis & ictericis. Ad eadem ualet acetum Scyllite. Interaneorum quoq; uermes & ſordes pellit.

In ſumma, acetum, confectiones, aut oxymel ex Scylla, melancholiam pellit. Apoplexiam auertit, calculum frangit educitq;. Matricis quoq; uiſcoſis humoribus, & iſchiadicis prodeſt.

EXTRINSECVS.

Acetum ſcyllite collutione dentes firmat, & fœtentem halitum emendat. Idem auribus infuſum humores lentos, quibus auditus impeditur, diſcutit: Oleum in quo Scylla fuit macerata, uerrucas illitum ſanat: rimas fiſſuraſq; pedum curat. Idem capiti illitum, manantem eius ſcabiem corrigit: furfuresq; pellit, ſerpentum quoq; aliorumq; uenenatorūmorſui utiliter illinitur.

## PORRVM, SEV Porrum capitatum.

Præſon.

PORrum Græcis Praſon, Germa. **Lauch**. Gal. *Porreau*.

Duas habet ſpecies: Capitatum & Sectiuum. De capitato in præſenti capite. Porrum capitatum, quod & ſimpliciter Porrum dicitur, German. **Eſchleuchel**/Eſt hoc quod uulgo eſtur. Naſcitur locis lætis, riguis inimicum, capite ſimplici ex albæ ceruicis anguſtijs extuberãte, fronde ſuper terram carinata, & in angulum oblonga. Radice cartilaginea, candicante, craſſa, multis fibris capillata, tunicis item quibuſdã ueſtita. Aricinum hoc

Porrum Aricinũ.

idem dicitur: Gethyllida quoq; appellari teſtatur Diphilus. Martial. in Xenijs:

*Mittit præcipuos nemoralis Aritia porros,*
*In niueo uirides ſtipite cerne comas.*

Aſsiduam ſarritionem, & ſtercore ſatiari deſiderat.

TEMPERAMENTVM.

Porrum calfacit & extenuat ſicut cepa, ut facultates eius ſatis declarant. Calidum eſt igitur & ſiccum in ſecundo ordine, ſecundum Simeonem Sethi.

VIRES.

Viribus cum cepa eſt ijſdẽ, ſapore tamen et odore infirmius, ac minus capiti noxium: altero proinde in alterius inopia licebit uti. Porrum nõ olebunt qui cuminum prægustarint, hoc enim eſu, ut Sotion Græcus autor teſtatur, grauis odor extinguitur.

Porrum Tarentinum.

## PORRVM SECTIVVM.

PORrum ſectiuum, quod & Tarentinum dicitur, Vt hoc diſticho Martialis oſtendit:

*Fila Tarentini grauiter redolentia porri*
*Edisti quoties? oſcula clauſa dato.*

Odor ſiquidem huius cibum confeſtim prodit. Germ. imitatione Latini nominis, **Bryſlauch**/& **Schnittlauch** uocatur: frondens enim coma, ſuper terrã eminens, aufertur amputatúrue. Caulem habet longum, intus cauum, multis in uertice floribus aceruatim collectis, & in ſpeciem abſoluti orbis conglomeratis, id quod in bimo accidit: quod etiam ſementeſcit, ſparſo per eius cacumẽ ſemine, & emoritur. Radix eadem quæ capitato: ijſdemq; locis naſcitur.

TEMPERAMENTVM.

Temperamentum cum capitato, & cum cepis par obtinet.

VIRES.

VIRES, INTRINSECVS.

In cibis & acetarijs cum aceto est gratissimum. Nimius autem usus capiti est noxius, caliginosos oculos & somnum inquietum efficit. Ventriculo item, uesicæ & renibus officit. Aluum uerò emollit, pulmonis uitia sanat cum melle, pectus purgat & lassos recreat. De hoc Baptista Fiera,

*Tabida cui curæ pulmonis membra, & anhelum*
*Pectus, cum porri torrida cœna uocat*
*Cura mihi est stomachus, placidissima somnia, dentes,*
*Bis licet elixum, non tamen illud edam.*
*Hoc colat ingratè cui fœmina cura colendæ,*
*Quique nec adstrictis renibus esse uelit.*
*Munera non tanti Veneris pensantur, ut aluo*
*Postposita irati tormina uentris amem.*

EXTRINSECVS.

Hulceribus & apostematibus, sicut cepa adhibetur.

## AMPELOPRASON, seu Porrum syluestre.

AMpeloprason, Galeno dicitur Syluestre porrum, Germani ab odore acri uocãt **Hundsknoblauch**/ odorem enim habet acrem, sicut omnibus syluestribus maior inest, quàm satiuis acrimonia. Latinè Allium caninum dici poterit. Caule prosilit bicubitali, foliijs porraceis, sed angustioribus, flore candido, radice bulbosa. Nascit in uinetis, unde Ampeloprason etiam est dictũ, quasi uitigineum porrum. Vulgò Porrum uineale. Galenus à porro non alia ratione dissidere scribit, quàm qua ratione syluestria à satiuis.

*Allium caninum.*

*Porrum uineale.*

TEMPERAMENTVM.

Temperamentum cum Porro satiuo idem habet, sed est acrius ficciusq;.

VIRES, INTRINSECVS.

Tusum cum uino interaneorum animalia pellit, uenenis aduersatur, Vrinam ciet: Eruptiones sanguinis per genitale inhibet, potum impositumq;. Stomacho est nocentius quàm porrum, ob naturam calidiorem.

Salgamarij ceparum modo in aceto condiunt, & usq; in sequentis anni usum recondunt, ut sic innocentius reddatur.

EXTRINSECVS.

Insessu uel fomentis urinã & menses efficaciter ducit.

# ALLIVM.

ALlium Græcis Scorodon quasi σκαιὸν ῥόδον, id est, rudis rosa, ut quibusdam placet, Allium uerò ab Græco ἄλλεσθαι, hoc est, exilire, dictum censent, quòd scilicet exiliendo crescat.

Tria faciunt & sunt Allij genera: Primum hortense, alterum syluestre, quod ophioscorodon. Tertium ex syluestris allij genere, quod Scorodoprason dicitur, de quibus singulis ordine dicetur. Ac primùm de hortẽsi in præsente capite.

Allium hortense, quod simpliciter Allium, & Græcis Scorodon appellatur. Germa. **Knoblauch**. In hortis passim satum & plantatum prouenit, fronde uirens cepitia, caule tereti & inani: flores in cacumine in globum circumaguntur, in quo semen emicat. Radicis bulbus tenuibus uelatur membranis, mox pluribus coagmentatur nucleis, & ijs separatim uestitis, in cuius uertice complures fibræ cirrorum exemplo crispantur, habitu tædioso, & sapore aspero. Vescentibus odoris & halitus fœditatem adfert. Didymus autor est, si allium Luna sub terra posita seratur, & idem sub terris Luna latente uellatur, odoris fœditate cariturum. Halitus quoq; tædium edentibus aboleri fertur, si crudam fabam post allij esum manducarint. Betæ radicem in prunis tostam fœditatem odoris allij amoliri, si allio sumpto edatur, Menander affirmat. Apium alij uiride, & folia rutæ recentia idem præstare dicunt.

Nec hoc tacendum, tantam allij cum magnete esse discordiam seu antipathiam, ut ferrum à se abigat, si fricetur lapis allio. Cuius rei causæ, sicut in multis similibus, naturæ mysterijs sunt relinquendæ.

## TEMPERAMENTVM.

Allium calfacit & exiccat in excessu quarto.

## VIRES, INTRINSECVS.

Quomodo fœtor Allij corrigatur, in descriptione est explicatum.

Sumptum Allium omnibus uenenis aduersatur: utile messoribus aliijsq;, qui molles putridasq; sæpe aquas in æstatis feruore bibunt. Noxios latosq; uentris uermes, aliaq; intra corpus uenena, uelut hirudines potas, ui sua expellit, ut Galenus testatur. Sumptum Allium, ac uino mox poto, rabidi canis serpentumq; morsui medetur, Allio simul uulneri illito. Vocem sonoram efficit, diuturnæ tussi est auxilio, & hydropicis: urinam ciet, laxat, tormina sedat, pediculos perimit, lendes capitis purgat, si cum hyssopo bibatur. Nonnulli Allio pulmenti modo cocto assaturas feruecum farciunt. Serpentem per os hominis dormientis illapsum, non facilè nisi assiduo Allij esu expelli, scribit Erasmus: Vnde etiam ollæ uel uasa Allio circumlita, à serpentibus aliijsq; uenenatis sunt secura.

## EXTRINSECVS.

Succus Allij scabritiem cutis, quæ lepræ est similis, illitus emendat. In cineres

cineres ustum Allium, cum melle, idem præstat efficacius, cutisq; uitia & maculas corrigit: alopecijs item medetur. Suffitus Allij uel foliorum eius, menses adiuuat: Pecorum morbis maximè conducit.

In pabulo etiam pecori datum, teste Columella lib. 6. cap. 4 est saluberrimum.

## OPHIOSCORODON.

OPhioscorodon, Latinis Allium colubrinum, seu anguinum, quod etiam ursinum, à foliorum magnitudine cognominant. Ger. **Ramseren/Rampen/Germsel/Waldknoblauch.** Allium est syluestre sponte in nemoribus nascens, foliijs, ut Lilium conuallium, latis, odore molli, floribus in summo cãdidis, capite prætenui. Inuisum hoc est pastoribus, lac enim allij odorem acquirit, si eo iumenta uescantur. *Allium colubrinũ. anguinũ. ursinum.*

TEMPERAMENTVM, ET VIRES.

Temperamentum nec non uires allij colubrini cum allio sunt pares: nisi quòd odor Ophioscorodo est uehementior.

B

## SCORODOPRASON.

SCorodoprason, quasi dicas Alliporum, & gustu enim & odore Allij & Porri naturam refert. Officinis Allium porrinum. Ger. **Feldknoblauch/Wilder Knoblauch/Ackerknoblauch.** Est syluestris Allij genus. In pratis & campestribus hortisq; etiam nonnunquam satum nascitur, magnitudine porrum æquans, qualitatum Allij & Porri, teste Dioscor. particeps. Siquidem mediã inter Allium & Porrum figuram & temperamentum obtinet. Differentia eius à reliquis in foliijs & semine obseruatur. Foliijs enim & caule latioribus est plenioribusq;. Semen autem ceparum more fert in caule concauo nigrum. Pharmacopolæ non exiguo errore Scorodoprasopro Scordio, similitudine nominis decepti, sunt usi, & adhuc ferè utuntur. Sed quæ herba sit Scordion, & quòd non sit syluestre Allium, sequenti ostendemus capite.

*Allũ porrinum.*

TEMPERAMENTVM, ET VIRES.

Scorodoprason, teste Dioscoride, qualitatum Allij & Porri est parti-

ceps, promiſcuas ex utroq; ſibi uires uendicans: effectus Allij & Porri præbens, ſed inefficatius. Coctum, porri modo dulceſcit, & oleribus admiſcetur.

## SCORDIVM.

*Trixago paluſtris.*

*Dyſomon*

SCordium Officinis falſò Scorodõ ſylueſtre, ob nominis ſimilitudinem eſt appellatum, cũ Scordium & Scorodon admodum ſint diuerſæ herbæ, ut deſcriptiones utrarumq; ſatis oſtendunt. Hactenus autem Scordium Officinis fuit incognitum, iam paſsim notum, hoc ipſum Valerio Cordo in Germania primùm, ut ipſe de ſe teſtatur, demonſtrante: cùm maximo antea precio ab Italis ſit emptum. Scordium uerò appellatum eſt, quòd Scorodi, hoc eſt, Allij odorem referat. Latini Trixaginem uocant paluſtrem, quòd Trixagini ſeu Chamædryi quadantenus ſit ſimilis, ad cuius differentiam paluſtris eſt dicta, quòd nimirum paluſtribus ſeu humentibus naſcatur locis. Dyſomon etiam, hoc eſt, graueolens, à graui allij odore eſt dictum. Germ. eadem ratione, qua Græci & Latini **Lachenknoblauch**/ & **Waſſerbatenig** nominant. Chamædryi naſcitur ſimilis, locis paluſtribus, odore allij, foliis tamen Chamædry maioribus, minusq; in ambitu diuiſis, guſtu adſtringentibus & amaris: caule quadrangulo, flore ſubrufo, qui uno tãtùm die uidetur durare Iunio uel Iulio menſe. Hæc Dioſcoridis deliniatio nulla reclamãte nota cum Trixagine paluſtri noſtra conuenit. Ac prorſus eadem eſt noſtri cum eo quod in Creta, Italia & Gallia naſcitur Scordio figura.

### TEMPERAMENTVM.

Qualitas Scordio, ut guſtus & facultates eius demonſtrant, eſt calida. Theriacis etiam admiſcetur, eò quòd corpus commodiſsimè purgat. Pro quo tamen Officinæ hactenus Allium ſylueſtre admiſcuerunt.

### VIRES, INTRINSECVS.

Scordium uenena ſerpẽtum expellit, omnia interna membra purgat, urinam menſesq; ciet, omnibusq; intra corpus malis ex frigida obſtructione natis medetur. In uino coctum & potum, quæ intra corpus contuſa fracta luxatáue ſunt, ſanat. Cum Naſturtio ſumptum aduerſus tuſſim pollet. Contra pectoris exulcerationem & pus, tritum in puluerem ex melle lingitur. Expreſſus Scordij ſuccus ad omnia eſt efficacior.

### EXTRINSECVS.

Viridis herba impoſita, putrida & impura damna, hulceraq;, abſq; cicatricibus

A catricibus potenter sanat. Estq; ad uarios affectus tam intra, quàm extra corpus, & uiridis & arida herba utilis.

## NARCISSVS.

NArcissus paucis hodie cognita herba. Germa. **Narcissen röβlin.**

Duum præcipuè inuenitur generum: Candidus & luteus. Candidum describit Dioscorides, eumq; duplicem ex interna floris forma facit, ut ex descriptione est uidere. Porro folia habet similia, tenuia, multò minora, & angustiora, caulem uacuum & sine foliis, dodrante altiorem: florē album, intus croceum, in quibusdā uerò purpureum. Radix rotunda, bulbosa, intus alba. Semē, uelut in tunica, nigrum, longum. Florem fert mēsis Maij initio. Hæc descriptio adeò herbæ huic quam pictam, ab Hieronymo antè Trago ostensam, damus, respondet, ut nihil prorsus, quod diuersum sit, inueniri possit. Radicem siquidem habet bulbosam, ex qua rotundi, & cauí, & leues caules enascuntur, foliis Allij, oblongis, rosa candida, senis foliis, in cuius medio terni lutei conspiciuntur apices. Semen, decidente flore, in folliculis, uelut Lilium aquaticum profert. Candida hæc Narcissi species Leucoio Theophrasti respōdet, pro quo à plerisq; sumitur, ut capite de Leucoijs est dictum.

B

Alteram præterea Narcissi faciunt speciem, luteam. German. **Geel Hornungs blūmen/oder Merzenblūmen** Latinis Narcissus luteus. Foliis hic nasci tur Allij, sed minoribus & tenerioribus, radice itidem Allij, minore tamen, copiosa, adeò ut tricenas coniunctas sit inuenire, uelut in Porro satiuo. Mense prodit Februario, unde etiam nomenclaturam accepit, flore, sicut Leucoium Theophrasti, seu candidum, luteo, rotundo, sed maiore, duplicíq; foliorum contextu, inodoro. Mense Maio absq; semine folia & flores euanescunt.

Alij quoq; Narcissi faciunt speciem Bulbum, quem descripsimus Vomitorium, Germ. **Blae Hornungs blūmen**/de quo suprà.

TEMPE-

Narciſſus, Galeno teſte, complexionis eſt calidæ & ſiccæ. Vis ei glutinandi.

VIRES, INTRINSECVS.

Narciſsi exiguus intra corpus, niſi ad uomitiones ciendas, eſt uſus. Radix enim cocta aut in potum ſumpta, uomitum facit.

EXTRINSECVS.

Radix cum foliis trita & illita, tumores mammarum in puerperis ſedat: eadem ratione aduſtionibus medetur. Virides cum ſucco tuſi narciſsi, uulnera & neruos etiam diſſectos glutinant ſanantq;. Cum melle luxatis illinitur: membrorum doloribus & podagræ eſt auxilio. Eodem modo inflammationes reſtinguit: maculas, papulas, omniaq; cutis uitia corrigit, cum aceto & urticæ ſemine trita. Tubercula, hulcera, duritiesq; cum uiciæ aut fabarum farina mollit. Aculeos aliaq; corpori infixa, pari ratione extrahit.

## COLCHICVM.

Ephemeron.

Bulbus agreſtis. Canineca. Hermodactylus.

COlchicum à Colchide regione, in qua copioſiſsimè prouenit, dictum eſt. Aliàs Ephemeron, ſiue Ephemeron letale, quòd quo die ſumptum fuerit hominem interficiat. Letale autem, ad differentiam alterius, quod Ephemerum non letale dicitur, & Iris ſyluestris, hodie nobis incognitum, ut ſuprà in Cacalia eſt dictum. Latini Bulbum agreſtem uocant. Galliæ rura Canineam, quòd canes necet. Officinis Hermodactylus. Verùm magno damno & incommodo utentium. Hermodactylus enim & Ephemerum ſeu Colchicum diuerſa eſſe conſtat: cùm & Paulus Aegineta diuerſa de Colchico ſeu Ephemero, & Hermodactylo capita conſtituerit. Præterea ex Hermodactylo catapotia ad podagras maximè commendãtur, aluiq; deiectionẽ, præſertim in articularijs morbis molitur. Quinq; folium quoq; Dioſcorides Hermodactylon eſſe dicit, & coxendicis quoq; doloribus prodeſſe. Colchici uerò, ſeu Ephemeri letalis uſus adeò eſt noxius, ut ſumptum intra diem hominem perimat: exterius pruritum ciens, interius uerò uellicans, cum graui ſtomachi exæſtuatione, mixtũ cruorem ſtrigmentis in aluum depellens. German. **Wiſenzeitloſen/Vchtblümen.** Flores ſub exitum autumni fundit croceo ſimiles, ſubcandidos. Poſt florem uerò, menſe nimirum Februario, & ſub initium ueris, folia fert bulbo ſimilia, pinguiora: caulem palmum altum, ferentem ſemen ruffum; radicis cortex in nigro

A gro colore ruffescit, cortice uerò detracto radix alba, tenera, succo plena & dulcis apparet. E medio bulbo rimula dehiscit, unde flos erũpit. Nonnulli etiam **Nackethüren** appellant, quoniam flos nudus absq; foliis sub autumni finem erumpit. Sunt qui existiment Narcissum esse, cuius meminit Theophrastus, & Vergilius, cùm ait: Nec sera comantem Narcissum: serò enim hic flos prodit. Quos hac ratione defendit Tragus, ut solus flos ad Narcissum referatur: radix uerò seu bulbus relinquatur esse Colchicon, seu Ephemerum letale. *Narcissus Theophrasti et Vergilij.*

## TEMPERAMENTVM.

Colchicum calidum & siccum in secundo constituunt ordine, seu recessu à medio.

## VIRES, INTRINSECVS.

Radix Colchici, teste Dioscoride, intra corpus sumpta, fungorũ modo strangulando enecat. Maximè itaq; cauendum est ne catapotijs contra articularem morbum admisceatur, ut in descriptione etiam est indicatum: cùm magno errore Officinæ Colchicum Hermodactyli uocent nomine, cuius ad Catapotia contra podagram est usus. Contra sumptũ uerò Colchicum prosunt eadem, quæcunq; aduersus fungos opem ferunt. Bubulum præsertim lac potum, ut quoties hoc affuerit, nullũ præterea sit aliud quærendum. Plura docet remedia Paulus.

B

## EXTRINSECVS.

Trita & illita radix maximos dolores mitigat. Tela & aculeos, aliaq; corpori infixa cum melle & furfuribus hordei illita, breui extrahit.

Cum Fabarum uel Viciæ farina & melle illita, duri ties & tumores contumaces mollit: luxata restituit: cũ aceto & semine urticæ cutis uitia emendat.

# CROCVS.

ET Crocus ex Bulborum est genere. Commune Græcis, Latinis & Officinis nomen habet. A Croco, secundum fabulas, iuuene, qui ex amore Smilacis uirginis in nominis sui florem est conuersus, sic dictus. Vnde Ouidius lib. 4. Metamorph.

*Et Crocum in paruos uersum cum Smilace flores.*

Arabes Sahaffran, sicut & Germani **Saffran** appellant.

Plura sunt eius genera & nomina à natali solo: Viennensis à Viennẽsi agro, ubi optimus hodie nascitur. Coryceus, à Coryco Ciliciæ oppido, ubi plurimus et optimus quoq; prouenit.

Cyrenaicus

Cyrenaicus à Cyrene. Olim Lycia, Sicilia, Cilicia, & Italia croco celebrabantur tantùm, hodie uerò in Germania copiosè etiam prouenit, in Viennensi maximè agro. Porrò croci appellatione non tantùm tota cũ radice herba intelligitur, uerùm ipsa etiam floris tantùm stamina, per excellentiam, simpliciter Crocus appellantur. Florem primum in autumno fert purpureum, Colchici floribus non dissimilem, in quo flammea Croci stamina, quæ non ultra mensis spacium durant: quæ cùm decidũt & colligũtur folia prodeunt oblonga & angusta, ad capillamenti penè exilitatem, quæ tota uirent hyeme: radix bulbosa, copiosaq;, & uiuax. Præstantissimum & utilissimum in Medicina tradit Dioscorides recentem, coloris boni, paulum candidi gerentem, in capreolo, oblongum, omnibus suis partibus constantem, non fragilem, plenum, à quo detractũ est nihil, qui madefactus manus inficit, nec situm redolet, aut cariem sentit, subacrem. Quod si huius generis non sit, aut uetus, aut humore perfusus creditur. Et hoc miraculo naturæ asscribendum est, quòd Croci radix seu Bulbus extra terram repositus, nihilominus iusto floris appetente tempore floret. Sed postea, uelut alimento priuatus marcescit. Crocũ cum melle aut dulci alia re tritum nullũ colorem inducere, autor est Plinius.

TEMPERAMENTVM.

Facultas ei calida est in secundo, & sicca in primo ordine. D

VIRES, INTRINSECVS.

Crocus cor confortat, sanguinem purgat, uenena à corde depellit.

*Pestis remedium.*

Contra internam pestem nonnulli in oui occlusa testa Crocum torrent, ac Theriaca & Sinapi, alijsq; speciebus admixtis electuarium, quo uenenum per sudores expellatur, conficiunt. In cibo uel potu sumptus Crocus urinam & menses ciet. Ictericis etiam medetur: præsertim uerò si cum uino dulci aut Maluatico bibatur. Debili & exulcerato uentriculo, pectori, iecori, pulmoni, renibus, & uesicæ in cibo prodest.

Duarum triũmue drachmarum põdere sumptus, est letalis, teste Dioscoride: quod bulbo croci aliqui etiam attribuunt.

EXTRINSECVS.

Membra paralytica & durities neruorum mollit: qua de causa Oxycroceum dictum cataplasma ad hos effectus utilissimum conficitur.

Collyrijs oculorum cum lacte muliebri utiliter miscetur.

## HYACINTHVS.

*Vacciniũ. Vacciniũ quid, & aliorum de Vaccinio sententiæ.*

HYacinthus Latinis Vaccinium. Officinis incognitus. Ger. **Merꝛblũmen/blaw Merꝛblũmen.** Porrò Vaccinia sunt qui credant esse Mora uaticana seu Mora bati, Germa. **Bromberen**/ per literarum commutationem. Alij fructus putant esse syluestres, quos Myrtillos uocant. Germa. **Heydelbeern.** Rursus nonnulli faciunt Thalictron seu Consolidam regalem, Germa. **Ritterspoꝛn.** Sed lõgè illos aberrare, qui uel

B

uel Mora bati, uel Myrtillos pro Vaccinio ſumunt, uel hoc ſolummodò argumento conſtat, quòd Vergilius eò loci, cùm ait: Alba liguſtra cadunt, Vaccinia nigra leguntur: non fructus, ſed florum mentionem facit. Verior autem eſt eorum opinio, qui Vaccinium faciunt hodie Conſolidam regalem, ob floſculum, quem habet, purpureum. At nos Vaccinium reuera eſſe Hyacinthum, de quo iam agemus, ſummorum teſtimonio & autoritate, certiſq; rationibus firmati ſtatuimus. Nec, quod tamẽ leue eſt, obſtat, quòd Vergilius Vaccinia nigra uocat: & uiolas, cùm ſint purpureæ, ſimiliter nigras uocat, inquiens: Et nigræ uiolæ ſunt, & Vaccinia nigra.

Duplicem autem faciunt Hyacinthum: album & cœruleum. Albus dicitur reſpectu cœrulei, non quòd prorſus ſit albus, ſed quòd ad cœruleum collatus palleſcere uideatur. Germa. fœminam appellant. Alij tamen probabili ſententia, eundem uolunt eſſe Hyacinthum album, & cœruleum, ætati pallidiorem formam adſcribentes: ſiquidem cùm adoleſcunt palleſcere incipiunt. Quorum placet ſententiæ ſubſcribere. Cœruleus itaq; Hyacinthus, quem & marem uocant, triplex inuenitur ex flo rum differentia: maximus, maior & minor. Naſcitur in nemoribus, mẽ ſe Martio & Februario erumpens, unde Germanicam etiam appellationem ſumpſit. Folia bulbo ſimilia, ut deſcribit Dioſcor. habens, caulem dodrantalem, leuem, minimo digito tenuiorem, uiridem, comam habet

adiacentem incuruam, plenam florum purpureorum, radicem bulbo- C
sam. In floribus uerò differunt: In minore enim flores sunt maiores &
patentiores, ut figura idipsum commonstrat: In maiore uerò minores
& quasi orbiculati sunt. Florem fert in Martio, quo tempore & uiola.
Verùm quod ad flores Hyacinthi attinet, quos poëtæ scribunt inscri-
ptos esse literis, seu uoce αἰ αἰ. Ouid. enim 13. Metamorph. ait:

*Ipse suos gemitus foliis inscribit, & αἰ αἰ*
*Flos habet inscriptum, funestaq; littera ducta est.*

Et paulò pòst:

*Littera communis mèdijs pueroq; uiroq;.*
*Inscripta est foliis, hæc nominis, illa querelæ.*

Præterea Theocritus Idyll. 19.

*Nunc Hyacinthe sonet tua littera, scilicet αι αι*
*Non tamen hoc satis est αι αι, plus ergo loquatur,*
*Litterulas q; uelis foliis inscribere plures.*

Hæc nostro Hyacintho non conuenire haud negamus. Sed Hyacinthum cuius Poëtę meminerunt, ab hoc diuersum facimus. Flos enim ille quem ex Aiace fabulantur extincto natum poëtæ, ex candido rubens, literis Hyacintho similis uidetur, ut testis est Pausanias, ob quod eundem Hyacinthum poëtæ nominarunt rubentem, Velut Verg. cùm inquit: Et suauè rubens Hyacinthus.

*Hyacinthus duplex.*

*1. Cæruleus.*

*2. Purpureus seu rubens.*

Vnde constat duplicem esse Hyacinthum: alterum cœruleum, quem D
Dioscorides & alij describunt: alterum uerò purpureum, seu rubentem
à similitudine alterius sic dictum, cuius meminerunt poëtæ. De quo
Verg. Dic quibus, inquiens, in terris inscripti regum nascantur nomina
flores. Hyacinthum intelligens rubentem, in quo regis Aiacis primæ lite
ræ, uidelicet αι, efformantur. Hieronymus Tragus hunc putat esse flo-
rem, quem Germa. **Goldtwurtz** & **Heydnisch lilien** appellant, ut de
Hemerocalli dicetur. Sic de Vaccinijs & Hyacintho controuersiam sa-
tis esse sublatam puto.

## TEMPERAMENTVM.

Radix Hyacinthi exiccat in primo ordine, refrigerat autem in secun-
do completo, uel tertio incipiente.

## VIRES. INTRINSECVS.

Radix sumpta, ut scribit Dioscorides, urinam ciet: Phalangiorum
quoq; morsibus auxiliatur.

Semen cum uino potum ictericum morbum pellit.

## EXTRINSECVS.

Cum albo uino trita radix & illita, pubertatem, referente Dioscor.
& Plinio, coërcet, nec patitur erumpere.

ARVM.

# ARVM.

ARum & Arisarum eodem cõmuni nomine. Foliis in Martio statim nascitur Dracunculi, sed lõgioribus & pauciorib⁹, minusq; distinctis maculis: caule dodrãtali subpurpureo, pistilli specie, è quo croceum semen exit: radice Dracunculi, alba, quæ quia minoris est acrimoniæ, decocta comeditur. Antequam semen emittat, erumpit inuolucrum & cucullum, quod mucronata in turbinem uaginula pistillum complectitur, & suo fouet sinu. Mense uerò Iulio & Augusto, ubi fructu prægnans fuerit, fathiscit in hiatum, ac solida pistilli facies dilutiore purpura rutilans emergit, & anfractu penitus tandem patente, primùm uiridia, dein crocea penitus spectantur semina, quæ in coronæ modum concinnè contexta, imam eius partem ambiũt. Nascitur in syluis, locis umbrosis, humidis & frigidis. *Arisarum.*

Dracunculus aliàs minor, & Serpentaria minor, Cordo teste, quibus forma & facultate per omnia conuenit: Pes item uituli, à foliorum figura appellatur. Vulgò, ob pistilli formam, Sacerdotis uirile. Germ. **Pfaffenpint/Aron/Teutscher Imber**/ob uehementem acrimoniam. *Dracunculus minor. Serpentaria minor. Pes uituli. Sacerdotis uirile.*

Duas prætrea Ari species Tragus ponit: alteram inuolucro & floribus flauis, quam in uineis Rheni copiosam deprehenderit, foliis & radice priori similem.

Alteram foliis maculosis, instar satyrionis, quòd rarò florem producat. Viribus cum prioribus ijsdem. Radix omnium, dum adhuc est tenera, lac emittit.

## TEMPERAMENTVM.

Diuersa Ari, pro regionis natura, est acrimonia. Cyrenis enim minimam, Galeno de alimentorum facultatibus teste, acrimoniam obtinet: unde elixa in cibis manditur. In Aegypto uerò radice naturæ mollioris nascitur, quæ etiam cruda, ut scribit Plinius, comeditur. In nostra uerò Germania acrimoniam habet summam, ut uix gustari, ob miras & diutinas quas in lingua excitat punctũras, possit. Itaq; quod minoris est acrimoniæ, calidum est & siccum, secundum Galenum, in gradu primo. Nostrum uerò calfacit & exiccat in tertio. Discutit, extenuat & extergit.

## VIRES, INTRINSECVS.

Dioscorides easdem illi cum Dracunculo uires assignat, Vnde Dracontium minorem non malè appellabimus.

Radix tusa, in medicamentis, drachmæ unius pondere sumpta, præ- C
sentissimum contra uenena est antidotum. Aliqui theriacam æquali pō-
dere addunt. Succus foliorum expressus cochlearis quantitate potus, idē
præstat, aceto mixto & addito, ne linguam erodat. Puluis Ari cum sac-
chari duabus drachmis dyspnœicis summoperè confert: lentum enim
& uiscosum phlegma discutit, excreationes multas facit: pulmonem &
pectus purgat. Tusi maximè est utilis. Vētriculum, uiscosum phlegma,
& melancholiam expurgat. Ad menses trahendos seminis uel radicis
drachmæ duæ, in uini cyathis duobus sufficiunt. Eadem potio mulieri-
bus, quæ à partu non purgantur, prodest, & secundas trahit. Animanti-
bus radix ad eadē est utilis. Pares facultates aqua stillatitia & succus ob-
tinent. Trium uel quatuor drachmarum pondere pota, rupta sanat.

EXTRINSECVS.

Folia uiridia, si ullum aliud, ad hulcera pestilentia sananda sunt effica
cissima: similiter pedum uitijs & putredini. Succus & stillatitius liquor
hulcera putrida purgant, & sanant. Folia cum radice in uino & oleo co-
cta mariscas insessu tollunt, & sedem procidentem retrahunt.

Caseis à mulierculis folia contra uermiculos insternuntur.

Tumoribus aurium, strumis, ficubus cirrhisq; medetur: faciei defor-
mitatem, cutisq; emendat. Puluis radicis supercrescentem in uulneribus D
carnem minuit.



Dracunculus maior. Serpentaria maior Colubrina

Alterum, quod idem esse cum Arode scriptio satis ostēdit & uires, quę utriusq;
pares tribuūtur, nomas sistit, collyriaq;
efficacissima contra fistulas ex eo fiunt.

Deniq; addit Dioscorides, radicem,
cuiuscunq; animalis pudendo impositā,
id corrumpere.

## DRACONTIVM.

DRacontion magnum, seu Dracun culus maior, nōnullis Serpentaria maior, & Colubrina. Officinis hæc est incognita. Sed Officinæ peculiarem habent Serpentariam, de qua suprà pro-prio capite est dictum. Germa. **Schlangenkraut/Drachenwurtz.**

Nominis id accepit, & à caulis uersi-colore forma, & à uertice qui sinuo-so oris hiatu, linguam exerens cruen-tam exprimit. Plinius uerò *lib. 25. cap. 2.* nominis id impositum est autor, quòd

A quòd ad primas serpentium uernationes è terra prodeat, & cum ijsdem se recondat, nec omnino ea occultata serpens appareat.

Dioscorides quidem duo exhibet Dracunculi genera foliis differentia: Alterum hederaceis, alterum uerò rumicis. Sed Ruellius unum tantùm censet esse Dracunculum, duplici repræsentatum historia, alterumq; caput adscitium esse, ac præter Dioscoridem ab aliquo adiectum. Nascitur itaq; Dracontion maius locis opacis, uelut in sepibus, caule glabro, leuiq;, recto, bicubitali, baculi crassitudine, uersicolore, ut anguí uideatur similis, purpureis abundante maculis: foliis rumicis inflexis, & plicatis, è foliato scapi fastigio uagina quædam foris herbacea prosilit, in mucronem sensim turbinata, uelut erupturi partus inuolucrum, quæ cũ dehiscens sese pandit, purpureum cornu in acumen fastigiatum demonstrat. Ea seminis incremento distenta dissilit in rimam, & tandem elanguescens flauescit, subarescensq; perit relicto cornu, cuius imam partem fructus subit racemosus, coloris inter initia cinerei, posteaquàm maturuit crocei & punicei. Radicem grandem, rotundam, candidam, tenui cortice uestitam. Semen iam maturum quodammodo nigrescens, carpitur. Radix uerò in Iulio aut Augusti initio foditur. Isaron etiam Dioscoridi appellatur. Bistortam plerique uoluerunt hanc esse, sed magno etiã errore. Nam Bistorta naturæ est frigidæ, hæc uerò uehementer est calida. *Isaron.*

B

### TEMPERAMENTVM.

Facultas Dracontio adscribitur calida & sicca.

### VIRES, INTRINSECVS.

Easdem ferè cum Aro uires habet, Venena eodem modo quo Arum sumpta, à corde pellit, pectus purgat, collectiones discutit, internisq; mẽborum uitijs prodest: Languidos confortat.

### EXTRINSECVS.

Ex Dracontij radice & foliis præstantissima olea, unguenta & cataplasmata ad omnia mala damna, fistulas, carcinomata, & exedentia hulcera conficiuntur. Folia cum melle illita faciei maculas extergunt. Succus aurium dolores infusus sedat.

Folia interposita morsibus uenenatorum animantium, uenena educunt & sanant. Plures cum Aro facultates possidet.

## ORCHIS.

TEsticulorum species etsi possent uno absolui capite: sicut etiã Theophrastus omnes Orchios nomine comprehendit, melioris tamen & lucidioris cognitionis gratia in tres species, ac terna ordine capita distinguemus. Primum autem genus est, quod Orchin, hoc est, Testiculum & Cynosorchin, hoc est, Testiculum caninum Dioscoridi uocat, de quo in prę sente capite. *Testiculorũ genera*

Alterum genus est, quod Orchin Serapiada, & Triorchin uocat, de quo capite sequente.

Tertium testiculaceum genus est Satyrion, de quo capite ab hinc tertio. Germa. omnes Testiculi species **Mergenträhern** appellant, quòd folia quorundam maculis sint compuncta.

*Orchis. Cynosorchis. Testiculus canis.*

Primum igitur genus, quòd Græci & Latini Orchin & Cynosorchin appellant, Officinæ Testiculum canis, Germa. **Knabenkraut**/ Duas habet species: Marem & fœminam, & utrunq; duplicem: maiorem & minorem, eruntq; sic quatuor Orchios seu Cynosorchios species, nimirũ Orchis mas maior, & Orchis mas minor. Orchis fœmina maior, & Orchis fœmina minor.

Nascitur hodie in hortis & pratis, locisq; passim sabulosis: Dioscoridi uerò in petrosis & arenosis: foliis circa caulem & imam eius partẽ per terram stratis, oleæ molli similibus, angustioribus tamen, leuioribus & longioribus: Caulem habet dodrantalem, in quo flores purpurei. Radix bulbo similis, oblonga, duplex, in oliuę modum angusta, altera superior, altera inferior, testiculorum forma, unde nomen etiam accepit. Orchis uerò mas maior, est foliis latioribus, & floribus ferè candicantibus: Minor autẽ Orchis mas folia habet angustiora, & maculosa magis, floremq; purpureum. Fœmina foliis est quàm mas minoribus, estq; eadem ex foliorum magnitudine similiter duplex: ut pictura hæc affabrè demõstrat: flos utriq; fœminæ purpureus. Inueniuntur maximè Maio mense, & Iunij initio.

TEMPE-

TEMPERAMENTVM.

Radix maior est calida & humida, dulcisq;: Minor uerò est calida sic-caq;.

VIRES, INTRINSECVS.

Vires omnibus testiculi generibus eædem assignantur. Ad Venerem radix pronos facit, in cibo uel eclegmate sumpta.

Maiorem radicem seu radicis Testiculum alterum, qui maior est, si edant uiri, masculos generare: minorem uerò si fœminæ, fœminas, autor est Dioscorides.

Arida radix Venerem inhibere atq; dissipare fertur: Contrà uerò uiridis cum caprino lacte pota, ad Venerem incitare.

Galenus minorem Orchin Venerem omnino cohibere & reprimere tradit, Maiorem uerò excitare in potu sumptum.

EXTRINSECVS.

In uino decocta radix, & cum melle mixta, hulceribus oris maximo est remedio.

Eadem cum polẽta illita, uel per se trita, tumores & uitia partium earum erumpentia sedat.

## ORCHIS SERAPIAS, seu Triorchis.

SEcundum, ut diximus, testiculorum genus est Orchis Serapias, sic dictũ, ut refert Dioscor. ab Andrea Medico, ob multos radicis usus. Alij ab Serapi Alexandrinorum Deo, qui insigni lasciuia celebratur, dictum putãt. Aliàs Triorchis, à trium Testiculorum forma, quibus radix est cõpacta. Germa. **Ragwurtz.** *Triorchis*

Huius duæ deprehenduntur species, solo flore discrimen faciẽte, qui in altero est purpureus, & subcandidus, quem marem uocant: in altero uaricolor, quem fœminam. *Triorchis mas.*

In pratis nascitur & campestribus, foliis porro similibus, oblongis, lactioribus & pinguioribus, in alarum cauis inflexis, cauliculo dodrantali. Florem mas habet purpureum: fœmina uerò flores diuersis coloribus distinctos profert, purpureo nimirum, candido, uiridi ac nigricante: inferioreq; parte fuci effigiem exhibent: radix tribus testiculis est compacta, quorum tertius reliquis est superior minorq;. Eodem quo Orchis inuenitur tempore.

TEMPERAMENTVM.

Triorchis in secundi ordinis initio fertur exiccare.

VIRES.

Vires cum Cynosorche easdem, Dioscoride teste, obtinet, ad Venerẽ tamen, ut Galenus tradit, non similiter est accommodus.

Illita radix tumores discutit, & ulcera expurgat, herpetas cohibet, fistulas sanat, inflammationes compescit.

Siccatus exiccat uehementius, nomas compescens, hulceraq; putrescentia contumaciaq;, & maligna oris, sanans. Eadem cum uino pota, aluum sistit.

## SATYRION.

SEquitur tertium Testiculorum genus, quod Satyrion uocant, à Satyris nimirum.

Huius duo sunt genera: Alterum quod Satyrion trifolium uocant, Germa. **Stendelwurtz**: Alterum quod Satyrium basilicum. German. **Creutzblümen.**

Satyrion

B

Satyrion trifolium, Vulgò Testiculus uulpis, & Testiculus Sacerdotis appellatur: Trifolium uerò à tribus est foliis cognominatum, quæ ad terram uersa habet. Germa. **Stendelwurtz.** Nascitur locis maximè montosis & apricis, foliis rumici aut lilio similibus, minoribus tamen & rubentibus. Caule nudo, longo, cubitali: flore lilij, albo: radice bulbi similitudine, mali modo extuberante, foris rufa, intus oui modo alba, gustu dulci & ori grato. Iunio maximè mense inuenitur.

*Satyrion trifolium.*
*Testiculus uulpis.*
*Testiculus Sacerdotis.*

Satyrium

*Satyrium basilicum. Satyrium regium. Palma Christi. Bucheidē. Digiti citrini. Satyrium basilicum mas.*

Satyrium basilicum, Latinis Satyrium regium, C
Officinis Palma Christi, ob similitudinem radicis cum manu humana, Arabibus Bucheiden, Auicennæ Digiti citrini. Germa. uerò **Creutzblůmen** appellatur.

Hocq; duas rursus habet species: Marē & fœminam. Satyrium basilicum mas folia habet Cynosorcho similia, florem purpureum, radicem flauescentem citra albedinē, manus instar ramosum: modò enim sex, modò quatuor, modò quinq; plurésue radices ad humanorum digitorum effigiem prodeunt.

*Satyrion basilicum fœmina.*

Satyrion basilicum fœmina, German. **Creutzblům weible**/foliis est paulò latioribus, maculosisq;, floribus in purpureo albescentibus, radice cū albedine flauescente, ad digitorum manus humanę formam. Nascitur locis ńsdem, quibus Satyriō trifolium. Mas Iunio potissimùm, fœmina uerò Maio conspicitur.

TEMPERAMENTVM.

Satyrion trifolium calidum statuunt & humidum, gustu dulce. Satyrium uerò Basilicum, calidum & siccum in secundo ordine. D

VIRES, INTRINSECVS.

Satyrion trifolium ad Venerem incitandi uim habet.

Radix seu Testiculus maior, qui et inferior, mares gignit, minor uerò & superior fœminas. Plinio referente. In uino nigro austero potum, opisthotonum iuuat, Dioscoride & Galeno consentientibus.

Satyrij basilici semen ex uino sumptum, nouem diebus comitiales sanat. In eundem effectum uinum diluitur herbæ decocto.

Radicis scobs in uino, ad arcēdam quartanam datur, quam uomitione curat, paulò ante accessionem pota.

EXTRINSECVS.

Radix gestata fertur amuletum esse. Ad erugandam cutem, neruorū dolores, & noxia medicamenta prodest.

## HEMEROCALLIS.

HEmerocallis, siue Lilium syluestre. Germa. **Goldtwurtz/Goldtpoln/Heydnisch blůmen/Juncker lilien.** Officinæ Asphodelon uocant, sed falsò. Asphodeli enim radix, Pæoniæ radici est similis, multis uelut glandulis cohærentibus, Hemerocallis uerò radicem habet lilio similem. Maximè itaq; errant qui syluestre hoc Lilium seu Hemerocallin pro

pro Asphodelo sumunt. Nascitur folio & caule Lilij, porraceo colore: flores in caule per exortus singulos terni aut quaterni erumpunt, lilij scissura dehiscentes, uenulis quibusdam distincti, colore in purpureo subpallido: radix magna & bulbosa. Semen in uasculis longis, latum & flauum. Nominis id inditum tradũt, quòd flos eius fugax interdiu pulchritudinem suam tueatur, nocte uerò languidius efflacescat. Tragus Hemerocallis hanc descriptionem ꝯs maximè ad Hyacinthum rubentem poëtarum accedere credit, ut uerisimile sit hunc florem Hyacinthũ rubentem esse, cuius suprà meminimus. Mense erũpit Maio, florem circa messis tempus producit. In syluis montibusq; nascitur, ac in hortis etiam uoluptatis gratia plantatur.

TEMPERAMENTVM.

Qualitas Hemerocalli est refrigerandi et exiccandi, sicut etiam Hyacintho.

VIRES, INTRINSECVS.

Hemerocallis in uino cocta potaq;, prodest difficulter meientibus, & mensibus impeditis.

EXTRINSECVS.

Calida œdemata illita emollit: præcipuè pectoris tumorem radix trita mollit sanatq;. Aliqui cũ uini fæcibus decoquendam priustradunt. In cinerem redacta radix, alopecias cũ melle capillis explet. Reliquas cũ Lilij albi radice uires obtinet.

## ASPHODELVS.

ASphodelus, Latinis Hastula regia, Affodilus corruptè Officinis. Aliàs Albucum. Folijs est porri maioris, caule leui & inflexi gni, ferente in cacumine florem, quem Antherícon uocant: radices subiacent longæ, rotundæ, glandibus similes, gustu acres. Hæc non nisi lata & culta in Germaniæ hortis prouenit. Officinæ falsò pro Asphodelo Lilium agreste, seu Hemero-

Hastula regia. Affodilus Albucum.

Antherícon flos Asphodeli

merocallidis radicē exhibent, ut in præcedente capite oſtendimus, quod & etiam in Botanologico ſuo teſtatur Cordus, inquiens: Officinæ falſò pro Aſphodelo aliam, bulboſam ſimiliter, ſed longè ab Aſphodelo diuerſam, uendunt radicem, ex humili collectā herba: cùm Aſphodelus omnium, quę bulbos habent, plantarum, maximum caulem proferat, Vt hinc etiam Haſtula regia uocetur. Veram Aſphodelum, ut & pleraq; alia, exhibuit nobis ſingularis induſtriæ & diligentiæ in ſimplicium indagatione, Ioannes Nezenus Francofordianus ciuis, & Pharmacopola integerrimus. Florem fert circa caulem candidum, ſtellatum: ſemen in uaſculis minutum, nigrum.

*Haſtula regia unde.*

*Ioannes Nezenus.*

TEMPERAMENTVM.

Radix Aſphodeli calida eſt & ſicca: eſt enim amara & acris.

VIRES, INTRINSECVS.

Radix urinas & menſes pota mouet. Lateris doloribus, tuſsi, conuulſionibus, ruptis, drachmę pōdere ex uino pota medetur. A ſerpente morſis trium drachmarum pondere datur utiliter. Sed morſum illinere primùm foliis, radice, & floribus, cum uino oportet. Semen & flores cum uino, ſcolopendræ & ſcorpionum uenenis egregiè aduerſantur. Aluum quoq; deijciunt.

EXTRINSECVS.

Radix aſtragali mēſura commanducata, uomitiones adiuuat. Mammarum teſtiumq; inflammationes, tubercula & furunculos, decocta in uini fæce, mitigat. Ad recentes uerò inflammationes cum polenta illinitur. Radicis ſuccus adiecto uetere uino dulci, myrrha & croco ſimul decoctis, oculis plurimum confert. Purulentis auribus per ſe, uel cum thure, melle, uino & myrrha tepefactus prodeſt. In contrariam aurem infuſus, per ſe dentium dolorem mitigat. Cinis è radice cremata illitus alopecias capillis explet. Oleum in excauatis radicibus igni decoctum, illitum, exulceratis pernionibus, & ambuſtis igni cōducit. Dolori aurium inſtillatum auxiliatur. Candidam uitiliginem, linteo antea perfrictam in ſole, illita radix emendat.

*Crinon. Lirium. Roſa Iunonia. Liliū candidum.*

## LILIVM.

Lilium, Græcis Crinon & Lirium. Iunoniā quoq; roſam ex fabula appellant. Germa. **Lilgen Gilgen.** Eſtq; duorum generum: Candidum & croceū.

Candidum caule naſcitur ſimplici, tricubitali, comoſo, foliis longis, Satyrij effigie, ex herbaceo nitentibus, radice bulboſa, flore emaculati candoris, calathi forma, extrinſecus ſtriato, reſupinis per ambitum labris, luteis emicantibus ex fundo calycis apicibus, alterius

Aterius quàm flos odoris. Radix bulbosa, multis inter se nucleis cõpactis, & in unum coëuntibus. Nascitur in hortis passim nemini non cognitũ, plantaturq; è nucleis radicis in terram impactis.

B

Lilium croceum, Germanis **Goldlilgen / oder Goldtgilgen**/à flore croceo sic dictum: priori nimirum candido est simile, sed foliis angustioribus, flore croceo.

Theophrastus quadruplex temporis ratione lilium statuit: primum quod uere statim cum Viola alba plerunq; floret, quod Crinon ipse propriè appellat. Alterum quod uere etiam floret, sed serius quàm alterum, hoc lirion uocat: tertium quod æstate, Cerinthium existimatum: quartum quod autũno, lirion itidem dictum. *Theophrasti 4. Liliorum species.* 1. 2. 3. 4.

Lilia quoq; purpurea ingenio humano posse fieri tradunt, si deni uel duodeni eorum scapi in fasces colligati, dum floruerint fumo suspendantur, qui radiculas bulbulósue inibi iaciunt: quumq; pangẽdi tempus fuerit, in fęce uini nigri macerantur, donec purpureum colorem contraxerint, eoq; intinctu affatim saturentur: mox scrobiculis deponuntur effusa largius fæce: & sic flores nascentur purpurei. Rubra quoq; fieri aiunt, si intra cortices cinnabari infundatur, ne tamen bulbi ulla ratione lædantur. Eademq; ratione alium quemcunq; colorem induere licebit.

Vt uicissim uarijsq; temporibus florem pariant lilia, bulbi ita serũtur, ut aliqui digitorum duodecim altitudine obruantur, alij octo tantùm, alij quatuor: sic diuersis diebus dabunt lilia. Idem quoq; in alijs obseruatur floribus. Hæc Anatolius.

## TEMPERAMENTVM.

Flos mistæ est temperaturæ, partim tenuis, partim uerò terrenæ substantiæ. Radix & folia exiccant & absterguntin primo ordine. Radici tamen maior est abstergendi uis, quàm foliis.

## VIRES, INTRINSECVS.

Lilij ad externas maximè corporis partes est usus: aqua tamen stillatitia ad amissam uocem, & syncopen plurimùm commendatur, duorum triúmue cochlearium mensura pota.

Eandem aquam iecoris inflammationi & hydropi conferre ferunt: fœtum quoq; absq; damno & dolore pellere: qua de causa parturientibus est gratissima.

## EXTRINSECVS.

Oleum de albis lilijs omnis generis adustionibus & inflãmationibus

illinitur, foliis eiusdem superimpositis: neruorum matricisq; tumorem, & duritiem emollit: ad quos usus obstetricibus est utilissimum. In cinerem usta radix cum oleo rosaceo adustionibus præstantissimo est auxilio. Cum melle radix illita præfectiones neruorum, & luxata membra sanat: manantia capitis hulcera, alphos, psoram, lepram aut achoras, idq; genus cutis & faciei uitia, emendat. Ad uetera hulcera ualidius exiccanda, nonnulli acetum admiscent. Cum hyoscyami radice, & farina hordeacea tusa & illita lilij radix, phagedænam testiculorumq; inflammationes mollit, restinguit, & sanat.

Cum lacte caprino ad eosdē effectus, & durities, tumoresq; præcipuè pectoris molliendos, aperiendosq;, nonnulli lilij radicem decoquūt.

Folia uiridia ignem sacrum & atras pustulas restinguunt: serpentum & scorpionum ictibus medentur. Albi lilij odor cerebrum, ut Simeon Sethi est autor, confortat.

## CHAMAECISSVS.

Hedera terrestris Corona terræ.

CHamæcissus, Latinis Hedera terrestris, seu humilis, quòd nimirum humi repat, foliis hederæ similibus. Aliàs Corona terræ, quòd per terram coronæ modo serpat. Germ. **Gundelreb/ Grūdreb/ Erdephew/ Erdkrantzlin**. Gall. *Lierre terrestre*. Locis nascitur cultis, nec non circa sepes & dumeta. Foliis Dioscoridi describitur hederæ, minoribus tamen (pro μακρότερα enim μικρότερα esse legēdum, & Tragus & Fuchsius ostendunt) & tenuioribus: ramulis dodrantalibus, multis, foliis plenis, à terra quinq; aut sex prodeuntibus. Flores fert in Martio statim Leucoijs similes, sed minores, gustu admodum amaros, qui in magnam usq; æstatis partem durant. Radix tenuis, alba, & inutilis. Per Leucoij uerò flores sunt accipienda leucoia cœrulea. Leucoij nanq; uocabulum cunctis uiolis, albis, luteis, purpureis, & cœruleis Dioscorides attribuit.

Sunt autem qui uelint Hederam terrestrem, esse Elatinen, sed & ipsum nomen reclamat, cùm Chamæcissus nihil aliud sit, quàm humilis, seu terrestris

A terrestris Hedera, sicut etiam Germa: propriè Erdephew/ & Grundreb dicitur. Deinde etiam temperamentum, quod in Hedera terrestri est calidum ob amaritudinem: in Elatine uerò frigidum & adstringens. Quid uerò sit Elatine, suprà est ostensum. Nonnulli hanc Asclepiada esse uolunt, de qua suprà etiam est actum. Chamæcissos quoq; appellatur tertia Hederæ species, uidelicet Helix, diuersa tamen ab hac.

TEMPERAMENTVM.

Facultas Chamæcissos est calida & sicca, ut amaritudo in gustu, & florum florumq; acrimonia ostendit.

VIRES, INTRINSECVS.

Folia cum aqua, ut autor est Dioscor. per quadraginta dies, pota, coxendicis dolori prosunt. Sex autem diebus pota ictericos liberant. Utilius tamen cum uino coquitur. Idem ex aqua decoctum potum dysenteriam iuuare ferunt. In uino cocta urinam cient, menses ducunt, uenena expellunt: iecoris & lienis obstructiones aperiunt. Eadem facultas est aquæ stillatitiæ.

EXTRINSECVS.

Ex aqua uel uino decocta folia, colli exulcerationem ex putredine facta collutione sanant. Idem decoctum scabiem, aliaq; oris, & mulierum locorum uitia curat. Succus Chamæcissi fistulas aliaq; impura da mna purgat.

## HEDERA.

HEderam dictam uolũt, uel ab hærendo, quòd parietibus uetustis adhæreat, uel quòd edita petat, Vel quòd id cui adhæret, edat & corrumpat. Græcis Cissos, à Baccho, quem Athenienses uocarunt Citton. Fabulã apud alios licebit uidere. Cur item Bacchus hedera coronetur, quæ etiam natura hederę, & de errore, qui in Theophrastum irrepsit per librarios, Cisson pro Cistho, hoc est, Ladano legentibus. Quæ omnia copiosè simul exequitur Ruellius lib. 1. cap. 87. German. Eppich/ oder Ephew.

Cissos.

Cisthos.

Tria Dioscorides & Theophrastus lib. 3. faciunt Hederæ genera primaria: Candidam, nigram, & quæ Helix dicitur. Loca amat frigida, & aquis maximè gaudet. Calorem uitat, ac minimè locis calidis prouenit.

1. Hedera nigra.

Hedera nigra circa muros passim crescit, arboresq; ac parietes radicosis amplectitur brachijs, in totum fruticosa: folia, cum primùm pubescit, sunt angulosa, complurimum in triangulam faciem exeuntia: Cum

uerò uetustior fit, sunt pinguia, dura, immortali uirore: flore exili, uitigineo, non inodoro: baccis primùm herbaceis, mox atris, & nonnũquam croceis, longiori pediculo in uuæ modum dependentibus, sparsioribus racemis, non in globum candidæ modo coëuntibus, sed in acinos discretis. Radix numerosa, densa, flexuosa, contorta, ac surculosa, nec admodum profunda. German. **Schwartz Ephew**/ & **Maur Ephew**/ quòd muris & parietibus adhæreat, item **Baumephew**/ quòd scilicet arbores complexu suo strangulet. Arbores quas inuaserit perdit, brachijs enim suis radicosis omne ex arboribus nutrimentum exugit, & sterilescere tandem eas facit. Cumq; perpetuò uireat, multo etiam nutrimẽto indiget, quod ex uicinis, quas comprehenderit, partibus quærit. Veteres etiam sæpe macerias, uincientis glutini raptu, demolitur. Poëtæ ob sempiternam eius comam hac usi sunt, Vnde Verg. Pastores hedera crescentem ornate poëtam.

2. *Hedera candida.* Hedera candida, quæ fœmina dicitur, German. **Weisser Ephew**/ brachia inter media folia emittit, quibus arbores complectitur, ramosa & robusta maximè: Corymbos seu racemos in orbem circumactos habet: folio albicat.

3. *Helix. Clauicula Hederula Chamæcissos.* Tertia Hederæ species peculiariter Helix, hoc est, Clauicula dicitur, aliàs Hederula, Chamęcissos etiam, quòd reliquis minor, sed alia ab Chamæcisso, quæ **Gundelreb** uocat, de qua præcedente capite. In syluis nascitur, humi serpens, foliis paruis, tenuibus, angulosis & rubris: uiticulis huic tenues sine corymbis. Viret perpetuò, sicut reliquæ species. German. **Klein Ephew**/ **Erdephew**. Cato in libello de re rustica, mirum de Hedera ad experiendas uini fraudes, documẽtum tradit. Si nimirum uas ex ligno eius fiat, uina transfluere, aquam uerò, si mixta sit, remanere: nõ enim continere uinum uas hederaceum. Lachryma eius Psilothrum dicitur. Racemos uerò Corymbos uocant. Verg. 3. ecl.

*Psilothrũ Corymbi.*

*Diffusos hedera uestit pallente corymbos.*

## TEMPERAMENTVM.

Hederam tradunt ex cõtrarijs compositam esse facultatibus: Partim enim adstringentem, terrenam frigidamq; substantiam, partim acrem, quæ calida est, partim etiam aqueam, tepidã nimirum, substantiam obtinet. Theophrastus calidam & siccam esse scribit.

## VIRES, INTRINSECVS.

Arefacti flores hederæ, & in puluerem triti, drachmæ pondere ex uino poti, rubrum alui fluxum sistunt. Folia cum uino cocta, uel corymbi eius triti sumptiq;, menses reducunt.

Idem corymbi drachmæ pondere triti, cum uino poti, calculum pellunt, ut experientia constat.

## EXTRINSECVS.

Cum aceto cocta folia, lieni applicata, dolorem eius mitigant.

Omnis

A Omnis generis malefica hulcera, exuino cocta illitaq; sanant, si decocto eius hulcera prius purgentur. Vapor decocti menses ciet: idem faciunt baccæ eius in sinum recondite. Succus foliorum naribus inditus polypum sanat: adustionibus quoq; medetur. Folia cum aceto & aqua rosacea trita, præstantissimum phrenitidi sunt remedium. Succus hederæ illitus capillos denigrat.

## VOLVBILIS.

VOlubilis à uoluendo nomen accepit, sicut etiam German. **Winden** appellant. Smilax aliàs seu Conuoluulus.

Huius tria inueniuntur genera: Maior, minor, & aspera. Volubilis maior, Ger. **Windenkraut/glatt Winden/ weiß Winden/ Zaunglocken.** Aliquibus Campanella, & funis arborum. Placet nonnullis hanc esse Smilacem Dioscoridis leuem: alij Clematida uolũt esse alteram. Alij Cissampelon maiorem, quorum potior uidetur sententia. Cissampelos dicta eò quòd foliis hederæ in uineis potissimũ inueniatur. In frutetis passim nascitur sepibus se inuoluens, culta maximè loca amans: folia habet hederæ, molliora tamen, leuiora & tenuiora, ramulos multos, tenues, leues, quibus arboribus & sepibus se implicat, fructũ fert lupino similem, nigrum, paruum, super quem flores semper albi, copiosi, & orbiculati, campanulæ formam imitantes.

1. Volubilis maior. Campanella, funis arborum. Cissampelos maior est Officinarũ maior uolubilis.

Valerius Cordus uult Smilacem Dioscoridis leuem eandem esse cum satiua, quam Dolichon uocat, Phaseli alteram speciẽ, de quo uide in capite de Phaselo. Tragus Smilacem leuem pro amara dulci accipit. Alias Hedera Cilicia.

Smilax leuis quid.

Hedera Cilicia.

Volubilis minor, Germ. **Klein Winden oder Glocken/ Weingarten Winden/ Zaunwindẽ/ Wedewinden.** Officinis Volubilis media. Hæc est Dioscoridis Helxine Cissampelos, seu Cissampelos minor: diuersa tamen ab Helxine, quam Parietariam uocant, de qua suprà. Vulgò Vitealis, quòd uineas amet, & Conuoluulus à cõuoluendo, quod tamen generale nomen est. Foliis describitur Dioscoridi Hederæ, sed minoribus: alternis uicibus utrinq; dispositis, ramulis exilibus, quibus quodcũq;

2. Cissampelos minor Volubilis media. Helxine Cissampelos. Vitealis. Conuoluulus.

contigerit adminiculum complectitur. Flores habet primùm candidos, C
Lilij forma, in puniceum mox uergentes: semen in foliculis angulosum,
acinorum specie. Nascitur hoc genus in uineis potissimùm, unde etiam
appellationem accepit.

9. Volubilis aspera.



Volubilis aspera, Germa. **Stechende oder scharpff Winde**/ab aculeis ramulorum, Officinis est incognita. Smilacem Dioscoridis pleriq; uolũt esse asperam. Nascitur locis asperis palustribusq;, foliis Periclymeni, sarmentis tenuibus & multis, rubi aut paliuri modo aculeatis, arboribus se implicat, summa earum scandens: flores fert candidos, racemos exiles, qui maturi rubescunt, gustuq; leniter mordent.

Smilacem asperam quidam pro lupulo accipiunt: Verùm an satis commodè, uideant ipsi. Smilax enim aspera racemos seu acinos fert: Lupulus uerò minimè. Sin qui uelint Smilacem Dioscoridis asperam nobis incognitam, & nostris regionibus peregrinam esse, cõ- D
cedendum tamen est hanc etiam Smilacem asperam posse dici.

TEMPERAMENTVM.

Volubilis species calidas & siccas esse tradunt. Maior modicam in gustu amaritudinem præ se fert. Asperæ folia & fructus leniter mordicant.

VIRES, INTRINSECVS.

Seminis duodecim uel sedecim grana tusa, ex uino stranguriam adiuuant.

Aqua stillatitia ex albis floribus, aduersus omnis generis internas & externas inflammationes bibitur, & cum linteolis applicatur.

EXTRINSECVS.

Oculis rubentibus & inflammatis aqua stillatitia illinitur. Folia in desessionibus stranguriæ sunt auxilio, & calculo medentur.

## CENTVMMORBIA.

CEntummorbiam appellant uulgo herbam, quam Ger. **Egelkraut/ Pfennigkraut/klein Naterzung**. Hoc nominis imposito à Chirurgis, quibus miras in uulneribus curandis uires præstat. Nummulariam aliàs, sicut etiam Germ, à forma foliorum, quę nummi speciem referunt. Hirudi-

Nummularia.

Hirudinariam quoq;, quòd hirudinis instar terræ sit affixa. Serpentariã item minorem, quòd serpentes uulneratæ hac sibi remedium quærant. An ueteribus cognita fuerit nec ne, est incertũ, proinde has nomenclaturas, donec melius & firmius quid ex ueteribus afferri possit, retinuimus. Locis humidis circa fluenta potissimũ nascit initio Maij, per terram serpens: caules habet latos, folia utrinq; rotũda et pinguia, nummi magnitudine: florem luteum, quem Iuliomense producit: radicem exiguam. *Hirudinaria.* *Serpentaria minor*

TEMPERAMENTVM.

Secundi aut tertij ordinis exiccantium esse traditũ, ob radicem admodum adstringentem.

VIRES, INTRINSECVS.

Centũmorbia in aqua mulsa pota, pectoris & pulmonis exulcerationes sanat: tussiẽtibus & difficulter spirãtibus auxiliatur. Infantibus, qui alias Medicinas sustinere nequeunt, contra aridam tussim utiliter bibitur. Ad eosdem effectus cum aqua & saccharo coquitur. Dysenteriæ & B menstibus pari modo est salutaris.

EXTRINSECVS.

Vulneribus & dãnis corporis sanandis est utilis: Herba ipsa cũ uino decoquit, ac uulnera decocto eo purgãtur, folia uerò uulneri imponunt. Liquor eius stillatitius similibus facultatibus est præditus. Serpẽtes uulnerati huius herbæ beneficio, quod obseruatum est, se curant.

## CASSVTHA.

CErtant autores de spuria illa, nec in terra, sed aliena uiuente sede, herba, quam Germa. **Filtz kraut**/ & **Flachßseiden**/ & **Dottern** uocãt. Gal. *Goutte de lin.* Tricæ ipsæ notæ sunt, nõ è terra enascentes, sed alijs herbosis adnascentes fruticibus cõspiciunt, complexu suo plantas implicãtes, tandẽq; strangulantes, aut omni ijs alimento extracto languescere tabidasq; fieri cogentes. Plurimorum sententia est, hanc Cassutham esse, à Plinio Cassytham dictam, & uulgò Cuscutham ab Arabibus.

Nascitur in plantis, non è terra, earum fulta adminiculo, Radice nulla, sed uelut ab alarum sinu prodeunte cirro capillamentõue longitudinis miræ, ab ortu statim ramulis se inuoluente. Quæ iam uelut clauiculis nixa, sensim

proſerpendo herbarum faſtigia ſcandens, & crebris uolutionibus ope- C
re topiario per uertices rotata, comas herbarum natura ſua uolubili cõ-
plectitur. Foliis eſt uidua, florem fert album, ſemenq; tenue. Cirri dilu-
tiore rutilant purpura, nonnunquam ex rubro rufeſcunt, fidibus lyrarũ
Androſa- craſsitie pares. Androſacen quidem nonnulli putãt eſſe Dioſcoridis, ſed
ce. nihil certi de hac pronunciari poteſt: etiamſi enim notæ illæ Dioſcori-
dis, quas paucas ipſe ponit, huic ferè conueniant, nequaq; tamen deſcri-
ptioni ſufficiunt. Potius igitur uidetur illis adhærendum, qui Caſſuthã
ſtatuunt. Podagram quoq; lini uocant, quòd quaſi compedibus id cui in
Podagra lini. ſidet illiget, nec uinctum eo facilè poſsit explicari uel extricari.

TEMPERAMENTVM.

Naturam habet abſtergendi, & cum adſtrictione quadam roboran-
di. Calidam proinde in primo, & ſiccam in ſecundo ſtatuunt ordine.

VIRES, INTRINSECVS.

Melancholicos corporis humores, ictericum morbum & hydropẽ
herba hæc corrigit. In uino manipulus eius coctus, iecoris & lienis ob-
ſtructiones ſoluit, regiumq; morbum pellit. Stillatitius liquor quatuor
aut quinq; cochlearium menſura, cum pari quantitate liquoris Rutę, ma
nè per aliquot dies, ad ſudorem contecto corpore, potus, ad eadem eſt ef
ficax. Aduerſus ſcabiem Gallicam præſtans eſt hæc aqua remedium: ſan
guinem enim uitioſum manifeſtè corrigit: uenas quoq; à malis humori D
bus, è quibus tertianæ febres naſcuntur, purgat, in pueris maximè.

EXTRINSECVS.

Fomentis & deſeſsionibus, omnibus melancholicis affectionibus, &
præcipuè nigris ictericis prodeſt.

## BRYON.

Lupulus ſalictarius Volubilis Lupus reptitius. Volubilis magna. Habiola. Bruſcandula.

BRyon Græcis fortè quaſi Bryoniæ aliqua ſpecies. Latinis Lupus ſalictarius, Lupu-
lus. Vulgò Humulus. Volubilis à Meſue. Lu-
pus item reptitius, & Volubilis magna. Non-
nullis Habiola & Habilla. Bruſcandula, quaſi
Bryonia ſcanſilis. Aliqui Smilacem uolunt eſſe
Dioſcoridis aſperam, de qua ſuprà diximus.
Germa. Hopffen. Gall. *Houblon*.

Duo ſunt Lupuli genera, loco ſolummodò
& cura diſcreta: hortẽ
ſe & ſylueſtre. Caules
habet uterq; aculeatos
ſeu aſperos potius, lõ-
giſsimosq;, folia uitis
albę, hiſpida & nigrio
ra. Hortenſis quotãnis
initio

A initio statim ueris circa radices circunciditur, mox circa Martij finem asparagos emittit rotundos, puniceos, absq; foliis, quos folia insequũtur, ternis fissuris, aut quædam etiam quinis, aspera nigricantiaq;, uelut rubi folia: Crescensq; perticis appositis longioribus se circumuoluit. Mense floret Iulio, flore subflauo, & albicante penè, sicut uitis, ex quo capitula enascuntur, uelut squamatim folliculis compactis, nucis iuglandis magnitudine, interdum etiam minora, pro terræ natura, quæ ad usum potus quem Cereuisiam uocant, colliguntur: sub squamatis folliculis semina rotunda, subflaua, ac propemodum punicea, gustu sicut lupulus amara, conduntur. Gaudet locis cultis & solo fertili. Syluestris uerò spõte locis incultis & circa sepes passim nascitur: satiuo per omnia similis.

TEMPERAMENTVM.

Calidus est & siccus in secundo ordine: soluit, maturat, & aperit hulcera. Cereuisiæ coquendæ potissimum eius est usus. Vtuntur etiam eo pistores ad inflandos panes, quod aliàs fæce cereuisiæ efficiunt.

VIRES. INTRINSECVS.

Teneros lupuli asparagos, gula in luxum uertit, & in ciborum deliciis esse fecit. In cibo itaq; tenella adhuc germina sumpta, sanguinem purgant, obstructiones alui, iecoris & splenis soluunt. Eadem, uel in uino decocta capitula, aduersus cuncta uenena, pota prosunt.

EXTRINSECVS.

B Suffitus lupuli matricis obstructiones aperit, difficultatem urinę adiuuat, ac calculo uesicæ laborantibus confert.

## AMARA DVLCIS.

AMara dulcis, Græcis γλυκύπικρον, Germa. Je lenger ie lieber/ ob saporẽ nimirum corticis, qui quò magis manditur, hòc fit gratior. Alijs etiam Hynschkraut appellatur. Chamæpityn alij uolunt esse, sed falsò, omnibus notis reclamantibus. Vera autem Chamæpitys est herba illa, quæ Pharmacopolis Iua dicit: omnes enim notæ quas Dioscoridis Chamæpityi tribuit, Iuæ conueniunt, ut suprà etiam peculiari capite est explicatum. Hieronymus Tragus Smilacem Dioscoridis leuem seu Hederam Ciliciam uult esse: cui potius quàm reliquis uideretur subscribendum. *Chamæpitys quid.*

Locis nascitur humidis, ac scãdendo arbores circũuoluit, foliis uulgaris hederę, acuminatioribus tamẽ, auriculasq; circa pediculũ habẽtib, incanis. Floribus uiolaceis, multis,

multis, foliis quinis, in medio apicem habentibus luteum: flori baccæ succedunt primùm uirides, mox coralli forma rubræ, sapore ingrato: ramulos longos ligneosq; habet: radicem uillosam. Cortex ramorum primùm amarus, sed quò plus dentibus teritur, hòc saporem gratiorem acquirit, unde nomen, Græcis, Latinis, & Germanis accepit.

TEMPERAMENTVM.

Glycypicron calido & sicco temperamento esse fertur.

VIRES, INTRINSECVS.

Aduersus emortuos ictericos potio ex ligno Glycypicri præstantissima conficitur, hunc in modum:

Recipe libram ligni eius, ac minutim concisum in mensura uini albi in uase testaceo nouo paulatim apud prunas ad tertiã partem decoquatur: operculum ollæ impositum probè oblinatur, exiguo in medio foramine transmisso. Potus hic manè mediocri quantitate ictericis in lecto quiescentibus, & contectis: similiter sub uesperã datus, per sedes & urinam leniter purgat. Idem decoctum contra putridas uentriculi febres, è quibus regius morbus oritur, bibitur.

EXTRINSECVS.

Pastoribus nota est herba, qui pecori à collo eam suspendunt.

## BRYONIA.

Vitis alba Bryonia alba.

BRyoniæ duæ sunt species: Alba, Græcis ἄμπελος λευκή, id est, Vitis alba: nigra, ἄμπελος μέλαινα, hoc est, Vitis nigra. Vtraq; enim has Bryoniæ appellari nomine ostendit Dioscorides, & differunt solis baccis, quas altera ruffas, altera uerò nigras habet.

Vitis alba, quam Bryoniam cum Dioscoride uocant albam, foliis, sarmentis & capreolis satiuæ uiti est similis, sed hirsutiora sunt omnia: propinquos frutices capreolis suis apprehendit, iisq; se implicat: fructus rubens in uua dependet, quo corio depilant. Radix alba, crassa & magna. In sepibus & dumis passim prouenit, æstate florens tota, in bonam usq; autumni partem, in quo fructum, primùm uiridem, pòst uerò rubentem, cùm ad maturitatem uenerit, producit. Græcis ἄμπελος λευκή, id est, Vitis alba. Item βρυωνία ἡ ψίλωθρον, id est, Bryonia, uel Psilothrum, à ψιλόομαι, id est, nudo, quòd

Psilothrũ eius acinis coria nudentur seu depilentur. Vnde Psilothrum idem quod unguentum

A unguentum depilatorium. Officinis Bryonia. Vulgò Viticella. German. Hundskürbs/Stickwurtz/Schiefwurtz/Raßwurtzel/Römisch rüb/Wilder zitwan/Teufelskirs. Viticella.

Vitis nigra folia habet similitudi ne hederæ, magis tamen ad Smilacis folia accedentia: cui & caules similes obtinet: maiora tamen eius folia quàm illius sunt. Clauiculis, sicut prior, arbores quoq; complectitur. Floribus candidis & odoratis, quibus decidentibus semen subnascitur racemosum, initiò herbaceum, plumis quasi uestitum, aut barbæ canæ effigiem præbens: cùm uerò maturuerit, nigrum. Vitis nigra.

Nascitur in frutetis dumetisq; passim. Floret Iulio. Semen in Augusto producit. Græcis hæc à baccis ἄμπελος μέλαινα dicitur: atq; hanc propriè Bryoniam dici, inquit Galenus. Latinis Vitis nigra, & Vitis Chironia, à uirtute medica. Clematis altera Dioscoridi. Item Bucranium, hoc est, Bouis uel magnum cranium. Taminia, à Taminię uuę similitudine. Vitis nigra. Vitis Chironia. Taminia.

B

Germa. Waldreben/Lynen/oder Lenen.

## TEMPERAMENTVM.

Prima germina uitis albę subamaram modicam adstrictionẽ habent. Radix deliccat & moderatè calfacit. Vitis nigra idem habet temperamẽtum cum alba.

## VIRES, INTRINSECVS.

Bryonię utriusq; asparagi in prima germinatione elixi manduntur: urinę, aluo & mensibus ducendis utiles. Comitialibus drachmę ponderę quotidie per annum bibitur. Prodest similiter attonitis & uertigine laborantibus. Contra uiperarum ictus pota duabus drachmis auxiliatur: fœtus necat, mentem aliquando perturbat. Fit eclegma ex ea cum melle, quod præfocatione oppressis, tussientibus, pleuriticis & ruptis subuenit. Lyenem trium obolorum pondere ex aceto, diebus triginta pota, cõsumit. Succus in uere ex radice eius expressus potus, uuluam purgat, & abortum facit, pituitam ducit.

Succus ex fructu, cum tritico decoctus si sorbeatur, lactis abundantiam efficit.

EX.

EXTRINSECVS.

Vtriusq; folia, fructus & radix acriui sunt prædita, Vnde Chironijs, gangrænis, phagedænis, & hulceribus tibiarum putridis, cum sale illita, auxiliãtur. Radix corpus abstergit, & erugat. Cum eruo, terra Chia, & Fœnogræco, uitia faciei, uaros, lentigines, & cicatrices nigras corrigit. Decocta in oleo usq; dum liquescat, potest eadem. Sugillata tollit, & digitorum pterygia compescit. Illita cum uino inflammationes discutit, & abscessus rumpit. Ossa extrahit trita & illita. Medicamentis erodentibus commodè miscetur. Apposita uerò, fœtus & secundas trahit. Decoquitur ad insessus: uuluas enim purgat, & abortum facit. Folia uitis, præsertim nigræ, cum uino exulceratis iumentorum ceruicibus illinuntur. Luxatis eodem modo opitulantur.

## PERICLYMENVM.

*Volucrũ maius. Caprifolium. Matrisylua. Lilium inter spinas*

PEriclymenos Græcis à conuoluendo dicta, Latinis Volucrum maius. Vulgò Caprifolium, & Matrisylua, & Lilium inter spinas, Germanis **Waldgilgen**/ & **Geyßblatt** dicitur. Item **Speckliliẽ**/ **Jeunling**. Gall. *Vinciboße*. Frutex, Dioscoride describẽte, est simplex, in aruis & sepibus nascens uicinis se adminiculis conuoluens, folia habens per interualla, subcandida, hederacea: inter folia surculi exeunt, in quibus baccæ hederæ similes: flos fabæ, candidus, subrotundus, & quasi in folium procumbens. Semen durum, & quod difficilè euellitur: radix crassa, rotũda. Galli Vinciboscum nominant. Est & alia Matrisylua Officinis, Germa. **Hertzfreud**/ & **Waldmeyster**/ de qua speciatim est actum. D

*Vinciboscum.*

TEMPERAMENTVM.

Calida est & sicca uehementer.

VIRES, INTRINSECVS.

Liquor Periclymeni stillatitius, trium quatuõrue cochlearium mensura bina uice in die potus, dyspnœicis, tussientibus, & interno uentriculi æstu laborantibus prodest. Rubræ eius baccæ tritæ, drachmæ pondere ex uino manè quadraginta dies potæ, lienosis, Dioscoride teste, auxiliantur. Baccis natura est expellendi, urinam igitur cruentam & crassam cient & educunt: Partum quoq; maturant. Gratior ad usus est aqua stillatitia.

EXTRINSECVS.

Omnibus inflammationibus oculorum, & iecoris quoque æstui, liquor stillatitius Periclymeni utiliter illinitur, aut cum panniculis applicatur.

CVCVR-

# CVCVRBITA.

CVcurbitam à cõcuruatu dictam Ruellius tradit, quòd facilè, si qd obstiterit, aut fuerit impedimẽto, quò minus incurueſcat, extendatur. Græci Colocynthen nominant, ex contrario nimirum, ut idẽ ſentit, nomine impoſito, quòd uidelicet parui ac pumiles ſint eius partus, quos paſsim enititur, cùm corporis mole omnes herbarum arborũmue fructus ſuperare uideantur. Germani ad Latinum alludentes **Kürbs** appellant. Galli, *Courge*. *Colocynthe.*

Duo ſunt Cucurbitæ genera: Satiua & ſyluestris. Cucurbita ſatiua Græcis Κολοκύνθη ἡμέρος, hoc eſt, Cucurbita eſculenta, tres habet ſpecies, Maiorem, quę Cameraria Plinio dicitur: minorẽ, quæ Plebeia: Tertiam quæ oblonga uocatur. In ſola magnitudine B ſeu forma eſt differentia: aut enim fructus in longum prorogatur, aut in orbem collectus intumeſcit, aut in breue craſſamentum cogitur. *Cucurbita ſatiua.*

Reptantibus in altum ſcandunt flagellis, in ramosq; uitis modo ſe diffundunt, qui ob caulis infirmitatem humi ſparguntur, niſi adſit cui innitantur: folium ferunt rotundum, Perſonatiæ aut Aſari folijs ſimile, florem candidum: fructum coloris primùm herbacei, mox flaui, pyri forma turbinatum, qui aut in longum prorogatur, aut in orbem, aut in aliam formam cogitur. Cortex recenti tener, inueterato durus, adeò ut poculi uinarij uicem præbeat. Maior porrò ſeu Cameraria facili & admodum flexibili ramorum curuitate, tecta, pergulas et teſtudines operit: Minor ſeu plebeia, ſuis flagellis humi repit.

Præterea tertia eſt ſpecies oblonga, Germa. **lang Kürbs**. Prædictis per omnia ſimilis, niſi quòd fructus eius in longum extenduntur.

Syluestris Cucurbita Græcis Κολοκυνθίς dicitur, hoc eſt, Cucurbitula, de qua capite ſequente. Eſt autem tanta inter Cucurbitas, Cucumeres, Pepones, & Melopepones, de quibus ordine ſingulis dicemus, naturæ cognatio, ut ſæpe & proprietates & nomina Græci & Latini confundant. Quomodo longa, craſſa, aut lata fiat cucurbita, his uerſibus docet Columella: *Syluestris cucurbita*

*Prægnansq; cucurbita ſerpit,*
*Vnaneq; eſt illis facies: nam ſi tibi cordi*

*Longior est, gracili capitis quæ uertice pendet,*
*Et tenui collo semen lege: siue globosi*
*Corporis, atq; utero nimium quæ uasta tumescit,*
*Ventre leges medio, sobolem dabit illa capacem*
*Nariciæ picis, aut Actæi mellis Hymetti,*
*Aut habilem lymphis hamulam, Bacchóue lagenam*
*Tum pueros eadem fluuijs innare docebit.*

Tradunt etiam si florem, uel primum fructus rudimentum, sicut in sua uite est, in forma fictili clauseris ac ligaueris, qualem uultum figura hominis uel animalis, talem Cucurbita, & Cucumis quoq; effigiem præbebunt. Multò grandiores tam Cucurbitas, quàm Cucumeres semina parere, quæ inuersis capitibus obruuntur, ferunt. Riguis & aquosis maximè locis gaudet: omniumq; maximè rigari desiderat. Semina in uere mense Aprili in terram panguntur, à nonnullis noctis prius spacio in lacte humectata. Fructus uerò sub autumni plerunq; finem, ob frigiditatem cœli in Germania primùm matureſcit.

### TEMPERAMENTVM.

Refrigerat Cucurbita & humectat in secundo ordine.

### VIRES, INTRINSECVS.

Cucurbita stomacho quidem minus ob frigiditatem commoda: tenera tamen adhuc & mollis hunc in modum nonnullis coquitur: Exteriorem cortex amouetur: reliquam substantiam cum nucleis adhuc immaturis in aqua repefaciunt, ac Brassicæ instar capitatæ minutim conscindũt, & cum cepis, butyro & sale coquunt. Macilentis hominibus cibus is prodest. Alij orbiculatim scissam Cucurbitam immaturam pomorum instar in butyro torrent. Vinum ex recenti excauata Cucurbita noctis spacio relictum, ieiuno potum stomacho, uentrem purgat. Aqua stillatitia ex immaturis cucurbitis, ardentibus febribus, quarum calor nullis aliis medicamentis restingui potest, prodest: extrinsecus etiam cum linteolis, ad calorem reprimendum, cordi applicatur.

### EXTRINSECVS.

Ex immaturis cucurbitis aqua stillatitia certum est auxilium aduersus capitis uehementem æstum & ardorem. Succus in defectu aquæ, idẽ præstat, simili ratione cum linteolo capiti admotus. Oculorum & auriũ inflammationibus succus & aqua auxiliantur: Omnibus in summa corporis inflammationibus, & calidæ podagræ fert opem.

## CVCVRBITA SYLVESTRIS.

*Colocynthis.*

CVcurbitam syluestrem Græci uocant Colocynthida, hoc est, Cucurbitulam, diminutiuo à Colocynthe facto: est enim satiua Cucurbita multò minor. Officinis & Vulgò Coloquintida. German. **Wilder Kürbs/Coloquint.** Latinis syluestris Cucurbita.

Hæc

Hæc ob frigiditatem cœli in Germania difficulter, nec niſi ſata naſcit, ac etiamſi proueniat, rariſsimè tamen perfectionem conſequitur. Palmites foliaq; eius per humum ſtrata repũt, Cucumeri ſatiuo, quem uidelicet Citrulum uocãt, ſimilia, diuiſurisq; ſciſſa, fructu in orbem circumacto, & in mediocris globi ſpeciem glomerato, ingenti amaritudine: medulla intus fungoſa candidaq;, flore in luteo palleſcente. Incorruptam ad quinquennium durare conſtat.

Hinc etiam Cucurbitulam nominarunt inſtrumentum illud, ſeu uaſculum rotundum, cuius baſis ampla, orificiũ uerò anguſtius, quod coporibus affixum, uel ſpiritu, uel leui ſcarificatione ſanguinem elicit, Germa. ein Schrepffhörnlin/quod Græci à Cucumere ſicyã, Latini uerò à cucurbita cucurbitulam uocant. Columella ſcribit globoſas cucurbitas cùm inaruiſſent, primùm in uſu medicorum fuiſſe, mox uerò ex ære, cornu, uel uitro factas. Extremo autumno cùm fructus palleſcunt, legitur. *Cucurbitula inſtrumentum.*

## TEMPERAMENTVM.

Naturam habet calfaciendi & exiccandi in tertio ordine.

## VIRES, INTRINSECVS.

Colocynthidis, quæ ex regionibus peregrinis aduehitur, noxius eſt uſus, eaq; circulatores purgationes inſtituunt, acres adeò, ut ſæpius homines perimant: Colocynthiden in uino maceratam & coctam bibendam præbentes.

Confectioni quoq;, quam Hieram picram uocant, admiſcetur, cuius tamen uſus non cuilibet eſt tutus.

Mitiores autem ſunt noſtrarum regionum Colocynthides, quæ hoc modo ad purgationes adhiberi poſſunt: Fructu eius excauato, medullam & nucleos ad trium quatuòrue horarum ſpacium in uino macerato, hinc per linteolum exprimito, expreſſum liquorem cubitum iturus bibito. Hac ratione leniter omnes uiſcoſos, & uitioſos intra corpus humores, & uentriculi bilem purgat. Eadem potio colica laborantibus & putridis uentriculi febribus, nec non hydropicis eſt utilis. *Purgatio.*

Semina tuſa ex aqua mulſa pota, morbo regio, ut Plinius lib. 20. cap. 3. ſcribit, medentur. Terna eius ſemina tertianæ, quatuor quartanæ ſuccurrere è collo ſuſpenſa, idem eſt autor.

## CVCVMIS SATIVVS.

Pepo.

Cucumis satiuus.

Melopepo.

Cucumis marinus.

Citrullus.

Sicys. Sicyon. CVcumeres Varroni à curuitate sunt dicti, quasi Curuimeres. Germ. **Cucumern.** Græcis Sicys & Sicyon dicuntur, ἀπὸ τοῦ σεύεσθαι, καὶ κινεῖν, id est, quòd Venerem cieant, ut Demetrio placet, ex contrario uidelicet nomine

A mine impoſito, ſiquidem Venerem cohibet & reſtinguit. Vnde prouerbialis uerſiculus, qui inter epigrammata recenſetur:

Prouerb. Cucumere ueſcens mulier Chlænam texit.

Τὸν σικυοφαγήσασα γυνὴ τὴν χλαῖναν ὕφανε. Hoc eſt:

Cucumeres prandens mulier Chlænam faciebat.

Quo innui uidetur, rarum eſſe ut textrices pudicæ inueniãtur: uel quòd ſæpenumerò caſti & temperantes impudici & intemperantes fiant. Textrices enim plerunq;, Ariſtotele teſte, ſunt impudicæ, & ad Venerem propeliues. Cucumeris uerò natura eſt, ut Venerem reprimat. Hoc itaq; prouerbiali uerſu licebit uti, cùm ſignificare uolumus aliquem à bonis moribus ad prauos deſciuiſſe. Vt ueſcens Cucumere mulier, pro pudica ſumatur, quæ Chlænam texuerit, hoc eſt, impudica ſit facta. Aliam tamen iocoſam interpretationem licebit affingere ex natura ſimiliter Cucumeris, quæ eſt ciere aluum: ut ſuadeat hic uerſiculus, opus eſſe ut ueſcens Cucumere Chlænam texat, ut nimirum, propter alui ſolutionem, habeat quo ſe purget. Athenæus tamen hunc in modum citat: Texens pallium mulier Cucumerem deuoret, quod nimirum conſulat adagium textricibus edendos eſſe Cucumeres, ut impetus infrenetur & elangueſcat: quę interpretatio uidetur adagiorum naturæ repugnare: nec ſi hæc ſit expoſitio, adagij loco ueniet habendum. Sed hæc Parergos ob prouerbialem uerſiculum libuit adijcere. Iam ad rem ipſam. Cucumer ſeu Cucumis cõmunis eſt appellatio ad Citrullos, Melonas, & Pepones: in hos enim Cucumeres degenerant. Pepones enim dicuntur, qui natiuam magnitudinem excedunt, uel in longitudinem procedunt. Melopepones uerò qui effigiem mali referunt, humiq; rotundantur, facta ex malo & Pepone appellatione. Sola igitur figura & quantitate differũt. Palladius communi nomine Melones appellat, quaſi Pomeos: quæ potiſsimùm inualuit appellatio. Hinc tria Cucumerum ſatiuorum ſtatuuntur genera: Primum ſimpliciter Cucumis dictum, hodie citrinum cognominatum. Alterum Pepon. Tertium Melon.

Cucumeres. Pepones. Melopepones.

Primum genus, quod ſimpliciter Cucumis appellatur, citrinum, à colore flauo cognominatum. Sarmentis uiticuliſq; ſerpit prælongis, inq; ramos uitis modo ſe diffundit, fulcimento cui innitatur, ob infirmitatem indiget: folium habet oblongum, anguloſum, florem luteum, fructum cartilagineum, & interdum maculoſum, coloris uel herbacei, uel citrini, uel nigri. Plures habet ſpecies, ſola forma & quantitate differentes. Prima eſt Cucumer uulgaris, fructum ferens maculoſum & oblongum. Aëtij uolunt hanc eſſe Anguriam, qui Sicya hoc nomine appellari ſcribit. Germa. **gemeyn Cucumern**/& **Gurcken**/facta alluſione ad nomẽ Anguriæ.

1. Cucumis citrinus.

Anguria.

Altera ſpecies eſt, quam Turcicam uocant, priore foliis, flore & fructu maior & procerior, ſed abſq; maculis. Citrullum aliqui hanc Cucumeris ſpeciem nominant, & citreolum, à citrino ſeu flauo admodũ fructus colore. Germa. **Türckiſch Cucumern**. Incognitus Officinis.

Cucumis Turcicus.

Cucumis marinus. Zucco marinus. Citrullus.

Tertiã ſpeciẽ Cucumerẽ nominãt marinũ, Turcio per oĩa ſimilis eſt, niſi q̃ minora ſunt oĩa, fructus uerò rotũdus. Vulgò Zucco marinũ. Ger. **Meercucumern. Judianiſch ỏpffel.** Offic. incognitus. Quarta ſpecies eſt quã Offic. Citrullũ uocãt. Ger. **Citrullẽ.** Vnde Cucumis citrullus dici poterit. Foliis naſcit ferè Colocynthidis, diſſectis multifariàm et inciſis, fructu rotũdo, herbacei coloris, ſemine lato & in rufo nigricãte. Hæ ſunt præcipuę primi generis ſpecies. Præter quas plures quãtitate & forma differẽtes erit inuenire. Solo gaudẽt pingui locisq; apricis. Maturescũt Iulio potiſsimũ.

2. Pepo.

Secundũ Cucumerũ ſatiuorũ genus eſt Pepon, ab matureſcẽdo nomẽ habẽs: tener em̃ et mitis maturitate flacceſcit. Ger. **Pfebeti.** Serpit hic uite prælõga, flagellis ultrò citroq; reptãtibus, frõdibus ferè uitigineis, ſcabris: flore luteo, fructu cartilagineo, orbiculatim ſtriato, prominulis puluinorũ toris, ſtrigilibus in uertice pomi & umbilico coẽuntibus, ibidẽq; ſtellatim decuſſatis, cute aſpera, uelut lẽtiginibus occupata, carne intus ſuaui, ſeminib. in utero liratim digeſtis. Locis ſimiliter gaudẽt cultis & apricis: nubila & pluuias multas fugiũt: rigari tamẽ crebrò expetũt.

3. Melon.

Tertiũ genus Melones hodie noĩant, Ger. **Melaun.** Pepone eſt rotũdior, mali cotonei effigie, mitior item ac ſuauior: in reliquis cũ eo eõuenit. Ex hoc genere Melopepões uocãt eos, qui nõ pẽdẽt, ſed humi rotũdant̃, & ſeſsiles procũbũt. Vocabulũ, ut dictũ eſt, ex malo & Pepone facto.

Melopepon.

TEMPERAMENTVM.

Cucumeres humidi & frigidi in ſecundo ſtatuuntur ordine. Arida uerò ſemina in primo exiccantium, uel ſecundi initio locantur.

VIRES, INTRINSECVS.

Cucumeris uires.

Cucumeres, Melones, & Pepones pariter inflãmationibus proſunt. Oĩm nuclei ad ſtrãguriã, renũ ueſicæq; mala ſunt remedio. Vrinã ducũt: & ſi in aceto macerẽtur, in acutis præſertim febrib. calorẽ minuũt. Crebrior aũt uſus ſemẽ genitale minuit. Cucumerũ ſemẽ ſiccatũ caliditatem quandã poſsidet, cõtrariãq; his, Simeõe Sethi teſte, actionẽ efficit, urinãq; magis ciet. Gignũt Cucumeres pituitã glutinoſam in uẽtriculo, quę cruda p uenas diffundit̃. Propterea crebrius his utẽtes, febrib. lõgis corripiunt̃. Calidos aũt & ſiccos ſtomachos iuuãt. Deficiẽtes aĩo, propter excedẽtẽ calorẽ, reficiũt. Sin pituitã nanciſcant̃, hauſeas faciũt, et colicos affectus, & hypochondriacas paſsiones. Hæc Simeõ Sethi de Cucumere ſatiua. De Pepone idẽ autor refert. Noxiũ Pepõ humorẽ in corpore gignit, præſertim ſi nõ probè cõcoctus. Pituitoſi quidem ut uinũ ſuperpotẽt: ſed qui flaua bile tẽtant̃, acetoſum acreq; bibãt, ne bilẽ augeãt. Oẽs uerò poſt Peponẽ probi alimẽti ac ſucci cibos comedãt, hi em̃ malignitatẽ eius auertũt. Eſt aũt facilis mutationis Pepon: Nã ſi phlegma in corpore offendat, ſeu bilẽ flauã, in eas ſtatim mutat̃. Dulcis uerò bilioſis maximè eſt noxius, & maturus ualde pituitoſis: difficiliusq; qui dulcis eſt digerit̃. Quicũq; aũt calidũ habẽt uentriculũ, & flaua bile infeſtant̃, lędunt̃, ſi uinũ ſuperpotẽt: cùm ſuaptè natura facilè reddat̃, & uinũ mox amplius eã augeat

Peponis uires.

A geat facilitatẽ, acriorẽq; efficiat humorẽ in eiuscemodi corporib. & natu
teæ idoneũ: extenuat quoq; crassos & glutinosos humores. Cõuenit ue-
rò ut pituitosi de pepone id sumãt, quod in eo substãtia molle est & laxũ,
hoc est, quod semini est proximũ, hoc em̃ nõ facilè corrumpit. Qui uerò
hos sumpserint, nõ statim alia cibaria absumãt, nã ea corrũperent immu
tarẽturq;. Tradũt quoq; nõ oportere calculosos panẽ esse cõfestim, ne ui
delicet eius glutinositas in renes protrudat, nisi sit optimè fermẽtatus. A-
ũt nõnulli Pepones lõgiores meliores esse rotũdis, ut qui magis urinã ci
eant, et magis abstergãt. Oẽs aũt uentrẽ ducũt. Quibus aũt uenter magis
subducit, ijs minus nocet. Veneris stimulos & genitale semẽ minuit. Pe-
pon uerò qui Sarracenicus dicit, frigidus est & humidus, utilisq; ad æstu
antes febres: iuuat & uentriculos calidos. Frigidis uerò suo tempera-
mento, & stomacho humidis, admodum sunt noxij.

EXTRINSECVS.

Semina Melonũ, cũ eorũdẽ succo cocta & farina mixta, formata in pa
stillos, & in sole exiccata, ad faciei maculas extergẽdas cũ uino prosunt.

## CVCVMIS SYLVESTRIS.

CVcumis syluestris, Græcis σίκυος ἄγριος, & Elateriũ, alijs Cucumer angui
nus, Vulgò asininus Cucumer. Germa. **Eſels cucumer**. Fructu, Dioſc. descri-
bẽte, à satiuo tãtùm distat, qui multò mi
nor, & glãdibus est longiusculis similis,
ramis folijsq; paribus: radice alba, gran
di, ruderibus sabulosisq; nascit, toto fru
tice amara. Aliqui Cucumin scorpio-
nũ, à radice reflexa in caudæ scorpionũ
formã, appellant. Medicamẽtum ex fru
ctu Cucumeris syluestris, quod Elateri-
um uocãt, cõficiunt hũc in modum: Cu
cumeres elige, qui simulatq; tangunt exi
liunt, & à pediculo recedũt, seruãtur aũt
decerpti nocte una: insequẽte die cribrũ
rarius, neq; crebra habens foramina cra
teri superponito, supinoq; cultro, sursũ
uersus aciẽ habente sigillatim Cucumeres, utrisq; manibus comprehen-
dens diuidito, & per cribrũm in subiectum craterem humorem exprimi
to, simulq; carnosum in eis, quod iã cribro adhæret, exprimito, ut & illud
descẽdat. Quę expressa sunt in appositã peluim inijcito. Coaceruatis aũt
in cribro, quę antè dissecta fuerũt, ea dulci aqua perfundito, cũq; expres-
seris abijcito: humorem pelui agitatũ et linteo opertũ soli exponito, dũq;
stetterit, totã supernatãtẽ aquã, cũ humore cõcreto, percolato: idq; sepius,

Elaterium Cucumis anguinus: Cucumer asininus.

Elaterium.

donec ſupernatans aqua ſubſidat, facito, quam cùm diligenter excolaueris, in mortarium coniectum ſedimentum terito, inq; paſtillos formato. Optimum eſt quod leue, non ponderoſum, leniter humectũ, guſtu amariſſimum, quodq; lucernarum luminibus obiectum facillimè flagret. Porraceum uerò ſcabrum, turbidum, erui cineriſq; plenum, uitioſum eſſe ſolet. C

TEMPERAMENTVM.

Facultas Cucumeri ſylueſtri eſt calfactoria & exiccatoria.

VIRES, INTRINSECVS.

Radicis decoctum datur iſchiadicis, eodem quoq; dentium dolor colluitur. Succus radicis, ſeſquioboli pondere, & cortex acetabuli quarta parte, bilem ac pituitam deijciunt, in hydropicis præſertim. Purgationẽ ſine ſtomachi iniuria molitur hac ratione: radicis ſelibra in duobus uini libycí ſextarijs teritur, ex quo terni cyathi diebus tribus dantur, uſq; quo tumor alui abundè ſubſidat.

EXTRINSECVS.

Succus foliorum aurium dolori inſtillatus medetur. Radix ex polenta illita, omnia uetera œdemata diſcutit. Arida trita, alphos, lepram, & impetiginem abſtergit. Cicatrices nigras & in facie maculas expurgat.

ELATERII VIRES.

Elaterium, teſte Dioſcor. à bimatu ad decennium purgationibus utile. Integra quantitas eſt obolus, minima ſemiobolus, pueris chalci duo; nam copioſius potum periculum adfert. Pituitam & bilem per inferna & ſuperna trahit. Diſpnœicis optimam purgationem præbet. Ad purgationes igitur alui, adiecto ſalis duplo, & ſtibij quo colorari ſufficiat, ex aqua catapotia erui magnitudine dato, moxq; tepidæ aquæ ſorbeatur cyathus. Ad uomitiones ciendas, aqua diluens elaterium, ſubiectas linguæ partes penna penitiſsimè illinito. Sin difficilior ſit uomitus, oleo uel uino unguento diluito: à ſomno uerò qui ſumpſerint abſtinebunt. Si immodica fuerit purgatio, uinum cum oleo mixtum continuò dabitur, ut uomitio ceſſet. Quòd ſi uomitio non deſiſtat, danda erit aqua frigida, polenta, poſca, & quæcunq; ſtomachum denſare poſſunt. Menſes quoq; ciet. In peſſo ſubditum fœtus necat. Cum lacte naribus inſuſum morbo regio medetur: Diuturnis prodeſt capitis doloribus. Angina laborantibus cum uetere oleo, melle aut taurino felle inungitur. D

## FRAGARIA.

Fragaria. FRagaria, Germa. Erdbeer. Apuleius Χαμαιρρόδια dici Græcis eſt autor. Sed diuerſa oportet ſit à Comaro Dioſcoridis lib. 1. quę eſt arbutus, hæc uerò eſt planta. Ruellius Rubi Idæi facit ſpeciem, quod quidem non abſurdum uideretur, niſi Rubus Idæus frutex, Fragaria uerò exilis eſſet herba, neq; caules neq; ramulos habens, ſed ſolùm floribus, foliis & fructu

ctu conſtans. Tria inueniuntur huius genera: duo ſapore grato, tertium uerò minus grato.

Primum quod uulgò Erdbeer uocant, humi ſine caule ſpargitur, multis à radice lanuginoſis pediculis, quorũ alij flore candido coronantur, alij trigemino comantur, folio per ambitũ ſerrato & uenoſo, alij fructum gerũt, exiguis quidem moris haud abſimilẽ, cæterùm ſui generis, ſolidũ, calloſum, tenerum, quum maturuit rubentem, tũ guſtu, tum odore ſuauiſsimum. Radice foris atra aut rubeſcente, intus candida, multo fibrata capillitio. Naſcitur in ſyluis, dumetis & opacis montibus, iuxta uias etiam ſponte. Florem fert uere ac tota deinceps æſtate, in maximã uſq; autumni partem. Fructus uerò æſtatis initio tantùm inuenitur. Tragus à ternis foliis trifolij facit ſpeciem. 1.

Alterum naſcitur genus foliis hirſutis, fructu albicante ſeu ſubrubro, cætera priori ſimile, hoc à foliorum forma Hoxberen appellant. 2.

Tertium locis humidis & pratis riguis naſcitur, ſeptem in caule ueſtitum foliis, flore & fructu puniceo, ſed guſtu inſuaui: radice longa purpurea, geniculata, per terram ſerpente. Nonnulli Heptaphyllon eſſe ſtatuunt. Germa. Sibenfingerkraut. 3. Heptaphyllon.

## TEMPERAMENTVM.

Folia & radix calida ſunt & ſicca. Fraga uerò ipſa ſunt humida & frigida. Omnia autem adſtringendi uim habent.

## VIRES, INTRINSECVS.

Fraga ipſa uel per ſe, uel condita, uel ſtillatitia eorum aqua, præcipuè aduerſus pulmonis & iecoris inflammationem proſunt: ſitim ſedant: totiuſq; corporis calori reſtinguendo conferunt.

Leproſis in die ter trium cochlearium menſura pota aqua ſtillatitia, ad tempus, prodeſt: cor confortat, pectus purgat, regium morbum diſcutit, ſanguinem recentem generat.

## EXTRINSECVS.

Succus foliorum fragariæ, uulnera ardentia ſanat & glutinat: Hulceribus oris & colli gargarizata aqua medetur. Maculas & ruborem faciei frequenter illita extergit.

Nonnulli cum ſale ad oculorum maculas diſtillant: uel in uaſe æneo cum ſale octiduum occludunt.

HEPTA.

# HEPTAPHYLLON.

Hepta-phyllon. Septifoliũ.

Bistorta.

Tormentilla. Ferula.

HEptaphyllon, Septifolium Latinè, à septenario foliorum numero dictum uolũt, quamuis nõ perpetuò sit certum: plerunq; enim quinq; foliis conspicitur. Officinæ Bistortam, sed malè, nominant. De Bistorta uerò cap. de Serpentaria Officinarum actum est. Vulgò Tormentillam uocant. Chirurgis Ferula. Germanis **Tormentill**/ item **Birckwurtz**/ quòd inter Betulas potissimùm inueniatur. Item **Rotheylwurtz**.

Nascitur in syluis inter betulas potissimùm, quinq; folio simillima, quæ interdum septem, sæpenumerò quinq; habet, utrinq; lanuginosa, exigua, serrata, quæ certis interstitijs caulem ambiũt: florem luteum: radicem puniceam ac modicè intortam. Apparet potissimùm cùm uites florere incipiunt.

Differt à Pentaphyllo, quòd Pentaphyllo radix est recta, huic uerò intorta: Deinde etiam loco, ut sequenti capite ostendetur. Non ergo aberrabit, qui Pentaphylli speciem hanc ipsam fecerit. D

TEMPERAMENTVM.

Temperamenti est sicci in ordine tertio, Caliditatis uerò habet exiguum quid, minus tamen manifestum. Nonnulli faciunt frigidam in tertio gradu, sed adstrictio in gustu his aduersatur.

VIRES, INTRINSECVS.

Radicis uiridis & foliorum succus potus, uenenis omnibus intra corpus medetur: contra pestem quoq; prodest, noxios in corpore humores per sudorem educendo. Quòd si uiridis radix haberi nequeat, aridæ pulueris drachmæ pondere in uino sumetur: uel radicis & foliorum manipulus in uino coctus calidus bibetur. Ad prædicta efficacissima est in uino per noctem radix, & folia imbuta, & in Balneo Mariæ distillata. Omnibus membris, radix, folia, succus uel puluis eius prosunt, iecoris & pulmonis obstructiones soluunt: regium morbum, succus præsertim, breui temporis interuallo sanat. Venena ex corpore per sudores educit: Vnde drachma pulueris Heptaphylli cum drachma theriacæ in liquore eiusdem stillatitio, datur ijs quos horror inuaserit, ac incerti fuerint, quod morbi genus immineat: corpore mox ad sudorem contecto & reclinato. Cunctis uenenorum antidotis admiscetur. Omnis item generis alui fluxus, siue per se radix, siue cũ alijs, pro cuiusq; arbitrio, mixta cõstipat.

Ouibus laborantibus est perutilis. Cum uino rubro drachmæ pondere pota radix, omnes similiter sanguinis eruptiones compescit: sin febris adsit, cum aqua in qua chalybs sit extinctus, uel cum stillatitio heptaphylli

A phyllilíquore eſt bibenda. Idem præſtat cum oui uitello, nuce myriſtica & farina ſubacta, & leniter toſta radix, per aliquot ſumpta dies. Cum albo oui ſubacta, & in figlino decocta, datur cholericis, qui uomitu aſsiduè infeſtantur.

EXTRINSECVS.

Vulnera glutinandi facultatem poſsidet. Vulnera reſperſu purgat, ſanat, & ad cicatricem perducit. Foliorum puluis deploratis fiſtulis inſtillatur: oculorum caliginem & fluxus diſcutit. Radix & folia omnis generis tubercula, parotidas, ſtrumas, herpetas, aneuriſmata, papulas, idq; genus, tuſa & illita ſanant.

## PENTAPHYLLON.

Penta-

Pentaphyllon. Quinq; folium. Pentapetes. Chamæzelon.

PEntaphyllon Latinis et Officinis Quinq; folium, à quinis foliis. Germa. **Fünffingerkraut/Fünffblat.** Pentapetes Theophrasto dicitur, & Chamæzelon. Nascitur locis riguis, & iuxta aquæ ductus.

C

1. Pentaphyllon maius duplex.

Duo recẽsentur eius hodie genera primaria: Maius & minus. Maius est duplex: Alterum candido, alterum uerò flore luteo. Ramulos, ut Dioscorides describit, habet festucarum modo graciles, palmũ non excedentes, & in ijs semen, folia menthæ similia, in singulis pediculis quina, rarò plura, per ambitum serræ modo crenata, florem in candido pallidum, uel auri æmulum: quod florem fert candidum, Pentaphyllon maius candidum licebit appellare: quod uerò auri æmulum, Pentaphyllon maius luteum. Germa. **Groß weiß oder rot Fünffingerkraut.** Floret mense Maio & Iunio maximè.

2. Pentaphyllon minus.

Pentaphyllon minus priori non est dissimile, nisi quòd non passim quinq; foliis conspicitur. Est autem haud dubiè, ut præcedenti capite dictum est, Tormentilla quinq; folij species, ut ex foliorum, florum figura, totiusq; herbæ sapore, temperamento & uiribus est iudicare.

Duo Pentaphylli genera innuit Hippocrates: Alterum nigrũ, quod humilius est: Alterum candidum, quod & herbaceum & procerius est à terra, quod Ruellius Heptaphyllon esse censet.

### TEMPERAMENTVM.

Pentaphyllon, maximè uerò radix, est tertij ordinis calfacientium, minimum uerò habet manifestæ caliditatis.

### VIRES, INTRINSECVS.

Pentaphylli cum Heptaphyllo seu Tormentilla uires ad internas corporis partes prorsus eædem.

### EXTRINSECVS.

Decoctum in aqua mulsa, putredinem oris, gingiuas & colli exulcerationem collutione aut gargarismo sanat. Idem præstat liquor stillatitius. Cum aceto cocta radix illita, maligna hulcera, ut fistulas, carcinomata, gangrænas, aliaq; id genus fluentia uitia, curat.

Stillatitius maioris Penthaphylli liquor manuum tremorem fertur pellere, si eo manus lotæ per se exiccentur.

Reliquas cum Heptaphyllo facultates pares obtinet.

## SANICVLA.

Sanicula. Sennicula Diapensia Ferraria minor. Cõsolida minor.

SAnicula à sanandis uulneribus dicta, Veteribus incognita. Vulgò etiam Sennicula. Quibusdam Diapensia & Ferraria minor. Tragus non malè Saniculam Consolidam minorem censet, quam Dioscorides Symphytum petræum uocat: quamuis Symphytum petræum suprà dictum sit herba, quam Germani **Steingunsel** appellant: quam Tragus quòd

quòd non per omnia Dioscoridis descriptioni conueniat, non existimat eiusdem esse Symphytum petræum, sed Symphyti tamen aliquam speciem.

Genera faciunt duo: Alterum quod propriè Sanicula dicitur: Alterum uerò quod Ostrutij est species. Sanicula uera nascitur in syluis & umbrosis locis, folio uitis et apij, rubentibus in fine sectionum maculis quibusdam, surculis quoque rubris ad radicem, quæ multis ei capillamē tis fibrata subest: capitulis in summo frutice pusillis subnigrisq;. German. **Sanickel.** Fuchsius marem uocat, ad differentiam alterius, quam dicit fœminam. Fœminam seu alteram Saniculam in Ostrutio descripsimus, cuius descriptioni propius nonnihil accedit.

TEMPERAMENTVM.

Qualitatis est calidæ & siccæ in secun
B do ordine: adstringit enim cum quadam amaritudine.

VIRES, INTRINSECVS.

Saniculæ uires cum Heptaphyllo propemodum conueniunt. Folia in aqua mulsa cocta & pota, pulmonis uitia sanant, arteriam tracheam aperiunt, aliaq; in corpore damna sanant: hemoptysin & torminа sedāt, ischiadicis prosunt, omnis generis sanguineos fluxus, tam in uiris, quàm fœminis sanant: ac in summa, omnibus intra corpus uitijs folia & radix, sicut Heptaphyllon, medentur.

EXTRINSECVS.

Sanicula recentia uulnera glutinat, unde nomen est sortita: commodè igitur uulneratijs potionibus additur. Ruptis & fractis inter alia utiliter, sicut Symphyton maius, illinitur. Tanta eius in glutinando uis est, ut carnes, ollæ iniecta radix, coalescere faciat.

## PES LEONIS.

PEs leonis, à leonini pedis lata & rotunda foliorum forma herba dicta est. Barbari Alchimillam uocant. Vulgò Planta leonis. German. **Synnaw/Löwentap/Löwenfüß/Vnser frawen mantel/ & Om traut.** Sunt qui Dioscoridis Leontopodion existiment, sed non satis cō modè, ut ex descriptione satis liquet. Nascitur in pratis & locis altis, dodrantalis, foliis latis, crispis & rotundis, octo serratis crenaturis distinctis, non tamen ad pediculos usq;, qui statim è radice exeunt, fissis. Floret mense Maio & sub Iunij profert initium, exiguos & luteos. Radix

*Pes leonis Alchimilla. Planta leonis.*

Leontopodiõ Dioſc. non eſt pes leonis herbariorum.

digito eſt craſsior, ſeſquipalmo longior, & ſubrufeſcẽs. Ex qua deſcriptione manifeſtum eſt pedem leonis hunc, non eſſe Leontopodion Dioſcoridis: cùm Leontopodion herba ſit digitorum binũm, folio paruo, anguſto, digitorum quatuor, triũmue lõgitudine, hirſuto, lanoſioreq; ad radicem, & ſubcãdido, in cacumine caulium capitula tanquam perforata, floribus nigris erumpentibus, ſemen ut oculis poſsit uix deprehendi, propter circundatam lanuginem, radix ſubeſt exigua. Alia quoq; eſt Leontopetalon Dioſcoridis, quam Tragus ſyluestrem herbæ benedictæ credit ſpeciem, de qua ſuprà capite de Caryophyllata.

TEMPERAMENTVM.

Ex ſecundo eſt ordine adſtringentiũ & exiccantium.

VIRES, INTRINSECVS.

Omnibus intra corpus uitijs medendo, Heptaphyllo & Sanicula non eſt inferior, unde ad eoſdem uſus ſumi poterit.

EXTRINSECVS.

Omnis generis inflammationibus, ſiue apertis ſiue clauſis, folia impoſita proſunt: quod liquor etiam ſtillatitius præſtat. Foliorum & radicis cum reliquis uulnerarijs herbis ad potus, pulueres, emplaſtra & unguenta, perinde atq; Saniculæ, eſt uſus.

## EVPATORIVM.

Eupatorium. Hepatorium. Hepatitis. Agrimonia.

EVpatorium ab inuẽtore Eupatore rege dictum, Hepatorium & Hepatitis, quòd hepati præcipuè medeatur. Officinis Agrimonia. Germa. **Odermeng/ Leberkletten/** & **Bruchwurtz**. Torſerunt ſe ueteres Eupatorij nomine: Apuleius cap. 45. Marrubium interpretatur: aliqui conyzam, alij nepetam montanam, in quo adhuc quidam ſunt errore. Verum autem Eupatorium eſt quam hodie uocant Agrimoniam, & **Odermeng**. Herba eſt ſurculoſa, ſimplicis ſcapi, interdum etiam duplicis, tenuis, lignoſi, ſubrecti, nigricantis, hirſuti, cubitalis, aliquando & amplioris, folio per interualla inciſo, & magna ex parte quinq; partito, interdum plurifariam, quinq; folij aut cannabis ſimilitudine, nigro & ipſo, extremitatibus ſerratis: ſemen leniter plumoſum è medio caule circumcirca proſilit, inclinatum in terram, ut cùm inaruerit inambulantiũ quoq;

B

quoq; uestibus adhæreſcat. Quæ deſcriptio per omnia herbæ quam Officinę Agrimoniam uocant, conuenit. Locis naſcitur montoſis, campeſtribus, pratis & circa ſepes. Floret æſtate, quo tempore etiam carpitur. De Eupatorio adulterino peculiari capite eſt actum.

TEMPERAMENTVM.

Tenuium eſt partium: incidit & extergit citra caliditatem manifeſtã, cum modica adſtrictione.

VIRES, INTRINSECVS.

Eupatorium aduerſus iecoris obſtructiones ſoluendas in uino decoctum potiſsimùm bibitur. Stillatitius liquor eius tuſsim mitigat, pectus purgat, icterum morbum pellit, febricitantibus eſt ſalubris, colicæ paſſioni medetur.

EXTRINSECVS.

Folia Eupatorij tuſa cum axungia calida illita, ſugillata & cicatrices reſtituunt, præſertim ſi uulnus malè primùm ſit connexum. Cum furfure albo in uino impuro, ſeu quod ex uaſe effluxerit, coctum donec denſe tur uiride uel aridũ Eupatorium, illitum, luxatis fert opem. Nonnulli in aceto & butyro eadem torrent, ac ſingulari contra luxata experimento utuntur. Liquor ſtillatitius oris hulcera, aliaq; damna ſanat & purgat.

## PILVLAE DE EVPATORIO.

Pilulæ de Eupatorio mirificè prosunt in febribus intermittentibus, bilioſis, morbo regio, iecorisq; obſtructionibus. Confectionem require apud Meſuen.

## SIRVPVS DE EVPATORIO.

Sirupus de Eupatorio frigidis iccoris uitijs, ac eiuſdem obſtructionibus, aquę inter cutem, maloq; corporis habitui ſuccurrit, humores enim craſſos extenuat, roburq; iecori adijcit. Vrinas mouet, et hypochondriorum tenſionem prohibet pellitq;. Compoſitionis autor eſt Meſue.

## TROCHISCI DE EVPATORIO.

Trochiſci de Eupatorio obſtructionem & tumorem hepatis & lienis præter naturam ſanant, ac inde natas febres antiquas, & harum rigorē iterum, ac incipientem hydropem. Formationem pete ex Meſue.

## TRIFOLIVM AVREVM MAGNVM.

Trifolium magnum aureum.

TRifolij nomē pluribus tribuitur herbis: ſuntq; multę eius ſpecies, odoratum, pratenſe, acutum, minus, de quibus ſuo loco: ſimiliter fragariā herbam ex trifolij Tragus facit genere. Præſentem herbam, quam Germani **edel Leberkraut** / & **Guldē klee**/ appellant, Trifolium aureum cū Tragō appellare placuit, cùm nō ſit aliud nomen, quod commodè poſsit attribui. Nō enim eſt Lichen Dioſcoridis, ex nonnullorum ſententia, de quo capite ab hinc ſecūdo agetur. Caulibus naſcitur menſe Martio exilibus, lanuginoſis, palmum altis, folijs primùm Oxytriphylli, paulatim uerò Aſari, niſi quòd ternis inciſuris ſunt diſtincta, ut tria putentur eſſe folia: florem fert Martio ſubcœruleum, Oxytriphylli flore non maiorem, in ſingulis caulibus ſingulos: ſemen fert in capitulis erinacei formam habentibus, aquilegiæ ſimilitudine, Loca amat umbroſa, ac rarò niſi ſatum in hortis conſpicitur.

### TEMPERAMENTVM.

Diureticum eſt & uim habet refrigerandi, ut ex uiribus eius conſtat. Nihil tamen certi de propria qualitate eſt traditum.

### VIRES, INTRINSECVS.

Decoctum foliorum cum uino iecoris obſtructiones aperit, ac præſertim ijs qui nimis ad Venerem ſunt prōpti, & ex ea defatigati, eſt utile.

Vrinam

A Vrinam ciet: renes & uesicam purgat: omnibus internis uitijs est salutaris. Pares liquor stillatitius habet uires.

EXTRINSECVS.

Folia & aqua stillatitia inflammationibus cunctis cum doloris mitigatione medentur.

## OXYTRIPHYLLON.

OXytriphyllon siue Oxys, Trifoliũ acetosum, & Alleluia Officinis. Vulgò Panis cuculi, quòd uel cuculus eo uescatur, uel quòd erumpente hoc cuculus primùm audiatur. Germa. **Büchklee / Büchampffer / Büchbrot / Gauchklee / Guckgauchklee / Hasenklee / Saurklee.** Locis petrosis & aqueis inuenitur. Mense primùm Aprili, & interdum Maio, sub Cuculi primùm auditã uocem prorepit, herba ipsa humilis, pediculis longis, in quorum summo tria, unde Trifolij nomẽ accepit, profert folia, exigua, laciniata in cacumine, sapore acido: florem candidum, inter folia singulari in pediculo prouenientem: semen in siliquis lunatis rufum: radix in transuersum longa, geniculata & rufa. Lotum quidam satiuam appellant, sed an satis bene, incertum: syluas enim & loca umbrosa Oxys amat. Herbæ huius copiosos flores frequentes anni illius pluuias, & inundationes, paucos uerò siccitatem portendere, est obseruatum.

*Oxytriphyllon.* *Oxys.* *Trifolium acetosum.* *Alleluia.* *Panis cuculi.*

B

TEMPERAMENTVM.

Oxys temperamenti est frigidi & sicci, sicut & oxalys, quod aciditas in gustu satis ostendit.

VIRES, INTRINSECVS.

Liquor stillatitius Oxytriphylli, aut foliorum eius decoctum, iecoris æstum sedat, cor confortat, sitim sedat. Omnibus calidis morbis est salu berrimum. Datur ad stomachum dissolutum: edunt & qui enterocelen habent, teste Plinio.

EXTRINSECVS.

Succus Oxytriphylli frigidis nonnullis unguentis, ob facilitatem quã in sanãdo habet, miscetur. Aqua eius cum alumine temperata, oris hulcera collutione sanat. Reliquæ eius cum oxalide facultates sunt eædem.

## LICHEN.

LIchen Græcis & Latinis, herba hæc est dicta, quòd Lichenis, id est, impetiginis instar in humidis & petrosis locis serperet: Vel quòd cõtra Lichenas omnibus alijs remedijs anteponatur. Hepaticam Officinæ & Herbarij uocant, quòd iocinorum fibris similis conspiciatur. Multis

*Lichen.* *Hepatica*

tamen alijs quoq; herbis Hepaticæ nomen tribuitur. Vt Trifolio aureo, Cordiali siue Matrisyluæ, Eupatorio, cui postremo propriè competit. Germa. **Steinleberkraut/ Bruñenleberkraut/ Steinflechten/ Mossflechten.** Nascit locis humidis & umbrosis petris, nonnunquam etiam in gelidorum puteorum lapidib. serpit, folio succi pleno, oblõgo, crasso, sine caule, floribus, & semine: interdum tamen cauliculi adhærent breuissimi pediculorum forma, in quib. capitula stellata, ceu acetabula parua protrudit: Verùm hæc propriè, neq; caules, neq; flores, neq; semina dici merentur.

TEMPERAMENTVM.

Facultatem habet abstergentem ac refrigerantem modicè, resiccantẽ tamen utranq;. D

VIRES, INTRINSECVS.

Viridia folia in uino cocta, aut potui imposita, iecoris & pulmonis uitijs medentur, inflammationes sedant, capitis fluxus ad collum decidẽtes sistunt. Plerisq; ex calore ortis corporis malis sunt salutaria.

Puluis eius per se, aut arida folia cum saccharo alijsq; speciebus condita, ad eadem pollent.

EXTRINSECVS.

Folia cum floribus, omnibus præter naturam inflammationibus imposita, medentur: fluentibus quoq; inflammationibus auxiliantur.

## PVLMONARIA.

Pulmonaria.

NAscitur in quercu arbore, & locis saxosis herba quædam, quam hodie Pulmonariam uocãt. Germa. **Lungenkraut**/uel à pulmonis similitudine, uel quòd pulmonum uitijs præ cæterís sit remedio, quam sub Lichene aliqui comprehendunt, ac speciem eius faciunt, quòd & forma partim sit similis, & uiribus ferè ijsdem. Græcis &

A & ueteribus quo nomine sit appellata, nõ satis adhuc liquet. Herba ipsa folia habet mollia, inuicem incumbentia, laciniata leuiter, catuis multis prædita, superiore parte uiridia, inferiore in luteo albicantia, ac ueluti punctis aut pustulis quibusdam notata, atq; pulmonis humani formam aliquam referentia.

TEMPERAMENTVM.

Temperamento à Lichene parum discrepat: Vim habet desiccatoriam, & calfacit modicè infra media: Vnde ex genere eorum, quæ tepida sunt, censetur.

VIRES, INTRINSECVS.

Pulmonariæ puluis peripneumoniacis, dyspnœicis, asthmaticis, & tussientibus prodest. Similiter stillatitius liquor. Puluerem in hunc modum cõficies: Recipe Pulmonariæ folia arida, anisi semina, pulmonem uulpis in aëre arefactum, semina Fœniculi, Glycyrrhizam, radices Enulæ, & Zingiberis, pari quantitate: tusis singulis & cribro purgatis sacchari optimi pondus cunctis speciebus æquale admisceatur.

Pastores & ueterinarij radicem uel folia cum sale pecori contra tussim & dyspnœam porrigunt.

EXTRINSECVS.

Idem cum Lichene potest.

B

## SAXIFRAGA ALBA.

SAxifragæ nomen pluribus quidem herbis tribuitur: præsenti herbæ, Seseli item Massiliensi, Oenanthe & Adianto, à uiribus nimirũ quibus contra calculum præcipuè ualet. Saxifragam albã hanc præsentem uocant, quam Germani **Hoher oder weisser Steinbrech**, à floribus nimirum quos albos profert. Inuenitur mense Maio, locis saxosis, asperis et harenosis, nec nõ in siccis pratis, foliis humi iacentibus, rotũdis, exiguis, in extremitatibus incisis, sicut Chamæcissi, pinguioribus tamẽ & molliorib. Caulẽ habet iunceũ, pilosum, cubitalẽ, in cuius summo flores sunt candidi, albis uiolis penè similes, qui mẽse Iunio absq; semine decidũt. Radix exilis, cui granula coriandri seminis quãtitatem referẽtia adhærent, partim alba, partim rubra, quibus Officinæ pro semine eius utũtur, gustu amara admodum, quæ etiam sata nouam plãtam ex se producunt. Facit Fuchsius & Saxifragã luteam, de qua in Loto syluestri. *Saxifraga alba.* *Saxifraga lutea.* *Lotus syluestris.*

TEMPERAMENTVM.

Tẽperamenti est calidi & sicci in ordine tertio.

Folia cum radice in uino decocta urinam cient, renes purgãt, renum & ueſicæ calculos pellunt. Ad eadem prodeſt tritum ſemen cum aliis cõditum ſpeciebus. Aqua ſtillatitia ex floribus & radice, menſe Maio ſtillata, gratioris eſt uſus, trium quatuórue cochlearium menſura pota: ſi æger in balneo ſeu decocto maluæ ſimul ſedeat.

Oenanthe Vitis flos.

Filipendula.

Saxifraga rubea.

## OENANTHE.
Saxifraga rubea.

OEnanthe, Latinis Vitis flos, ſecundum Theodorũ Gazam, quòd uidelicet cum uite floreat. Officinæ Filipendulam, à numeroſis & rotundis in radice capitibus tuberibúſue, quæ quaſi ex filo quodam pẽdere uidentur. Item Saxifragam rubeam appellant. German. **Rot Steynbrech** / & **Erdeychel** / quaſi terreſtris glans, minimè tamen Chamædrys, quæ Germa. **Erdeyche** / hoc eſt, terreſtris Quercus uocatur.

Naſcitur locis ſaxoſis & aſperis, ut in montibus, folio Paſtinacæ ſylueſtris, flore menſe Iunio candido, caule craſſo, dodrantali, ſemine Atriplicis, radice magna, è qua multa rotunda capitula, ceu glandes dependẽt. Radix autumni ſub initium colligitur. D

TEMPERAMENTVM.

Calida eſt & ſicca in tertio ordine, quod amaritudo eius uehemens ſatis indicat.

VIRES, INTRINSECVS.

Semen, folia & caulis Oenãthes, in mulſo pota, ſecundas eiiciunt, et partum adiuuant. Cũ uino pota radix ſtranguriã adiuuat, & morbo regio medeẽ. Calculo et doloribus renum prodeſt. Stomachi inflationes diſcutit: conuenit ſuſpirioſis ac anhelantibus, omnibusq; morbis qui ex cauſa frigida ſunt orti. Farina eius cibis mixta, comitialibus eſt auxilio.

## EMPETRON.
Calcifraga.

Empetrõ. Calcifraga. Perforipetra.

EMpetron, quòd in petris naſcatur, dictum. Germa. **Steynbrech** / **Harnkraut** / à facultate quam habet. Latinis Calcifraga, à frangendo calculo, Galli Perforipetram: Sanctones Rumpipetram:

A pipetram: nonnulli Cristam marinam appellãt. Herba est sesquipedalis, geniculatis cauliculis, succulenta, folio marini roris, nisi quòd multo carnosius & rarius, semine corymbis dependentibus, fœniculi effigie, flosculo luteolo, singulari radice, exili & breui, odore gustuq; salsis. Viret perpetuò, floret Augusto. Locis maritimis, & in nudis saxis: quoq; mari fuerit propior, minus est salsa: quò longior, magis terrena & amarior. Hæc Tragus & Ruellius. Crista marina.

Porrò Dioscorides duobus locis lib. 4. Empetri meminit. Primùm in ca. 14. ubi Saxifragam appellat, quod caput Ruellius non genuinum putat, sed nullis rationibus, existimatq; Saxifragam eam esse quam Saluiã uitam uocant, quę est eadem cum Adianto seu Capillo Veneris. Fuchsius quoq; Saluiam uitam seu Adiantum candidũ pro hac Saxifraga Dioscoridis ponit, unam solummodo Adianti relinquẽs speciem, nigrum uidelicet. Deinde etiam Empetrum describit cap. 161. circa finem libri 4. de quo adhuc est controuersia, num cum priore sit idem uel diuersum. Ruellius eo ipso loco præterit: sed in suis additionibus eius mentionem facit, ac eandem cum præsente nostra herba facit, cuius sententiæ placuit subscribere. Dioscor. etiam Phacoides uocat.

TEMPERAMENTVM.

Temperamento est sicco, ac præcipua eius contra calculum uis est.

VIRES.

In mulso decoctum calculum pellit: phlegma & choleram, lentosq; et uiscosos uentriculi humores ducit: aqua intercute laborãtibus auxiliat.

## ADIANTVM, POLYTRICHON.

Album.

Nigrum.



ADiantum, ut scholia Nicandri testantur, est dictum, παρὰ τὸ μὴ διαίνεσθαι καὶ βρέχεσθαι ὑπὸ ὕδατος καὶ ῥεύματος, hoc est, quòd non humectetur, aut irrigetur à pluuia aut rore: foliis enim eius aspergo non adsidet. Adiantum

Duum

Duum est generum: Candidum & nigrum. Vtrunq; Polytrichon, Callitrichon, & Capillus Veneris, ltẽ Circinnalis, Terræ capillus & Supercilium terræ appellatur. Polytrichon à multis capillis, Callitrichon à pulchris, quòd multos & pulchros capillos faciat, Ebenotrichon quoq; quasi Ebeni capillus. Ex filicum genere est ferè minima.

*Polytrichum.* *Callitrichum.* *Ebenotrichon.*

1. *Adiantum nigrum.*

Adiantum nigrum, quod Dioscorides tantùm describit, foliis nascitur pusillis, coriandro iam primùm erumpenti, uel paulò antè enato, sed nõdum caulescenti similibus, in summo incisuris diuisis: coliculi ex quibus folia enascuntur, sunt nigri, admodum tenues, dodrantales & nitentes, neq; florem, neq; fructum proferunt, radix ferè nulla. Germa. **Frawen haar/Jungkfrawen haar.** Nigro hoc diu caruimus, sed copiosissimè hodie à Pharmacopolis affertur, ac Capillus Veneris ijs appellatur. Nascitur autem locis opacis, palustribus & humentibus, muris fontibusq;: Floret æstate, & uiret per totam quoq; brumam: nec ulla aqua madescit.

*Capillus Veneris.*

2. *Adiantum album. Saluia uita.*

Adiantum album seu candidum sic dictum, quòd coliculi eius sint respectu nigri cãdidiores, estq; ea quam Saluiam uitã appellant, ac à Fuchsio cap. 279. pro Saxifraga seu Empetro Dioscor. lib. 4. ca. 14. ponitur, ut præcedenti capite est ostensum. Germa. teste Trago, **Maurrauten/ Steynrauten/** & **Eselsfarlin** appellant, quòd nimirum onysci iuxta illius cespites in humidis muris agant. Non multum, ut præcedenti capite est dictum, ab Dioscor. Empetro circa initium lib. 4. discrepat. Nascitur in saxis & locis asperis, circa uetusta ædificia & muros. Frutex ipse est surculosus, saxis hærens, iuncis tenuibus, epithymi non dissimilibus, nigris, brcuibus, foliis Trichomanis, maioribus, interius leuibus, auersa uerò parte annexa puncta habentibus, sine flore, semine, radice nigra, superuacua. Hæc descriptio optimè cum Adianto candido conuenit.

## TEMPERAMENTVM.

Adiantum mediocriter est calidum & frigidum: æquam enim frigiditatis & caliditatis temperaturam habet. Exiccat, extenuat, & discutit.

## VIRES, INTRINSECVS.

Adiantum in uino aut aqua mulsa decoctum, aliquot dies potum, iecoris obstructiones aperit, ictericis prodest, nec nõ dyspnœicis, asthmaticis & felle suffusis, pulmonem & pectoris hulcera purgat, splenis tumorem emollit, melancholiam per urinam expellit, calculum mouet, uenena & menses educit. Contra idem, decoctum, puluis, confectio aut sirupus eiusdem ualet: omnes alui fluxus constipat: æstum iecoris sedat. Gallinaceorum & coturnicum cibis additum, pugnaciores, teste Dioscoride, eos facit.

## EXTRINSECVS.

Cruda herba ad uenenatorum morsus illinitur. Cum lixiuio alopecias capillis explet. Strumas discutit, furfures & achores exterit.

Cum ladano, myrrhino, & susino, aut hyssopo uel uino, capillos defluentes

A fluentes continet. Decoctum eius cum lixiuio & uino, idem præstat.

## TRICHOMANES,
Polytrichum Officinarum.

TRichomanes, Latinis Capillaris, Adiantum rubrum. Germanis **Rot Steinbrech**/& **Abthon**/ **Steinfarlin**/**Stemfeder**. Trichomanes dictū, quòd raritatem capillorum expleat. Officinis Polytrichon, quod nomen omnibus Adianti speciebus est commune: sicut Adianti etiam species est Trichomanes. Vnde quibusdam etiam Adiantum dicitur, & Capillus Veneris. Tragus caput Trichomanis in Dioscoride ab Adianto non separādum censet, cùm descriptio & facultas eius cum eodem conueniat, ac Aegineta etiam uno capite Adiantū & Trichomanes absoluerit. Nascitur ijsdem locis quibus Adiantum, filici similis, propter quod Filiculam aliqui dicunt, parua admodum folia ex utraq; parte ex ordine quodam iuncta habet, tenuia, lentis figura, contraria inuicē, in ramulis tenuibus, splendescentibus, & subausteris. Quę descriptio Polytricho Officinarum per omnia conuenit. Plinius etiam Saxifragum B uocari, q̄ calculum frangat, scribit. Quod uocabulum latè extenditur.

*Trichomanes. Capillaris Adiantum rubrum. Polytrichon Officinarum.*

*Filicula.*

### TEMPERAMENTVM, ET VIRES.

Temperamentum cum Adianto prorsus habet idem: est enim in medio caloris & frigoris: desiccans, extenuans, & digerens. Vires quoq; cū Adianto pares obtinet, in cuius inopia hoc uti maximè licebit. Aniculæ ad magicas quasdā superstitiones ea utunt̄, nomen ei indentes **Abthon**.

## POLYTRICHON APVLEII.

Polytri-

Polytrichon Apuleij.

POlytrichum Apuleij cognominatur, ad differẽtiã Polytrichi, quod C describit Dioscorides, Adianti nimirum. Sic dictum à tenuibus & capillis similibus ramulis. Germ. **Widerthon/guldiner Widerthon.**

Tria numerat eius genera Tragus: Maius, minus, & minimum, forma similia ferè, nec nisi sola magnitudine differentia. Nascuntur in pratis humidis & uliginosis, ramulis capillorum instar tenuibus, aureo colore fulgentibus, circa quos capillacea folia multa: in summo capitula lẽtis aquaticæ similitudine ferè conspiciuntur, eiusdem cum ramulis coloris. Reperiuntur autẽ mense Iulio locis muscosis seu uliginosis: nec sunt aliud nisi flos quidam uliginis.

Tragus in Dryopteri herbam quandam describit, quæ cauliculis nascitur copiosis ex radice uillosa, tenuibus, absq; foliis, digitali longitudine, adianti candidi modo: in ramulorum seu coliculorũ summo capitula habet curua, cornu modo, setas porcinas referentia, maculis interdũ purpureis conspersa: odore filicis: Nascitur in petris. Atq; hoc ipsum ex Polytrichi speciebus esse censet. Et descriptio enim ad Polytrichõ Apuleij accedit, & uires cum eo & adianthi speciebus sunt eædem.

**Steynfarn** eam appellat, quòd ex petris D nascatur, ac inter filices eam describit, capite nimirum 184. Polytricho Apuleij annumerãdam putans.

TEMPERAMENTVM.

Temperamentum habet idem cum Adianto, & Trichomane, ac ijsdem quoque uiribus polet.

VIRES.

Polytricho hoc, sicut Trichomane, ad magicas potissimùm superstitiones & philtra, mulierculæ utunt: hoc **Widerthon**/ illud uerò **Widerthon** appellantes. In summa, eadem potest quæ Adiantum.

Decoctum in aqua uel lixiuio alopecias capillis explet.

Potum uiscosos & crassos è thorace & pulmone humores eijcit.

Calculum frangit, Vrinas ciet. Ictericis & lienosis auxiliatur: strumas discutit. Miras & ridiculas alias ei uires agyrtæ adscribunt.

## LITHOSPERMVM.

Lithospermum. Milium solis.

LIthospermum, quasi dicas, Lapideum semen, à seminis duritia. Vnde Germa. **Steinsamen/Meerhirsen.** Gall. *Gremil.* Officinis Milium solis, à seminis candore & splendore. Nascitur locis asperis & subli mibus, solo macro, aliqui Aegonychon & Diospyron, ac Semen leoninum

num uocant. Folia habet oleæ similia, sed longiora, molliora & latiora, iuxta radicem humi iacentia, ramulis rectis, tenuibus, crassitudine acuti iunci, ualidis, surculosis, in quibus summis bifidi diuaricatiq; exortus cauliculorum speciem exhibent, longa habentes folia, inter quæ semen lapideum, rotundum, paruum, rotunditate, & candore margaritas referens: radix extrinsecus rubra. Plinius nihil maiore miraculo & admiratione, atq; hanc herbã describit. Floret autem ac semen profert Iunio & Iulio.

Præter hoc aliud syluestre Lithospermon describit Tragus, quod Linguam passerinam uulgo dicit uocari, cauliculo assurgit singulari, tenui, cubitali, foliis lini, inter quæ nigrum fulgens semen, Lithospermo forma prorsus simile. Differentiæ gratia Lithospermum nigrum uocari poterit, prius uerò Lithospermum album. Germa. **Schwartz Meerhirsen.**

*Lithospermon syluestre. Lingua passerina.*

*Lithospermum nigrum.*

B

TEMPERAMENTVM.

Seminis maximè est usus, estq; calidum & siccum, sicut omnia diuretica.

VIRES, INTRINSECVS.

Tritum semen in uino potum, calculum uesicæ frangit, & efficaciter pellit.

EXTRINSECVS.

Decoctum seu balneum ex foliis Lithospermi, calculi dolorem mitigat. Ac plurimum ad calculum pellendum ualet. Est enim expellendi facultate & natura præditum.

## FILIX.

Filix Græcis πτέρις uel πτέριον, à forma alarum auium, Germa. **Faren/ Farnkraut.** *Filix.*

Duorum est generum: Mas & fœmina. Mas Dioscoridi simpliciter 1.
Pteris dicitur, Germa. **Farn/ Groß farn.** Gall. *Osmunda regalis, Fougere.* *Filix mascula.*



2. Filix fœmina prima.

Nascitur passim in montibus maximè, syluis, locisq; saxosis, foliis sine caule, sine flore, sine semine, ex uno pediculo cubitali exeuntibus, incisis, alarũ auium modo explicitis, odore subgrauibus. Radix in terræ superficie, foris nigra, crassa, oblonga, adnascentias habens appendices ue multos. German. **Groſſarn**. Etiamsi autem ueteres negent filici esse semina, Hieronymus tamen Tragus, ut singulari harum rerum studio & diligentia tenetur, se aliquoties noctu in Vigilia Diui Ioannis, substratis filici linteolis aut Verbasci foliis, semina collegisse exigua, papaueris instar, affirmat. De radice quoq; filicis, præsertim masculæ, scribit eam dissectam, utrinq; figuram geminæ aquilæ, fibris seu uenulis interiore parte, sic à natura dispositis, exhibere.

Filix fœmina Dioscoridi Thelypteris, hoc est, fœmella filix, Ger. **Waldfaren/Roſſfaren**. Duo sunt eius genera: Primum quod Dioscoridi describit. Nascitur iisdem locis quibus mas, eidem similis, nisi quòd folia adnascentibus ramulis adhærent, non sicut illa ex singulari tãtùm uno pediculo enascuntur: Radix longa, obliqua, in nigro subflaua, aliquando tamen rubescens. Aliqui hanc nymphæam pterin appellant. Sues filice pinguescunt. Fimo iniecto, quod mirum, marcescit. Vnde facilè satu & stercoratione perimitur. Arundine sectas filices nõ renasci aiunt, aut exaratas, uomeri arundine imposita: similiter arundinem exaratam, filice uomeri imposita. Effodi debent autumno, Vergiliis occidentibus: estq; radicis usus in trimatu, neq; antè, neq; pòst.

Nymphæa pteris.

Filix fœmina altera.

Fœmina altera, priori quadantenus similis, sed caulem habet longum uirentem, ex quo folia utrinq; alarum similitudine enascuntur, incisa & distincta, sicut folia polypodij: Flos candidus, copiosus, sicut in pycnocomo, qui circa cal. Iul. decidit. Radix densa, nigra, uillosa. Rarum est hoc alterum genus fœminæ, & paucis cognitum. Fœmina altera dici poterit, Nascitur in montibus nonnullis.

TEMPERAMENTVM.

Natura est ijs calfaciendi & exiccandi, quod amaritudo in gustu indicat.

VIRES, INTRINSECVS.

Masculæ filicis radix drachmarum quatuor pondere cum aqua mulsa pota, latos lumbricos pellit. Melius autem si cum Scammoniæ aut ueratri nigri quatuor obolis detur. Allium tamen præsumpsisse oportet. Radix in uino cocta splenis dolori medetur.

Radicis fœmellæ puluis trium drachmarum pondere in uino potus, aut aqua mulsa, latos lumbricos pellit. Mulieribus data sterilitatẽ facit.

Prægnans

A Prægnantes abortire facit. Radix linguæ prolapsi in morbum equi subiecta, resurgere equum facit, & sanitati eum restituit. Aluum tenera folia emolliunt.

EXTRINSECVS.

Trita masculæ radix cum axungia illita, aculeos infixos extrahit, & uulnera ab ijs facta sanat. Præstantissimum ex eadem contra omnis generis factas adustiones, uel igni, uel feruente aqua, uel oleo, unguentū, hunc in modum conficitur: Radicem filicis masculæ tundito, ac succum ex ea exprimito, quod si sicciorsic fuerit, stillatitium rosarum, fimi uaccarum, aut florum tiliæ succum admisceto, uel fontanam simpliciter aquā. Hoc nihil aliud contra adustiones præstātius. Radicis fœmellę puluis omnia uetera damna exiccat & sanat. Iumentorum quoq; læsionibus eodē modo adhibetur. *Adustiones.*

## POLYPODIVM.

B

*Polypodium. Filicula. Felicula.*

POlypodion à radice quæ polypi modo cirros habet, nomen tenet. Latinis & Officinis Filicula, à filicis similitudine. Germa. **Engelsüß/ Dropffwurtz.** Cato Feliculam uocat. Nascitur in muscosis petris, & uetustis roborum truncis, palmi altitudine, filici similis, subhirsuta, minus tenuibus incisuris, radix pilosa, cirros polyporum more habens, minimi digiti crassitudine, quæ rasa intus uiridis est, acerba, gustu subdulcis, parte auersa folia fuluis maculis notata, sine semine. Radicis tātùm est usus, quæ in fine Augusti carpitur. Est ex filicis genere, ac quibusdam etiam **Süßfaren/** & **Steinfaren** dicitur, diuersum tamen à Trichomane, quod **Steinfarlin** nominatur.

TEMPERAMENTVM.

Qualitas Polypodio est admodum desiccans, sed absq; morsu.

VIRES, INTRINSECVS.

Radix Polypodij in Gallinaceo iure cum Anisi semine & Zingibere cocta, calida ieiuno pota stomacho, flauam & atram bilem unà cum uiscosis humoribus educit. Nonnulli ad hoc ipsum utuntur beta siue malua: Aliqui sumunt Cuminum Romanum, Fœniculi & Anisi semina, Polypodium & Zingiber concisum, pari singula põdere, & cum ueteri gallo coquunt. Vtilissimum est hoc decoctū colica passione & torminibus laborantibus. Eadem præstat puluis drachmæ pondere ieiuno ad tres uel quatuor horas stomacho cum aqua mulsa potus. Liquor eius stillatitius quartana febri laborātibus, per aliquot potus dies, est utilis: similiter & tussi, dyspnœa & peripneumonia infestatis: ijs quoq; qui à melancholia & grauibus insomnijs uexātur. Suibus radix in cibo data, à peste & contagio eas conseruat.

EXTRINSECVS.

Radix cum melle illta, rimas manuum & pedum sanat.

## DRYOPTERIS.

Dryopteris.

Osmundula.

DRyopteris, Latinè Quercina filix. Germ. **Eych faren/Baumfaren/Wildfaren/Erdfaren.** Nascitur in antiquis & umbrosis syluis, in quibus annosæ fuerint quercus: minimè uerò in piceis & abiegnis syluis prouenit: in muscosis uidelicet antiquarũ quercuum partibus, filici simílis, sed minore multò foliorum incisura, radicibus inuicem implicitis, hirsutis, gustu adstringẽte, subdulcibus. Galli *Osmundulam* uocant.

TEMPERAMENTVM.

Temperamentum cum reliquis filicibus est simile.

VIRES.

Folia cum radice tusa & illita frequenter, capillos pellere & alopecias efficere, autor est Dioscorides. Vsus eius idem cum reliquis filicum generibus, ob gustus affinitatem esse poterit.

## PHYLLITIS,

siue Lingua ceruina.

Phyllitis. Hemionitis. Lingua ceruina.

DE Lingua ceruina uariæ sunt autorum sententiæ. Nonnulli enim uolunt Dioscoridis esse Scolopendrion, siue Asplenon, sed minus rectè: alij, quorũ uerior est sententia, Phyllitin siue Hemionitin Dioscoridis statuunt, ut nimirum phyllitis & hemionitis pro eadem herba sumantur, quod descriptio & uires utriusq; satis arguunt. Proinde Phyllitin & Hemionitin Dioscoridis eãdem dicemus herbam, Linguam ceruinã uidelicet, quæ German. hodie appellatur **Hirßzung.** Quid uerò sit Scolopendrion siue Asplenon, pòst dicetur. Dicitur eadem Splenion, hoc est, Splenetica, quòd spleni potissimùm medeatur: quæ appellatio communis est ad hanc & ad alteram, Scolopendrion uidelicet. Hemionitis dicta, quòd mulæ potissimùm ea delectentur. Phyllitis itaq;, Hemionitis, Splenion, & Lingua ceruina idem sunt, Germ. **Hirßzungi**

Splenion.

Scolopendriõ Officinarum.

Officinæ uerò Scolopendrion uocant & Ceterach, Doratam, Spicantum, & Filicem petręam.

Nascitur

A Nascitur locis umbrosis, montosis, & petrosis. Folium habet Dracũculo uel Aro simile, instar lunæ corniculatæ crescentis falcatum, rectum assurgens, à tergo pensiles quasi teretes uermiculos ostendens: neq; caulem, neq; florem, neq; semen habet. Radices subsunt multæ, tenues. Plinius Teucrion appellat, diuersam natura herbam.

TEMPERAMENTVM.

Calfacit in ordine primo, exiccat uerò in secundo.

VIRES, INTRINSECVS.

Folia in uino decocta, pota, morsis à serpentibus medentur, ac pecori uulnerato utiliter infunduntur. Alui dolorem ac Diarrhæam, calidum idem decoctum sumptum sedat. Cum aceto hausta lienem liquant. Stillatitius eius liquor cor confortat, singultum reprimit.

EXTRINSECVS.

Contra uuulam decidentem aqua eius utiliter gargarizatur. Cũ cannabi eadem imposita, æstum ac calorem uentriculi & iecoris expellit. Omnia damna corporis, si ea abluantur, purgat & sanat. Tradunt colligenda folia nullo apparente in cœlo lumine post uel ante solis exortũ, sic enim efficaciora esse.

## SCOLOPENDRION, siue Asplenum.

*Scolopendrium. Asplenum*

DIcendum iã de Scolopendrio, siue Asspleno, quoniam nonnulli uolunt hanc esse Linguam ceruinam, ut in præcedente capite est dictum. Scolopendria dicta est à Scolopendra insecto, cui similia folia habet. Est autem Scolopendra uermis, Germ. **Nõssel**/multis pedibus, quibus non aliter atq; nauis remigio suo, uelut Nicander autor est, progreditur. Vnde etiam Ger. **Nõsselfahrn**/ hæc herba dicitur. Splenion quoq;, Hemionium, & Asplenon, quasi dicas sine splene, quia splenem liquat.

*Scolopendra insectũ quale.*

*Splenium Hemionium.*

Duo sunt eius genera: Primum quod maius appellat, Ger. **Waldhirtzzungen**. Nascitur in syluis ac mõtibus opacis & humidis, foliis, sicut phyllitis, lunatis, multis, sed angustioribus, utrinq; ad imũ usq; ad mediam eius fibram incisis, quę

1. *Scolopendria uera seu maior*

per terram ſparſa iacent: Menſe uerò Iunio alia è medio folia producit, C erecta, prioribus arctiora & magis diuiſa, maculis, ſicut Polypodium, aſperſa flauis. Hæc autumni tempore pereunt, ac quæ prius enata fuerũt manent, perq; totam uirent brumam. Radix nigra, capillis multis ac frequentibus compacta uelut ceſpite quodam. Rarum eſt hoc genus inuentu: copioſè autem locis quibus inuenitur prouenit. Et hæc eſt uerum Scolopendrion ſiue Aſplenon Dioſcoridis, quod maius licebit appellare.

2. Scolopendrium minus ueterum Splenion.

Altera Scolopendriſpecies eſt minor, quam uerum Splenion, quo pro Scolopendrio ueteres ſunt uſi, Tragus dicit, Germanis **Milzkraut**/ ſicut Græcis Splenion. Dictum eſt enim, Splenion eſſe commune huic & Phyllitidi uocabulum. Naſcitur in montibus, ſaxorum rimis, & locis aſperis, foliis digitali longitudine, ſcolopendræ animalculo ſimilibus, multis, inciſuris Polypodij, ſed breuioribus anguſtioribusq;, ſupernè uirentibus, circa terram uerò ſubflauis & aſperis, quaſi puluere obſitis. Radix nigra & uilloſa.

## TEMPERAMENTVM. D

Temperamentum cum phylliti habet idem: calidum in primo, & ſiccum in ſecundo ordine.

## VIRES, INTRINSECVS.

Scolopendrium ſiue Aſplenon eaſdem contra lienem extirpandum cum phyllitide habet uires, ad dies quadraginta potum, & extrinſecus lieni impoſitum.

Decoctum in uino iecoris & ſplenis obſtructiones ſoluit, regiũ morbum pellit, calculo ueſicæ & renum medetur: Quartana febri laborantibus auxiliatur: Atram enim bilem eijcit. Sanguinis grumas, ex lapſu uel aliunde circa pectus collectas, diſcutit. Stranguriam adiuuat.

Hæ uires Scolopendrio potiſsimùm minori conueniunt: Phyllitidi tamen à nonnullis etiam adſcribuntur.

Liquor eorum ſtillatitius potus, ſicut etiam Phyllitidis, cor cõfortat, & ſingultus ſedat.

## EXTRINSECVS.

Quæ de Phyllitide dicta ſunt, eadem huc referenda ſunt: ſiquidem pares cum ipſo ad externas corporis partes uires obtinet.

# PETASITES.

Petaſites,

PEtasites, Ger. **Pestilentzwurtz.** Petasites. Petasites à forma, quòd petaso, hoc est, pileo foliũ eius sit simile. Germanicum à uiribus quibus contra pestem, febresq; pestilentiales ualet, nomen accepit. Itẽ **Petasiten heublin.** Petasites, ut describit Dioscorides, est pediculus cubito maior, crassitudine pollicis, à quo prægrande folium, galeri modo amplum, ceu fungus dependet. Primo uere spicam longam purpurascentibus floribus plenam producit, qui lappularum aliquam habent effigiem, sed reuera lappæ non sunt. Mediam tenet inter Personatiam & Bechion figuram, folia tamen huic quàm Personatiæ rotundiora. In pratis humidis & iuxta riuulos copiosissimè nascitur.

TEMPERAMENTVM.

Ex tertio est calfacientium ordine, ac mirificè uenenis resistit.

VIRES, INTRINSECVS.

Radix in puluerem redacta, sumpta cum uino, pestilentialibus febribus mirificè confert: sudorem ciet: Mulieribus contra tormina & præfocationes uteri, utiliter bibitur. Lumbricos necat: dyspnœicis prodest: Vrinam & menses ducit.

EXTRINSECVS.

Ad uulnera præhumida & reliquas cutis fœditates oleum ex radice illinitur: febricitantibus, si cutis ante paroxysmum eo perungatur, est utilis: similiter neruis & membris frigefactis.

## BECHION.

BEchion Tussilago Latinis. Sic dicta, teste Galeno, quòd credita sit tusses & orthopnœas iuuare & curare: βὴξ enim βηχὸς tussim significat. Vulgò Vngula caballina, ab equinæ ungulæ similitudine. Item Chamæleuce, id est, humilis seu alba populus. Chamægyris, hoc est, humilis uel terrestris populus nigra, Farfarella, Farfarago, German. **Hüfflattich/Brandtlattich/Roßhüff/Eselshüff.** Tussilago. Vngula caballina. Chamæleuce. Chamægyris. Farfarella. Farfarago.

Folia habet à radice prouenientia sex aut septem, maiora nonnihil foliis hederę, à terra subalbida, supnè aũt uirẽtia, in plures exeuntia angulos. Caulis palmũ altus, flos in uere luteus: confestim uerò flore & caule

exuitur, unde quidã sine caule nasci exi- C
stimauerũt. Fugacissimi enim sunt eius flores & caulis, ac longissima ferè eorũ duratio est biduum: unde non facilè à quibusuis, nisi medio fortè uere oblato contingit conspici. Quæ causa uidetur cur Plinius absq; caule & flore scribat nasci: nec, ut quidam uolunt, aliter à Plinio quàm Dioscoride est descripta. Locis nascitur aquosis & circa fontes. Flores colliguntur in Aprili, quo tempore conspiciuntur, ac subitò euanescunt, radice & foliis manentibus toto reliquo æstatis tempore.

TEMPERAMENTVM.

Folia uiridia & recentia sunt frigida & humida: arida uerò sunt calida: tum enim sunt acriora.

VIRES. INTRINSECVS.

Stillatitia aqua tussilaginis omnes in- D
ternas iecoris inflãmationes sedat, quatuor cochlearium mensura pota, & cor-
pori extrinsecus cum panniculo adposita. Eodem modo uentriculi inflammationibus subuenit, ardentesq; febres pellit.

Maiores autem aquæ sunt uires, si admisceantur flores Sambuci, & folia Solani, ac simul cum tussilagine distillentur.

Folia arida incensa, Dioscor. teste, si fumus hianti ore excipiatur, sicca tussi & orthopnœa laborantibus sunt auxilio.

Radix in aqua mulsa cocta, & pota, fœtus mortuos expellit.

EXTRINSECVS.

Tussilaginis folia, succus, stillatitia aqua, præsertim floribus Sambuci & Solani foliis, ut dictum est, admixtis, cunctis inflammationibus & ardoribus hulcerum pestilẽtialium, erysipelati, mariscis, adustionibusq; igni factis impositа medentur.

Capitis & ardentium febrium calori mirè quoque conferunt folia.

Illita stillatitia aqua idem præstat: ac præsertim mulieribus ex locis occultis laborantibus est utilissima, si locum hac aqua primùm eluant et purgent, madefactum dein panniculum imponant.

## ANGELICA.

Angelicam

A ANgelicam Cordus censet Smyrnion esse Dioscoridis, Sed cũ Smyrnij descriptio propius accedat ad eam quã **Meysterwurtz** uocãt, de qua paulò pòst, uidebit potius ad eam ipsam Smyrnij appellatio esse referẽda. Præsens aũt herba, quam cõmuni omnes nomine Angelicã uocãt, ad quam Dioscoridis debeat aut possit cõmodissimè referri, non satis cõstat. Proinde relinquemus eã iam tãquam peculiarẽ & sui nominis herbã, donec certus aliquis ei locus in Dioscoride, descriptioni eius conueniens, ostendi possit. Tragus omnino existimat Panax esse Heracleum Dioscoridis, idq; ob formã, odorem & uires: siquidem Ligustico colore nõ est dissimilis, odore uerò optimo thuri: dein tã folia quàm semina & radices aduersus uenena pollent. Latinis hodie Angelica & Sancti spiritus radix communi consensu appellatur. Germa. **Angelic**/& **Heyligẽ Geystswurtz**/& **Brustwurtz**. *Panax Heracleũ*

B

Duo sunt eius genera: Mitior & syluestris. Vtraq; caulem duorũ fert cubitorum, concauũ, folia oblonga, per ambitum serrata, flores in purpura candidos, semen latum, foliaceum: radicem crassam & multam, foris nigricantem, intus candidam. Mitior autẽ radicem habet ualde odoratam, Germa. **zam Angelic** dicitur. Syluestris uerò suaui etiam, minus tamen quàm mitior, est odore. Germa. **wild Angelic**. In hortis & montosis locis proueniunt. Florent Iulio & Augusto.

TEMPERAMENTVM.

Calida est & sicca in gradu tertio: aperit, extenuat & discutit.

VIRES, INTRINSECVS.

Præcipuas aduersus uenena uires habet, sanguinẽ discutit, & corpus calfacit.

Aqua

Aqua ex radice ſtillata, iiſdem uiribus eſt prędita. Mirè confert peſtis & contagio, repentinis item febribus aut ſudoribus puluis eius ſemidrachmæ pondere cum drachma theriacæ in quatuor aquæ eiuſdem ſtillatitiæ cyathis ſumptus, contecto & ad ſudorem reclinato corpore. In theriacæ inopia puluerís integra drachma ſumi poterit. Aduerſus peſtilentem aërem in aceto radix imbuta naribus admota, aut quandoq; ieiuna pota ualet plurimum. Tormina ex frigore nata aqua angelicæ aut radicis puluis, ſi non adſit alui obſtructio, ſedat. In ſumma, aqua ſtillatitia & puluis radicis omnibus internis corporis uitiis medetur. In pleuritide datur utiliter. Ruptis & pulmonis uitiis eſt utilis, tormina diſcutit, ſtrangurìam adiuuat, fœtum & menſes educit, omnesq; internos tumores diſcutit. Ad eadem radix in uino aut mulſo decocta, ægrotantibus commodè datur.

EXTRINSECVS.

Canis dentibus infuſus ſuccus, fluxus eorum compeſcit. Auribus aqua indita eſt auxilio. Caliginem oculorum emendat. Rabidi canis morſibus cum pice radix illinitur. Veteribus profundis uulneribus, aqua, ſuccus & puluis inſtillata, purgant, & carnem regignunt. Coxendicum dolori & podagricis aqua cum panniculo impoſita fert opem: lentos enim & uiſcoſos collectos humores conſumit. Multæ aliæ huius uirtutes ex prædictis colligi poſſunt. Semen pariũm cum radice eſt facultatum. Sylueſtris in uirtute eſt debilior, ac in uino potiſsimùm ad recentia & uetera hulcera extrinſecus ſananda decoquitur.

Liguſticũ

Leuiſticũ

Panaced.

## LIGVSTICVM.

LIguſticum, Græcis λιγύστικον. Galeno mutatione unius literæ λιβύστικον. Germa. Liebſtöckel. Gal. Leuceſſe. Officinis Leuiſticum. Liguſticũ à Liguria, ubi plurimùm naſcitur, dictũ. Variant de hac herba autorum ſententiæ. Fuchſius Dioſcoridis eſſe Smyrnium ſtatuit: Quid uerò nos cenſeamus Smyrnion, paulò pòſt dicetur. Nos cũ Trago Liguſticum & Leuiſticum appellamus, cùm deſcriptio Liguſtici apud Dioſcoridem proximè ad hanc herbam accedat. Panaccam item & Panacen appellari tradit Dioſc. quòd radice & caule ſit heracleotico Panaci ſimile. Naſcitur in hortis paſsim hodie,

A die, locisq; humidis: Cauliculum, ut describit Dioscor. fert anethi, geniculatum, tenuem, foliis per ambitum Sertulæ campanę, odoratis tenuioribusq;, prope uerticem gracilioribus & longè magis diuisis: in cacumine muscarium, in quo semen dependet nigrum, solidum & oblongum, fœniculo proximum, gustanti acre & aroma olens: radix pallida intus, extrà nigra, acris, odorata, tenera, succosa, fauces mordens. Dioscorides uerò radicem dicit candidam, quod de syluestri est intelligendum. Præterea quod ad folia attinet, quæ Meliloti seu Sertulæ campanæ facit Dioscorides, nostrum hodie Leuisticum ab descriptione uariat, quod causæ est cur Ligusticum Dioscoridis esse aliqui negent. Sed multos in Dioscor. similes errores est deprehendere, ut propterea non uideatur nostrum Leuisticum à Ligustico separandum, cùm reliquæ eius notæ uiresq; respondeant.

Syluestre ligusticum sunt qui uelint esse Hippomarathrum Dioscoridis, de quo in Fœniculo.

## TEMPERAMENTVM.

Qualitatis est siccæ & calidæ in ordine tertio.

## VIRES, INTRINSECVS.

Radix arida tusa stomachum calfacit, concoctionem adiuuat, superB fluos humores discutit: omnes internos dolores in uino semidrachmæ pondere pota, sedat: uenena expellit: urinam & menses ciet, ijsdemq; cũ Angelica pollet uiribus. Semini uis inest calidior ad omnia, & fortior. Aqua stillatitia anginæ & pleuritidi medetur. Radix Ligustici sale & aceto à nonnullis condiri solet.

## EXTRINSECVS.

Balneis & insessionibus urinam Ligusticum ciet, calculum & menses adiuuat, omniaq; interna membra calfacit. Radix tusa omnium uenena torum & rabidi canis morsibus imposita est salutaris: dolorem enim mitigat ac uenenum expellit. Puerperis radix, semen & folia in cibo & in balneis prosunt, ac præsertim ad purgationes post puerperium. Capitis tumoribus aqua illita subuenit: gargarizatu gutturis exasperationi commodat: potum per arundineum Ligustici caulem sumptum anginæ remedio esse ferunt. Cutis uitia & in facie & in corpore aqua stillatitia expurgat: ac in summa, omnibus oris, gutturis, & reliquarum partium exulcerationibus prodest.

# PANAX CHIRONIVM.

HOc nomine præsentem herbam cum Trago appellamus, quæ Germa. Wundtraut dicitur, quoniam & ea ipsa hodie incognita, & hæc nostra ad descriptionem eius proximè accedere uidetur.

Panaces

Panaces.

Vulneraria herba.

Panaces uerò Dioſcorides plures appellat herbas, C ut præſens Chironium, item Aſclepium heraclium, Centaurium, Liguſticum, Origanum heracleoticū, ab inuentoribus nimirum impoſito nomine. Panax uerò quaſi omnibus auxilium ferens. Naſcitur caule rotundo, nonnihil purpuraſcēte, foliis oxalidis, ſed longioribus, tenuioribus ac uiridioribus, umbella anethi, in qua florem fert Auguſto menſe Apij, ſiue Anethi, ſemine Ameos: radice læui, tenui, alba: guſtu acri: In deſcriptione porro Chironij Panaces diſſentiunt etiã Dioſcorides & Theophraſtus. Dioſcorides enim Amaraci folia tribuit: Theophraſtus uerò Rumicis ſeu Oxalidis, quod cum noſtra deſcriptione quadrat. Latinis à uiribus, Vulnerariam licebit herbam uocare.

TEMPERAMENTVM, ET VIRES.

Temperamentum ac uires, ut teſtatur Tragus, cũ Liguſtico & Angelica ſimiles obtinet: ut ſuperuacuum ſit eadem hic repetere.

## SMYRNIVM. D

SMyrnium, Latinis Imperatoria & Oſtrutium, Vulgò Aſtrentiũ, Germa. **Meyſterwurtz**. Fuchſius tamen Smyrnium pro Liguſtico accipit, **Meyſterwurtz** uerò pro Silphio ſeu Laſerpitio. Sed deſcriptio Smyrnij nulli uidetur herbæ, quàm præſenti propius accedere, quod exactius contemplanti ſatis eſt perſpicere. Caulem, ut deſcribit Dioſc. habet apij, & ſtolones multos, folia latiora, ſubpinguia, ad terram confracta, robuſta, odore medicato, cum quadam acrimonia, rotunda, colore in luteum langueſcente: umbella ſupra caulem anethi: ſemen rotundum, nigrum, acre, myrrhæ ſapore, Vnde Smyrnium eſt dictum. Radix odorata, acris, fauces mordens, ſuccoſa, mollis, cortex foris niger, intus pallidus aut ſubalbidus. Naſcitur

A tur locis saxosis, collibus, squalidis & terrenis. Hæc certè descriptio per omnia herbę uulgò **Meysterwurtz** dictæ, ita respondet, ut nulla sit ferè nota quæ non conueniat: habet enim pinguia & inflexa folia, sicut apium, sed multò maiora & latiora, gustu acria, ut fauces etiam lædant, & exasperent, umbellam anethi. Solus myrrhæ odor poterit obiici: sed cùm uariis locis & temporibus uariè & formam, & sæpe qualitatẽ mutent herbæ, ut in multis est uidere, non ob hunc solum scrupulum Smyrnium esse negabimus: cùm reliquæ ad amussim ita notæ respondeant, ut similior, & quę descriptioni propius accedat, inueniri nõ queat. Propterea cum Trago Smyrnion hanc nostram appellare placuit, aliis sua relinquentes iudicia.

Altera Smyrnij species est priori foliis & caule similis, in syluarum iugis crescens, quam alij Saniculæ faciunt speciem, ob similitudinem quam cum ea habet. Sed cùm omnia magis accedant Smyrnio quàm Saniculæ, huc speciem eam, Smyrnion seu Ostrutium fœminam appellando, referre placuit, Germa. **Meysterwurtz weiblin.**

TEMPERAMENTVM.

Naturæ est uehementer calidæ & acris: Maior tamen uis inest semini.

VIRES, INTRINSECVS.

B Radix, semen, folia, & stillatitia aqua, omnibus corporis frigidis passionibus, febribus putridis, frigido stomacho & uenenis, pro personę et morbi qualitate sumpta, & extrinsecus etiam imposita, auxiliantur.

In uino decocta pulmonem calfaciũt, dyspnœam & frigidam tussim adiuuant: calculum ueficæ ac renum expellũt, mortuos fœtus & secundas educunt, frigidis ischiadicis sunt remedio, sudores prouocãt, hydropem pellunt, omniaq; frigida membra reficiunt.

EXTRINSECVS.

Vulnera & uenenatorum morsus impositum Smyrnium, uel succus uulneri infusus sanat: idem efficit stillatitia aqua, si uulnus ea purgetur. Omnis generis tubercula siue radix siue succus eius illitus discutit & sanat: gangrænis item medetur.

## DAVCVS, SIVE Pimpinella Germanica.

DE Dauco uariant autorum sententiæ. Alij, inter quos Fuchsius & Tragus, Daucos faciunt eas herbas, quas Germani **Beerwurtz**/ Item **Weiß & schwartz Hirtzwurtz** appellãt: quarum priorem ad Seseli, postremam uerò ad Libanotida nigrã retulimus: & Fuchsius quoq; concedit tandem herbam, quam **Beerwurtz** uocant, Seseli Cretico non incommodè respõdere. At Valerius Cordus Dauci nomine eas dicit uenire herbas, quas Germani hodie Pimpinellas, Vulgò **Bibenellen** uocãt: cuius sententia non uidetur cõtemnenda, Hieronymus Tragus uerò Daucum.

Pimpinellas noſtras Apium ſeu Selinum exiſtimat eſſe Macedonicum. C
Quid uerò Apium Macedonicum exiſtimemus, ſuo mox dicẽt loco, de
Pimpinella Germanica. apijs nimirum. Proinde Daucum Dioſcoridis noſtras hodie Pimpinellas facimus.

1. Plura ſunt autem Pimpinellæ genera. Dioſcorides tria ſtatuit: Vnum quod Creticum appellat, omnium maximum, foliis fœniculo ſimile, minoribus & tenuioribus, caule dodrãtali, umbella coriandri, flore albo, ſemine acri, candido, hirſuto, ſuauiſsimi in mandendo odoris: radix digitali craſsitudine, & dodrantis longitudine adoleſcit. Locis naſcitur ſaxoſis & apricis. Plinius Paſtinacam uocat Gallicam. Vulgò Bibinella, Pimpinella, Pampinella, Pampinula, Bipennula, Sanguiſorba, & Saxifragia, quòd locis petroſis naſcatur. Item Petra findula. De Sanguiſorba in ſequẽti capite. Ger. **Bibenell/groß Bibenell/Vogelsneſter/ Feldmören**. Reliquæ Dauci ſeu Pimpinellæ noſtræ ſpecies priori ſunt ſimiles, ſed minores.

Paſtinaca Gallica. Bibinella. Pãpinella Pãpinula. Bipennula. Sanguiſorba. Saxifragia.

2. Alterum genus ſylueſtri apio ſimile, acre, odoratum, guſtus feruentis:



D

Locis

A Locis nascitur maximè terrenis & pinguibus. Dioscoridi Caucalis & Daucus syluestris. Ger. **rauhe Bibenell**. Officinis Pimpinella hirsuta. Caucalis.

Tertium foliis Coriandri, floribus albis, capite & foliis anethi, semine 3.
ceu cumini oblongo, acri. Veteres tamen & Dioscorides etiam aliquando, Pastinacam syluestrem Dauci nomine appellarunt.

Alia uerò est ab hac Pimpinella Italica, de qua in sequenti capite.

TEMPERAMENTVM.

Semen omnium, teste Dioscoride, calfacit, estq; diureticum.

VIRES, INTRINSECVS.

Radix, folia, semen, pares cum Apio uires habent, in educendo tamen fortiora, & in dolore sedando sunt citiora. Radix quacunq; ratione sumpta fuerit, contra uenena est efficax: intestinorum & renum dolori, calculo item renum medetur, menses item adiuuat, & uitiosos humores per urinam educit. Easdē habet uires aqua stillatitia, tribus aut quatuor per aliquot dies pota cochlearibus. Castoreum in aqua Pimpinellæ coctum, Spasmum curat.

EXTRINSECVS.

Radicis tusæ succum uulneribus illitū, ad sanitatem confestim ea perducere, experientia est comprobatum. Maculas faciei aqua illita extergit, ac serenitatem cuti adfert.

B

## PIMPINELLA ITALICA, Sanguisorba.

PImpinella Italica diuersa est à nostra Germanica, estq; ea herba quam Sanguisorbam, à miris in sistendo sanguine uiribus, appellant. Germani **Blůtströpfflin/Hergots bärtlin Welsche Bibernelle**/Vt Antonius Musa Italus testatur. Pimpinella Italica. Sanguisorba.

Duæ sunt huius species, flore tantùm, seu capitulis, quæ florū uice ferunt, distantes: altera enim purpureo, altera pallido floret mense Iunio capitulo. Folia sunt Dauco seu Pimpinellę nostræ similia, tenuiora tamen & leuiora: Odore uerò differūt, qui magis uiridibus glandibus respondet. Caulem habet purpureum, rotundum, nōnihil lanuginosum: minimè fert umbellas, sicut prædicta Pimpinella, sed florum loco capitula habet rotunda, foraminolenta, in altero purpurea, in altero pallida seu subpurpurea. Locis gaudet apricis & incultis. Alterū quod pallidis nascitur capitulis, **Megelkraut** appellant.

TEMPERAMENTVM.

Qualitatis est siccæ, & cōtrario cum Pimpinella nostra temperamēto.

Alui fluxus & dysenteriam sanat decoctū eius, mēses quoq; adiuuat.

EXTRINSECVS.

Vulnera capitis mira sanat efficacia. Manu detentam herbam sanguinem sistere aiunt.

Plures eius ex qualitate uires, qui uolet, colligere & experiri poterit.

## STAPHYLINOS.

Pastinaca

Staphylinos.

STaphylinos, Latinis Pastinaca dicit. German. **Pastiney/Pastenachen/Mören.**

Duo Pastinacæ Dioscoridi facit genera: Syluestrem & satiuā. Syluestris Dioscoridi folia habet Gingidij, latiora, subamara: caulem rectum, scabrum: umbellam anethi, in qua flores candidi, & in medio purpureum quiddam, fermè croceū: radix digiti crassitudine, dodrantalis, odorata, quæ cocta manditur. Hæc Græcis propriè Staphylinos dicitur. Ger. **Wild Pastiney/wild Mören/Vogelnest/** D propter umbellæ figurā. Offici. Daucus dicit, ac huius semine pro Dauco utunt.

Daucus officinarum.

2. Pastinacæ satiuæ tres species.

Satiuę, quam Germ. **Rot oder geel Rü-**

**ben/**

Aben/Rot oder geel Pasteney/ Mören/appellant, tres sunt differentiæ ex radicis colore: quædam enim radicem habent albam, quædam flauã, quædam ruffam: in hortis sicut reliqua holera plantantur ac seruntur solo harenoso & pingui.

Syluestri non est dissimilis, nisi quòd flores in medio purpureũ quiddam non habent. Florent mense Iulio & Augusto, semenq; producunt: semen fert hirsutum, pilis quasi spinulis obductum. Daucos hodie non malè hortenses has satiuas species uocant. *Daucus hortensis.*

TEMPERAMENTVM.

Temperamenti sunt calidi & humidi, culinæ magis quàm medicamẽtis destinati: abstergendi uim habent, syluestris maximè.

VIRES, INTRINSECVS.

Pastinacæ syluestris semen in uino potum, uenenatorũ morsibus medetur. Vtriusq; semen, præsertim tamen syluestris, uino potum, menses prouocat, urinam ciet, hydropi resistit. Puluis eius in uino sumptus, pleuritidi auxiliatur: eadem ratione morsibus serpentum est salutaris. Præsumentes id nulla à serpentibus affici iniuria traduntur: Conceptus adiuuat. Radix in cibo urinam ciet, Venerem prouocat.

EXTRINSECVS.

Seminis, radicis & foliorum decoctum mortuos fœtus eiicit, menses
B & secundinam pellit. Folia cum melle illita phagedænas sanant. Omnia hæc efficacius præstat syluestris, Satiua uiribus est imbecillior.

## SESELI.

SEseli Græcis & Latinis dicitur, cuius plura facit genera Dioscorides: Massiliẽse, Aethiopicum, Peloponnesiacum, & postremò Creticũ. Solius Massiliensis semen Pharmacopolæ hodie habent, Sileris montani appellatione, quod nomen à Sile factum est, quod Herbarij hodie, quia è saxis in montibus erumpit, Saxifragam maiorem appellant. German. **Sesel/ & Welscher Steynbrech/** & quibusdam **Hirtzwurtz/ Silermontan/ & Waldkümmel.** Folia gerit Fœniculi, sed crassiora, caulem uegetiorẽ, umbellãm anetho similem, in qua semen oblongum, angulosum, & gustanti confestim acre: radicem longam & odoratam. Hoc non nisi satum in Germaniæ hortis hodie nascitur. *v. Silermon tanum. Seseli Massiliense. Saxifraga maior.*

4. Tordylii Seseli Creticum. Daucus Cretensis.

Aethiopicum et Peloponnesiacum sunt hodie incognita.

Creticum Græcis Tordylon & Tordylium dicitur, Paulo Gordylium. Germanis Berwurtz, ut Valerio etiam Cordo placet. Tragus hoc putat Cretensem esse Daucum. Herbula est fruticosa, semen habens rotundum, geminatum, forma clypei, gustu subaspero, bene olente. Floret Iunio ac subinde semen producit. Nascitur in Amano Ciliciæ monte: Hodie uerò passim in Germania nostra.

TEMPERAMENTVM.

Temperamenti sunt calidi & sicci, eiusdem ferè cum Angelica qualitatis.

VIRES, INTRINSECVS.

Feras grauidas montano Cumino, seu Seseli Massiliensi se purgare, autor est Plinius: phlegmaticos enim humores expellit, è quibus febris diuturna, epialos dicta, oritur. Præstant autem semen eius & radix, omnibusq; internis membris, stomacho, iecori, pulmoni, & matrici prosunt. Vino albo potum semen concoctionem adiuuat, tormina & phlegma uiscosum discutit, ueterem tussim curat, iecoris obstructiones soluit, prodest dyspnœicis, stranguriam ex frigore ortam adiuuat.

Decoctum radicis ex uino matricis præfocationi est remedio.

Partum & secundinam pellit: Vnde capris cæterisq; pecudibus, quò facilius suos fœtus enitantur, in potu dari, autor est Dioscorides.

Contra perfrictiones in itinere cum pipere & uino bibitur. Eadem potest Seseli Creticum, seu Tordylium. Decoctum eius ex uino omnibus uenenis Cicutæ, Opij, Hyoscyami, idq; genus, præsentissimo est remedio. Cum ficubus & fœniculo in uino potum, tussi ueteri, dyspnœæ ac colicæ passioni maximo & probatissimo est auxilio: lentos humores, ex quibus hydrops nascitur, educit.

Vim habent radix & semen diureticam, calculo renum prosunt, menses cient, ac præsertim mulieribus frigidis alui fluxibus laborantibus commodant.

EXTRINSECVS.

Semen Seseli Cretici calfactum in sacculo capiti & ceruici impositū, frigidos fluxus discutit. Folia cum radice trita & calida imposita, omnis generis tubercula reprimunt.

CVML

# CVMINVM.

CVminum Latinis, Græcis Cyminum, Germanis **Kümmel.**

Duo habet genera: Satiuum & syluestre. Satiuum Officinis Cuminum Romanũ dicitur. Germa. **Römisch Kümmel/ Gartenkümel/ Krantkümmel.** Nascitur unicaule, frequẽtibus brachiatum ramulis, folio penè fœniculi, semine copioso, & canaliculato, radice subrotunda, quasi bulbosa. Semen ubi accreuit defluum & lubricum procidit. Nascitur locis putribus & maximè calidis, in summa tellure uix hærens, & in sublime tendens. Seritur uere medio inter olera. 1. *Cuminum Romanũ.*

Syluestre Cuminum, quod & Rusticum, item Thebaceũ & pratense dicitur, Germa. **Wild Kümmel/ Roßkümmel/ Haberkümmel.** Nascitur in collibus sponte, frutice modico, caule palmum alto, prætenui, quaternis quinisue foliis, ueluti serratis, Gingidij diuisura: capitula in cacuminibus quina senáue obtinet, rotunda, mollia, paleaceum semen complexa, quod gustanti est acrius satiuo. 2. *Cuminum syluestre.*

Est & altera syluestris Cumini species, quæ Consolida regalis, & Germanè **Ritterspörlin** dicitur, de qua suprà est dictum.

## TEMPERAMENTVM.

Vtrisq; qualitas est calfaciendi, exiccandi & contrahendi.

## VIRES, INTRINSECVS.

Cumini satiui plurimus hodie in cibis est usus: omnes corporis inflationes cohibet: Phlegmata uiscosa discutit & attenuat: stomachi nauseam auertit,

A balneo cum uino albo potum, ictericis esse auxilio ferunt. Vertigini item, dysuriæ & calidæ urinæ in uino dulci est salutare. C

EXTRINSECVS.

Tusum naribus inditum Cuminum satiuum, sanguinis narium profluuium sistere aiunt. Aridum cum rosaceo melle & cera mixtum, tumores illitum sedare affirmant. Reliquas cum Seseli Massilienſi pares habet uires.

## CARVM.

Carum. Carium. Carcum. Carui. Carcoſemen. Caroum.

CArum: Plinius Carium & Careum. Officinis Carui, quibusdam Careoſemen, & Caroum. Germanis **Mattkümmel/ Wiſenkümmel/ Wegkümmel.** Naſcitur caulibus ab una radice multis, quadrangulis, folia habet ſtaphylini, flores candidos, & in caulium ſummo ſemē anguloſum copioſum: radicem oblongam & luteam. Naſcitur in hortis paſsim: Curlinis notiſſimum. Athenæus putat eſſe Paſtinacam maiorem.

TEMPERAMENTVM.

Calidum eſt & ſiccum, ſicut & Aniſum, ordine tertio: ac mediocriter acre. D

VIRES, INTRINSECVS.

Radix cocta & apparata paſtinacę modo, in cibis eſt utiliſsima: ſtomachum calfacit, urinam ciet. Semen in panes nonnulli miſcent. Caſeis gratum quoq; ſaporem præbet.

EXTRINSECVS.

Ventoſitates, poſt purgationes in colica paſsione, calidum in ſacculis uentri ſemen impoſitum, diſcutit.

## AMMI.

Cuminum Alexādrinum, Aethiopicū.

AMmi Græcis & Latinis. Officinis Ameos. Germa. **Amey.** Dicitur & Cuminum Alexandrinum & Aethyopicum. Cuminum regiū Hippocrati. Caulem habet rotundum & herbaceum, ſurculos multos & exiguos: folia oblōga, anguſta, & per inciſuras diuiſa: florem paruum, candidum: umbellam anethi: ſemen cumino multò exilius, guſtu origanum

A ganum præ se ferens, acre & subamarum: radicem candidam, & multis capillamentis fibratam. Nascitur non nisi satum in Germania, seriturq; in fine Aprilis. Floret mense Augusto.

TEMPERAMENTVM.

Calidum & siccum est in gradu tertio intenso: tenuium est partium & digerit, excalfacit, & exiccat.

VIRES, INTRINSECVS.

Semen semidrachmæ pondere in calido uino potum, ad tormina & inflationes prodest, ueneno resistit, urinam & menses mouet. Colorem bibentium in pallorem mutat.

EXTRINSECVS.

Sugillata & uibices cum melle semen illitum tollit. Suffitum cum uua passa aut resina, matricem purgat. Tradunt, inquit Plinius, facilius concipere eas, quæ odorentur id per coitum.

## MARATHRVM.

B

Marathrum

Marathrum. Fœniculũ. 1.

MArathrum Græcis, à marceſcendo, quòd, ut autor eſt Ruellius, ad Cõdienda plurima, cùm inaruerit, ſit aptiſsimum. Latinis Fœniculum, quòd ſatum cum magno fœnore ſemen reddat. Germa. Fenchel.

Duum eſt genus: Satiuum & ſylueſtre, ſeu erraticum. Satiuum nemini non eſt notum: caule aſſurgit geniculato, hominis plerunq; altitudine, medulla intus fungoſa: leui exterius & herbaceo cortice: foliis abrotoni, ſed longioribus, mollioribus, odore iucundo, umbella rotunda, ampla, lutea, in orbem radiatim circinata, in qua ſemen dependet luteũ: radice candida, longa & odorata. Floret Iunio & Iulio.

Hippomarathrum. Fœniculũ agreſte. 2.

Sylueſtre fœniculum, ob magnitudinem Hippomarathrum: tantæ enim magnitudinis, ut in Mauritania caulis duodecim cubitis adſurgat. Officinis Agreſte fœniculum: Item Fœniculum erraticum, nonnullis Miſineum. Germa. Wilder Fenchel/Roſſfenchel. Naſcitur in ſaxoſis, ſatiuo grandius, ſemen fert canchryi, radicem habet odoratam. Hippomarathrum hoc Tragus potius ſylueſtri liguſtico annumerandum cenſet.

## TEMPERAMENTVM.

Fœniculum calfacit in ordine tertio, minus autem exiccat. Seminis præcipuè eſt uſus.

## VIRES, INTRINSECVS. D

In uino decocta Fœniculi ſemina, morſis à ſerpentibus pota ſunt auxilio: Venena expellunt, menſes adiuuant, calculo renum medentur, urinam cient, uiſcoſos humores educunt, lac nutricibus augent.

Semen in aqua decoctum, nimium uentriculi æſtum ſedat: ſingultus & uomitus idem potus reprimit.

Calidæ & aridæ tuſsi idem decoctum eſt ſaluberrimum.

Confectio ſeminis phlegmaticos humores educit.

Vtiliſsimum quoque ſeminis uſus oculorum eſt hebetudini.

Iiſdem pollet uiribus aqua Fœniculi ſtillatitia.

## EXTRINSECVS.

Oculorum caliginem illita oculis manè & ueſperiſtillatitia aqua, ſanat: Vermes oculorum necat. Eadem poteſt ſuccus & gummi eius.

Cum melle radix omnibus uenenatorum morſibus & ictibus illinitur. Canis rabidi morſui, uulnere prius cum urina uel aceto purgato, auxiliatur.

Succus exprimendus eſt ex radice uel foliis (præſtat tamen ex ſemine immaturo uel flore hoc fieri) ac in ſole exiccatus ad uſum reponendus.

Præſtantiſsimum hic ad oculorum caliginem, in aqua Fœniculi diſſolutus, eſt remedium.

# ANETHVM.

Anethum

ANethum Græcis, Latinis & Officinis, German. Dyll. Foliis primùm duobus acuminatis prorepit, sesquicubitali assurgit proceritate, caulibus multis, rotundis: comosum, exilitate folij in staminis penè modum extenuata, flosculo luteolo, semine lato & quasi foliato, radice lignosa, nec adeò prolixa, umbella Fœniculi, cui propter similitudinem, agnatum genus uideri potest. Nascitur in hortis passim satum, ac sponte etiam prouenit. Floret Iunio & Iulio. Radix excidente semine uniuersa perit, ac quotannis à semine renouatur. Notum culinæ, præsertim ad Brassicam condiendam.

TEMPERAMENTVM.

Calidum est intensè in secundo, & remissè in tertio gradu. Exiccandi uim habet in fine primi, aut initio secundi ordinis. Vstum autem est calidum & siccum gradu tertio.

B VIRES, INTRINSECVS.

Comæ seminis decoctum ex uino potum lac euocat, tormina & inflationes sedat, aluum leuesq; uomitiones sedat. Vrinam cit, singultus lenit, oculorum aciem hebetat, & genituram assiduè potum restinguit.

Miscetur & Theriacæ Antiochi regis, cuius hæc est confectio: Recipe Seminum anethi, Fœniculi, Anisi, Ameos, Petroselini, ana ʒ.vj. Trifolij acuti odorati ʒ.j. Milij, Serpilli, Farinæ uiciorum, succi Angelicæ uel Opopanacis, ana ʒ ij. his contusis ac cribratis, cumq; uino subactis optimo, Trochiscos conficito, quos arefactos ad usum reseruabis, ac drachma eius in uino sumpta, corpus ad desudationem cooperies. Euidentissimum hoc præ alijs contra uenenum est antidotum. *Theriacæ Antiochi confectio.*

EXTRINSECVS.

Decoctum eius mulieribus præfocatione uuluæ laborantibus ad insidendum est utile. Semen ustum & illitum condylomata tollit.

OLEVM ANETHINVM.

Anethinum oleum dolores sedat, poros aperit, uapores & apostema ta resoluit, tumores & durities discutit, febrium dolores & rigores mitigat, somnum & sudorem prouocat.

Fit autem ex floribus & foliis Anethi, & oleo ueteri claro, eodem modo quo Rutaceum fieri descripsimus.

ANISVM.

## ANISVM.

Fœniculũ Romanũ. Cyminum dulce.

ANisum, quod & Fœniculum Romanum, & Cyminum dulce uocant, Germa. Enis. Foliis est cùm primùm enascitur, prorepenti Ligustico simile, sed rotundioribus, candidulis & olẽtibus. Caulem profert mense Iulio, tenuiter striatum, rotundum, multis ramulis brachiatum: florem candidum, odore mellis, quem semen album subsequitur, coriandro non dissimile. Floret Iunio & Iulio. Nascitur in Creta & Aegypto, hodie in hortis passim Germaniæ.

### TEMPERAMENTVM.

Calidum est & siccum gradu tertio. Calfacit & exiccat.

### VIRES, INTRINSECVS.

Fœtentem oris halitum semen eius aut confectio emendat. Hydropicis est utile.

Iecoris obstructiones soluit, urinam cit, sitim sedat. Inflationes alui decoctum eius potum, & in sacculo semen impositum sedat. Prodest iecori, pulmoni, uentriculo & matrici. D

Confortat enim & calfacit, concoctionem adiuuat.

Singultus, tormina, dysenteriam, alui fluxum, omnisq; generis inflationes, & tumores cõpescit. A Pythagora præcipuè, teste Plinio, est laudatum. Aduersus uenena prodest.

### EXTRINSECVS.

Tusum semẽ, tam uiride, quàm aridum, illitum oculis, puluiſculos aut festucas illapsas extrahit. Simili modo uenenatorum morsibus illitum, uenena educit ac sanat. Suffitus eius cum Storace calamita naribus exceptus, dolori capitis auxiliatur: Semen tusum, uel succus, cum calido oleo rosaceo, aurium dolorem, infusum, sanat. Florum stillatitia aqua pollet ijsdem uiribus. Phreneticis recens cum polenta illinitur: sic & infantibus comitiale uitium aut contractionem aliquam sentientibus.

Vestes à tineis defendit. Pythagoras, referente Plinio, non corripi comitiali uitio, in manu habentes tradidit, ideoq; quamplurimum domum ferendum.

## PYRETHRVM.

Saliuaris.

PYrethrum Græcis ab urendi ui, quæ radici inest, dictum. Latinis Saliuaris, quòd radix ore detẽta saliuam generet, ac phlegmaticos humores educat: unde dentibus conueniens est remedium. Officinis Pyrethrum Græco uocabulo, Germa. Bertram/ Speychelwurtz/ Geyfferwurtz/

ferwurtz/corrupta Græca appellatione nominatur. Radicem Galli Pedem Alexandrinũ uulgò appellant. Nascitur in hortis plantatũ, ac in pratis etiam nonnullis spõte, caule & foliis, ut Dioscor. describit, syluestris Pastinacæ & Fœniculi. Vmbellam fert orbiculatam Anetho similem: radicem pollicis crassitudine, gustus ardentissimi, & saliuam cientis. Pes Alexãdrinus.

Hęc descriptio nostro hodie Pyrethro quod nostris Germaniæ hortis & locis sponte nascitur, non per omnia conuenit, siquidem non fert umbellam anethi, sed potius maioris Bellidis aut Anthemidis. Cæterę uerò notę aliquatenus quadrant, poterit ergò Pyrethrũ uocari minus uel syluestre, **Wilder Bertram**. Fuchsius hoc putat esse Ptarmicen Dioscoridis, sed an rectè, iudicent alij.

B

TEMPERAMENTVM.

Excalfacit & exiccat in tertio, & ut alij uolunt, in quarto abscessu.

VIRES, INTRINSECVS.

Radicis siue seminis Pyrethri decoctum potum, omnes frigidos & uiscosos humores educit, & per inferna sedis & uesicæ expellit.

EXTRINSECVS.

Radix aceto decocta dentium dolori medetur. Idem commanducata radix efficit, ac caput expurgat.

Radix tusa & oleo mixta corpori inuncta, sudores ciet, neruos ac mẽbra frigida calfacit, totiusq; corporis calorem prouocat, præsertim ijs qui diutina febri laborarunt, siue aliàs frigore membra corrupta habẽt.

Vnguentum ex Pyrethro & Chamæmelino oleo spinæ dorsi inunctum, contecto corpore, febrim arcet, & comitialibus medetur: idq; prę cipuè in pueris.

Omnibus in summa frigefactis corporis partibus est utilissimum.

# APIVM, SIVE
## Selinon satiuum.

Apij species.

APium, Græcis Selinum multas habet species, κηπαῖον, hoc est, hortense uel satiuum, ἑλεοσέλινον, hoc est, paluſtre, quod Paludapiū dicitur, ὀρεοσέλινον, hoc est, montanum, πετροσέλινον, quod Petroſelinum etiam Latini appellãt, & ἱππουρίς, hoc est, Equapiū, ut Gaza ex Theophraſto uertit, aliàs Oluſatrum: De ſatiuo primùm, hinc de reliquis ſpeciebus.

2. Apium ſatiuum fœmina.

Apium ſatiuum, ſiue hortenſe, Græcis σέλινον κηπαῖον, duo habet genera: Alterum mas, alterū fœmina. Fœmina cubitalem ſæpe æquat altitudinem, caule rotūdo, leuiter ſtriato, multiſq; ramulis brachiato, foliis tripartito diſſectis, & leniter criſpis, in extremitatibus laciniatis, floſculis candidis, admodum minutis: ſemine exiguo: radice ſingulari, longa, capillata. Ger. **Eppe/Eppich/Merck**/deducto ab Apio nomine. Naſcit in hortis ſatum pingui & humido ſolo: ac ſponte inter Lypſiam & Merſiburgum urbes, circa pagos prouenit. Tragus noſtrū hortēſe Apiū, quod uulgo **Peterlin**/ & **Peterſilgen** dicunt, exiſtimat. Mas fœminæ non multū eſt diſſimilis, niſi quòd foliis eſt nigrioribus, radice breuiore, & uermiculos gignēte: unde eos, q hoc ederint in utroq; ſexu ſterileſcere aiūt. Theophra. plures facit ſatiui ſpecies: aliud enim caule albo, aliud purpureo, aliud uerſicolore, et ſyluestriore naſci dicit. Quinquageſimo à ſatu die, ut Pli. autor, eſt prouenit, quadrageſimo cùm celerrimè, duratq; biennio, perpetua uirēs frōde. Seritur aūt ab æquinoctio uerno ſemine paulū in pila pulſato, quia criſpius ſic fieri putāt. Maximus ipſi in Græcia fuit honos: Nemeæ em certaminis uictores apud Græcos hoc coro. nabātur. Solebat antiquitus extremus hortorū ambitus apio conſeri, Vnde prouerb. factū eſt: Ne inter apia quidē ſunt, pro eo, quod eſt, ne ingreſſus quidē aut initia rei attigerūt, qua figura etiā prouerbiali in ueſpis uſus eſt Ariſtophanes, οὐδὲ μίνγ' οὐδ' ὧν σελίνῳ π' ὄσιρ, οὐδὲ ὧν πηγάνῳ, hoc eſt, neq; in apio eſt, neq; in Ruta, hoc eſt, nec initium habet eorum, quæ futura ſunt, uel ne in primis quidem rudimentis. Hæc παρέργως libuit adñcere.

2. Mas.

TEMPE-

TEMPERAMENTVM.

Calidum est in ordine secundo, & siccum in tertio, estq; διαφητικόν.

VIRES, INTRINSECVS.

Rami apij, Plinio teste, largis portionibus per iura innatant, & in condimentis peculiarem gratiã habent. Crudum aut coctum comestum urinam mouet. Decoctum eius & radicũ potum, letiferis medicamentis aduersatur, uomitumq; ciet: aluum cohibet. Efficacius urinam ciet semen. Succurrit ferarum morsibus, & ijs qui lithargyrum hauserunt: inflationes discutit: medicamentis dolorem leuantibus, theriacis, & tussi medentibus, utiliter miscetur. Veteribus etiam, Plinio referente, in cibis eo uescifuit omnino nefas: nam id cibis defunctorum feralibus dicatum eximãt: eosq; qui ederint sterilescere, mares & fœminas tradũt. Succus, maximè radicis, cum uino, lumborũ dolores mitigat. Difficilius concoquitur: propterea in medio ciborũ sumendum docent. Comitiales maximè lædit: lactantibus mulieribus ab eo abstinendum, siquidem lac minuit.

Semen præsumptũ, ebrietatem arcet. Confert etiã ad bonum corporis odorem. Ad rem Venereã mulieres promptiores facit. Pisces quoq; si ægrotent in piscinis, apio uiridi recreantur.

EXTRINSECVS.

Cũ pane aut tenui polẽta illitum, prodest ad oculorum inflammationes: æstum stomachi lenit: mammas grumis induratas discutit: idẽ imposita præstant mammis folia. Succus maximè radicis, instillatus cum uino, aurium dolori medetur. Decoctum seminis cum oui albo illitum, sugillata colori restituit. Oris hulcera tritum in frigida sanat. Semen ad omnia est efficacius cẽ folia, semine aũt radix ipsa.

## ELEOSELINON, HOC EST, Apium syluestre.

APium palustre, quod etiam Apium rusticum dicunt, Græcis ἑλεοσέλινον, & ὑδροσέλινον. German. **Wasserepff** / & **Baurenepff** / **Wassermerck**. Paludapium Theodorus Gaza ex Theophrasto uertit. Nascitur Dioscoridi locis humidis, siue palustribus, satiuo per omnia simile, sed multò maius, potestq; eadem quæ satiuum. Plinius distinguit, ac id quod sponte locis humidis nascitur, folio uno, nec hirsutum, Helioselinum uocat: quod uerò in paludibus & secundum aquæ ductus proue-

*Apium paluſtre.*
*Apium rusticum.*
*Paludapium.*
*Helioſelinum.*

Eleoselinon. nit, folio raro nec hirsuto, simile apio satiuo sapore, figura, odore, Eleoselinon dicit.

TEMPERAMENTVM, ET VIRES.

Temperamentum ac uires habet cum satiuo easdem: priuatim uerò contra araneorum morsus ualet.

## OREOSELINON, hoc est, Apium montanum.

Oreoselinon. Apium montanũ. OReoselinon, Latinis Apium montanum. Caulem Dioscoridi habet unum, palmum altum, radicem prætenuem, ramulos per ambitum spargentem: capitulis cicutæ, multò tamen tenuioribus, in quibus semẽ longum & gustu acrimoniam præ se ferens, odoratum, tenue, cucumino proximum: Locis nascitur in petrosis montanis. Floret & semine est prægnans mense Iunio ac Iulio. Nobis hodie incognitum: tametsi Fuchsius nostrum Petroselinum, quod Germa. **Peterlin** & **Petersilien** dicimus, uelit, sed pictura ipsi reclamat. Notatur in hoc Dioscoridis loco error Marcelli, qui capitula apij dixit papaueris capitulis similia, cùm nulla penitus sit similitudo. Sed menda ipsi exemplaris impositi, pro κωνίω enim, hoc est, Cicutæ, ipse legit μηκωνίω, id est, Papaueris. Rectè igitur Ruellius per cicutam uertit, Sicut etiam reliquis hodie placet, aperte ostendunt Fuchsius, & maximè Valerius Cordus. D

TEMPERAMENTVM.

Temperamento nihil à reliquis apijs differt: est enim calidum in fine secundi, & siccum in medio tertij.

VIRES.

Neq; uiribus ab prædictis apijs differt. Semen & radix in uino pota urinam cient, menses ducunt. Miscetur antidotis & medicamentis urinam cientibus & excalfacientibus.

## PETROSELINON, HOC EST, Apium saxatile.

Petroselinum Macedonicũ.

PEtroselinon, Latinis Petroselinum, & Apium saxatile. Diuersum est ab Apio montano, ut manifestè ostendit Dioscorides, Germa. **Peterlin/Petersilien**. Nascitur in Macedonia copiosissimum in saxis & locis præruptis, Vnde Petroselinum Macedonicum est appellatũ: semen habet Ameos, odoratius tamen, acre & aroma olens. Hoc Tragus putat esse Pimpinellas, de quibus suprà est actum. Nos hodie uerò Petroselino Macedonico caremus. Officinæ nomine Petroselini ostendunt semen quoddam grande & nigrũ, quod

A quod etiam Ruellius uerum dicit Petroſelinum Macedonicum: ſed nequaquam eſſe poteſt, cùm ſemen Petroſelini Macedonici, Ammio candido & minimo comparetur ſemini, quod uerò Officinæ oſtendunt ſit nigrum & grande. Error autem, ut oſtendit Valerius Cordus, eſt eorum, qui Petroſelinum Macedonicum & Oluſatrum, idem dicunt in ſuis luminaribus, ac ſemen Oluſatri appellant Petroſelinum Macedonicum. Quod uerò in hortis hodie apud nos ſeritur, **Peterſilien** appellatum, Petroſelini Macedonici eſt ſpecies, cultura manſuefacta. *Petroſelinum Germanicum.*

TEMPERAMENTVM.

Calidum eſt & ſiccum Petroſelinum in tertio ordine.

VIRES, INTRINSECVS.

Petroſelini radix & folia in cibis ſunt utiliſsima: urinam cient, menſtrua ducunt, ſtomachi inflationes diſcutiunt: torminibus medentur. Laterum quoq;, renum & ueſicæ doloribus ſunt auxilio. Eadem præſtat efficaciter noſtrum Germanicum Petroſelinum. Aliqui decoctū ex hoc faciunt contra icterum, hydropem, & calculum renum, accipientes ſeminis Petroſelini, Fœniculi, Aniſi, Careos, ſingul. drach. ij. radicum Petroſelini, Daucí ſiue Pimpinellæ, Fœniculi & Cumini ſing. drachmas ij. aut iij. ſingulis in menſura uini albi nocte una maceratis, ad tertiam decoquunt partem. Huius decocti manè & ueſperi ad tres horas ieiuno ſtomacho potus ægrotis datur. Eadem poteſt aqua ſtillatitia.

B

EXTRINSECVS.

Inflammationibus oculorum cum polenta aut recenti pane illitū medetur. Eodem modo Eryſipelati prodeſt. Stomachi æſtum, impoſitum, reprimit. Lac coagulatum in mammis folia tuſa & impoſita diſcutiunt. Vtile hoc modo ijs qui infantes ab uberibus ſubducunt.

## SISON, SIVE Pſeudopetroſelinum.

*Siſon. Sinon. Amomum*

SIſon ſiue Sinon, Officinis Amomi uenit nomine.

Duo enim ſemina Amomi appellatione Officinæ oſtendunt: alterum rotundum & Papauere minus, neq; acre, neq; odoratum, quod Botryos eſt ſemen. Alterum uerò Apij ſiue Petroſelini ſemen figura & quantitate refert, colore nigrū, cùm tūditur odoratum, & in guſtu odorata acrimonia linguam pungens: atque hoc poſterius eſt ſemen illud, quod Dioſcorides & alij ueteres Siſon & Sinon appellarunt. Barbaris uerò Petroſelinum Oluſatrum eſt dictum, ſed malè. Vitium

est Petroselini nostri Germanici, in quo nascitur, eidem simile adeò ut ni- C
si probè quis attendat, difficulter ab eo possit discerni, subnigrũ & mol-
liter longum.

*Pseudopetroselinũ Germanicum.*

Pseudopetroselinum Germanicum appellare placuit, quòd tanquam uitium quoddam inter illud nascatur. Germa. **Gleyß** nominant.

TEMPERAMENTVM, ET VIRES.

Temperamentum & uires cum Petroselino pares habet, estq; adeadem utile, adeoq; nullum in huius uel illius usu est periculum.

## HIPPOSELINON, HOC est, Equapium, seu Olusatrum.

*Hipposelinum. Equapiũ. Olusatrũ. Olysatrũ.*

HIpposelinon Latinè Equapium uertit Theod. Gaza, ob magnitudinem quã cum reliquis habet apijs, sic dictum. Romani Olusatrum, & Olysatrum uocant, à foliorum forma. Germa. **Groß epff** nominant.

Hortensi Apio est maius, caule cauo, alto, tenero, ueluti lineas habente: foliijs latioribus, subpuniceis, coma Libanotidis, D
plena flore, in corymbos antequam defloruerit congesta, semine nigro, oblongo, solido, acri, odorato: radice odorata, inæ
tus candida, ori grata, pro caulis magnitudine non admodum densa. Officinæ semine huius pro Petroselino Macedonico hodie utuntur. Atq; hęc descriptio per omnia figuræ, nulla reclamante nota, respondet. Locis nascitur umbrosis & iuxta paludes.

TEMPERAMENTVM.

Temperamento reliquis est apijs simile, calidum est in secundo ordine, siccum in medio tertij.

VIRES, INTRINSECVS.

Hipposelinum siue Olusatrum, olerum modo ceu apium estur.

Radix & cruda & cocta editur. Semen in mulso potum menses ducit. Torminibus medetur, & difficultatibus urinæ.

In uino cocta radix calculos pellit, lumborum & lateris dolores mitigat: Rabidi canis morsibus pota medetur.

In summa, similis ei cum Apio uis est, & ualidior.

EX-

EXTRINSECVS.

Illitum canis rabidi morsibus medetur, quod etiam potum præstat.

## GINGIDIVM.

GIngidium Græcis & Latinis Syriaco nomine appellatur. Græcis pòst Chærephyllon uocari cœptum est, quod foliis luxuriat, ac hinc Græca & Latina dictionibus in unam coëuntibus Chærefolium, diuersum tamen à Chærefolio Plinij, apud quem Acanthi genus est, topiariæ & urbanæ herbæ, elato longoq; folio, crepidines marginum adsurgentiumq; puluinorum toros uestientis. Germa. **Körffel** dicitur, & **Kerbelkraut**. Gall. *Cerfueil*.

*Gingidiũ. Chærephyllon.*

*Chærefolium.*

*Chærefoliũ Plinij.*

Nascitur nusquam non in hortis, solo læto, humido, & stercorato, foliis syluestri Pastinacæ similis, tenuioribus tantùm, dense floribusq;: radice parua, candicante, subamara.

B Est etiam syluestre Gingidium, quod 2. sponte in pratis & gramine nascitur, satiuo multò maius, odore & sapore fortius.

TEMPERAMENTVM.

Temperamẽto est, teste Galeno, mixto, calido simul & frigido, ac siccandi naturæ ab utroq; particeps: adstringit enim cum quadam amaritudine.

VIRES, INTRINSECVS.

In cibos uenit crudum coctúmue, magna cum stomachi uoluptate.

Succus, siue stillatitius eius liquor, sanguinem coagulatum discutit. Calculo renum & menstruis purgandis prodest. Efficacius sanguinis grumas discutit, si aquæ stillatitiæ Gingidij oculi cancrorum tusi, & triti tiliæ carbones inspergantur, idemq; potus laterum dolori medetur.

Syluestre est fortius, ac in educendis mẽsibus satiuo plus pollet, in uino coctum & potum.

Idem decoctum contra pestem & uenenum est salutare.

EXTRINSECVS.

Trita folia & illita omnes tumores & sanguinem sub cute, quacunq; ratione uel lapsu uel ictu uerberibúsue collectum, discutiunt.

## MYRRHIS.

Cicutaria

MYrrhis, Gallis *Perſil d'Aſne*. Germ. **wilder Kerfel/Buſchmören**/& **Kelberkern**/ noſtris locis dicit: quod poſtremum nomen Cicutæ aquaticæ etiam tribuitur. Vnde ſimilitudine nominis deceptos, Cicutam aquaticam pro Myrrhide eruentes ſæpe famis tempore pueros, comedentesq; mori contingit. Vulgò etiam Cicutaria dicitur, ob ſimilitudinem quam cum cicuta habet. Naſcitur in hortis paſsim inter gramina, Cicutæ, ut deſcribit Dioſcorides, ſimilima caule & foliis: Radicẽ habet oblongam, rotundam, mollem, cibo non inſuauem Herba eſt umbellifera, ſemen, ſicut & cicuta, ferens album.

TEMPERAMENTVM.

Calfacit in ſecundo ordine, tenuiumq; eſt partium.

VIRES, INTRINSECVS.

Radix cum uino pota, phalangiorũ morſibus medetur. Menſes purgat, & ſecũdas educit. In ſorbitione cocta tabidis eſt utilis. Peſtis tempore, bis terue in die potam, tutos à peſte conſeruare, ſcribit Dioſcorides. D Pulmonis & thoracis uitia, Galeno teſte, purgat.

Conion.

## CICVTA.

CIcuta, Græcis Conion. Inter uenena maximè eſt noxia, German. **Wutzerling/Wundtſcherling/Schirling/Wüterich/Zygerkrut.** Gal. *Cigue, ou Cocue*. Herba eſt odoris fœdiſsimi, quo uirus eius ſatis cognoſcitur.

Dioſcorides unũ ſimpliciter facit genus, caule geniculato, ut fœniculũ, magno, foliis ferulæ, ſed anguſtioribus, graueolẽtibus, cacumine ramoſo, & umbellas ſuſtinẽte, flo-

re

A re subcandido, semine intus albidiore aniso, radice concaua nec profunda. Germinat primum apij similitudine, unde sæpius maximo & letali periculo eius similitudine sumitur. Pharmacopolæ aliam eius nomine herbam minimè uenenatam semine longo & gracili ostendunt, quæ causa est cur non uenenata à nonnullis credatur: cũ maximè uenenata apud nos nascatur, ac similitudine seminis cum aniso edentes sæpe mori cõtingat. Hodie faciunt duo eius genera: aquaticam frigentis naturę, quę Germa. quoq; **Kelberkern** dicitur, admodum noxia, quod nomen Myrrhidi etiam nostris locis potissimùm tribuitur: & terrestrem naturæ calidæ. Nascitur in pratis passim, locis incultis & umbrosis.

TEMPERAMENTVM.

Temperamentum habet summè frigidum, ideoq; Dioscorides inter enecantia frigoris ui collocat. Celsus facit ei uim exedendi corpora, ut seminibus & foliis potestas sit frigida: cauli feruida.

VIRES, EXTRINSECVS.

Intra corpus præsentissimum est uenenum, qua etiam Socrates hausta periit: Sed remedio est, ut Dioscor. refert, uinum meracũ. Proinde ad solas externas corporis partes uti ea conuenit. Vires itaq; tradũtur ei sequentes: Succus siccatus ad plurimos usus seruatur: miscetur collyriis, quæ ad leuandum dolorem adhibentur: Excipitur autem succus ex caminibus, antequam coma uel semen obarescat, è qua etiam tusa expressus concrescit in sole. Illitus, hulcera quæ serpunt & sacros ignes extinguit, omnibusq; inflammationibus & tumoribus, qui aliis medicamentis non facilè curantur, est remedio. Idem præstat stillatitius herbæ liquor. Herba uel coma per se illita, testibus contra libidines nocturnas est auxilio. Genitalibus fricatis torporem adfert. Lac, puerperarum mãmis apposita, restinguit. Mammas, uirginibus illita, crescere prohibet. Pueris testes ali non patitur. Omnibus in summa omnium partium inflammationibus, & herba, & succus, & stillatitia aqua medentur.

## STRATIOTES MILLEFOLIA.

*Stratiotes millefolia. Chiliophyllos.*

STratiotes Græcis dicta herba, quasi dicas Militaris, quòd milites in castris ad uulnera potissimùm sunt hac usi: Chiliophyllos, hoc est, Millefolia cognominatur à foliorum multitudine. Latinis & uulgo Millefolium hodie. Germ. **Garben/ Kelckē/ Schaaffripp/ Schaaffgarbē/ Tausentblat/ Gerwell**, Gal. *Millefueille*. Frutex est exiguus, palmi altitudine, aut etiam amplius, foliis auicularum pennas imitãtibus, breui admodum dissectoq; foliorũ exortu, sylueſtri Cumino similibus, præsertim breuitate & scabritia, breuiore paulò,

*Millefoliũ*

paulo, umbella dēsiore, & pleniore. Surculos in cacumine gerit exiguos, C & capitula in modum anethi, flores paruos, candidos. Nascitur in agris solo macriusculo, & circa semitas maximè, tota florens æstate. Nonnullis Cuminum syluaticum, Anethū syluestre, & Daucus asininus dicitur, sed malè: est enim ea herba Pastinaca pratensis Theophrasto.

*Cuminum syluaticū.*
*Anethum syluestre.*
*Daucus asininus.*
*Pastinaca pratensis.*
*Stratiotes aquatica.*

Aliud autem est præsens Millefolium ab eo quod Millefolium etiam Latini, Græci Μυριόφυλλον uocant, de quo sequenti capite.

Stratioten uerò hunc terrestrem uocant, ad differentiam aquatici, de quo ante hunc Dioscorides agit, quem aquis innatare, & sine radice uiure scribit. Plinius uerò in sola Aegypto & Nili inundatione: hodie nobis ea species incognita.

TEMPERAMENTVM.

Adstringendi uim habet, & exiccat.

VIRES.

Præcipua eius ad uulnera sananda uis est, unde nomen est sortita: sanguinem concretum dissoluit. Viridis herba tusa & imposita uulnera cōglutinat. Eodem modo imposita menses cōstringit. Easdem habet quod Millefolium hodie uocant uires.

## MILLEFOLIVM.

*Millefoliū Myriophyllum.*

Millefolium Latinis, Græcis Μυριόφυλλον, diuersum à millefolio Stratiote, de quo modò diximus. Germa. **Wasserfenchel Wassertannē**: Caulis est tener, singularis, unica nixus radice, plurimis foliis, leuibus, fœniculo similibus, unde nomē accepit. Locis nascitur palustribus, totaq; herba nuper natam abietem imitatur. Diuersa quoq; est ab Millefolio, quod Achilleam uocant. D Græci etiam hanc Μυριόφυλλον, prædictam uerò χιλιόφυλλον appellant.

TEMPERAMENTVM.

Vis ei sicut & Stratioti glutinatoria, adstringit enim.

VIRES, INTRINSECVS.

Cum aqua uel sale præcipitatis ex potu datur.

Plinio uerò cum aceto bibitur ad difficultates urinæ, uesicæ, & suspiria, præcipitatisq; ex alto.

EXTRINSECVS.

Vulnera recentia, siue uiridis, siue sicca illita, ab inflammationibus liberat.

## ACHILLEA.

Achillea

AChillea ab Achille inuẽtore cognominata, herba hodie incognita. Nõnulli, inter quos Ruellius, Millefolium esse uolunt, sed quale sit Millefolium, quod hodie sic appellant, in præcedentibus de Stratiote est dictũ. Est autem terrestri Millefolio, seu Stratiote terrestri cognata plãta: Ex sideritidis est speciebus, scapos fert dodrantales, aut maiores, fusorum effigie, quasi minutulis foliis circundatos, crebris in latere foliorum sectionibus, coriandri similitudine, subfuluo colore, odore multo, non insuaui, medicato, & glutinoso, umbella in cacumine rotũda, floribus candidis, purpureis, & aurũ æmulantibus. Nascitur aruis pinguibus, & quiescentibus copiosissima. Vocant hanc Supercilium Veneris, & militarem aliqui. Nonnullis Veneris lumbus dicitur. Germ. **Feldgarben/groß Garben/groß Schaaffripp.** *Veneris supercilium.* *Veneris lumbus.*

TEMPERAMENTVM.

Qualitatem cum prædictis eandem obtinet: estq; uulneraria herba.

B VIRES, INTRINSECVS.

Succus decoctæ bibitur ad dysenteriam. Ex aceto quoq; ad stranguriam & suspiria bibitur. Aluum item sistit.

EXTRINSECVS.

Sanguinis profluuium in quacunq; corporis parte sistit. Menses foris apposita, aut insessu cohibet: Vuluæ fluxus decoctum eiusdem insessu sedat.

## POTENTILLA.

POtentilla hodie dicta, quo ueteribus sit appellata nomine non constat, Germ. **Gensterich** dicitur, quasi dicas Anserina, quòd anseres pabulo eius gaudeant. Herba Agrimoniæ forma non dissimilis, locis aquosis, & circa ripas nascẽs: caules ex radice enascuntur copiosi, per terram serpentes: folia Eupatorio similia, teneriora tamẽ & minora, cinerei infernè coloris, caules ex ramis enascuntur nudi, flore luteo, quinquefolij, quinis in singulis flosculis foliolis: herba ipsa est inodora, & gustu carens. Agrimoniam & Tanacetum syluestre sunt qui appellant, ob formam cum ijs similem. Tragus Millefolium magnũ, siue *Potentilla Anserina.* *Agrimonia syluestris.* *Tanacetũ syluestre.* *Millefoliũ magnum.*

siue Myriophyllon Dioscoridis esse credit. Aliqui faciunt alteram Argemones speciem, de qua Dioscorides lib. 2. cap. 170.

TEMPERAMENTVM.

Naturæ est exiccantis in tertium usq; ordinem, minus tamen calfacit, unde tutò, tam intra, quàm extra corpus usus eius esse poterit: Vim adstringendi habet præcipuam.

VIRES, INTRINSECVS.

Vires cum quinquefolio pares obtinet, ad eadem omnia etiam utilis. In uino decocta herba dysentericis & alui profluuijs, coxendicis arti culorumq; doloribus, subuenit. Album fœminarum fluxũ sedat. Quòd quidam lumbricos eam pellere addunt, Tanaceto potius, quam Artemisiæ fecimus speciem, quàm huic tribuitur, cum quo hanc miscuerunt.

EXTRINSECVS.

Fluxionibus et pũcturis oculorũ illita prodest, recentia uulnera glutinat, exedentia sanat, artus & membra confirmat, menstrua compescit.

Perfoliata

## PERFOLIATA.

PErfoliata à forma dicta est, quòd caulis eius singula folia penetret, qua etiam ratione Germa. **Durchwachs**. Diuersa à Perforata, quæ est Hypericum, sic dicta, quòd folia eius soli obiecta foraminibus plena paruulis conspiciãtur. Dicitur etiam **Bruchwurtz**, quòd rupta sanet. Caule nascitur rotundo, rubescente, folia penetrante singula, quæ Pisorum foliis nõ sunt dissimilia, tenuia et glabra. In cauliculorum summo capitula nascuntur, in quibus flores et semina, Tithymali ferè forma, quam uocant Esulam. Radix cãdida, fibris capillata. In agris speltaceis & triticeis plerũq; nascitur. Hanc speciem aliqui Cotyledonem Dioscoridis primam arbitrãtur, quamuis radix quam Oliuæ dicit, forma rotundã, reclamat.

TEM-

TEMPERAMENTVM.

Calida est & sicca, quod amaritudo eius adstringens testatur.

VIRES, INTRINSECVS.

Semen utriusq; in uino decoctum, siue tritum, interna corporis uitia & rupta, potum sanat. Cum lacte pueris datum idem præstat. Aqua stillatitia prodest ad eadem.

EXTRINSECVS.

Apud Chirurgos plurimus est huius usus. Ramices tusa & cum propoli imposita herba sanat: omnium membrorum extuberationibus prodest: strumis discutiendis maximoperè cõfert. Herba siue stillatitia aqua, omnes inflammationes, erysipelata & stomachi æstum, compescit. Exulcerationibus & prominentijs umbilici auxiliatur.

# BIFOLIVM.

HErbam hanc Bifolium appellare placuit, sicut & Germani **Zweyblat** appellant à duobus folijs, quòd de certo eius nomine ambigatur. Caulem à radice emittit unicum, rotundum, in cuius medio duo folia plantagini similia, quæ penetrat, post quæ ad summum usq; calyculi multi, in quibus flosculi nutantibus dissectis linguis non dissimiles, cuiusmodi sunt Satyrionis: radix tenuis, adnascentes radiculas habẽs multas, obliquas & odoratas. Ophrin existimat Fuchsius, quã Ruellius duobus tantùm folijs nasci scribit. Cordus Euritius Dioscoridis Alisma esse credit. Quem secutus Valerius filius, Damasonium Bifoliũ appellat. Brunsfelsio Perfoliata syluestris dicitur. Tragus Orcheos postremam facit etiam speciem.

Ophris. Alisma. Damasonium Bifolium. Perfoliata syluestris

Alteram speciem ponit Tragus, Germa. **Einblatt**/ nomine similiter

à re ipsa indito. Vnico nascitur hæc folio, caule iunceo, tenui, cubitali, su C
pra quod alterum nonnunquam paruum prouenit: florem fert à medio
ferè caulis albicantem, odoratum, ex quo baccæ rubræ fiunt: radice te-
nui & uillosa: caulis folium quodantenus penetrat, unde syluestrem etiã
Cotyledõ syluestris Perfoliata syluestris aliqui Cotyledonem seu Perfoliatam uocant. Nascitur utraq; in syluis:
ac florem fert Maio mense.

TEMPERAMENTVM.

Temperamenti est calidi & sicci: uim habet glutinandi, unde uulne-
ribus glutinandis est utilis.

VIRES, INTRINSECVS.

Radix alterius speciei quæ uno constat folio, semidrachmæ pondere
tusa, & in aceto pota, contra pestem esse efficacissima traditur, contecto
ad sudorem corpore.

EXTRINSECVS.

Vsus eius ad rupta & uulnera conglutinanda est hodie potissimum.

## SOLIDAGO SARRACENICA.

Herba sortis.

Herba sortis. Consolida seu Solidago Sarracenica.

HErbam fortem appellant nonnul
li eã, quæ Germanis **Heydnisch wundkraut** dicitur. Fortem à forti
odore, Germanicam appellationem à D
uiribus accepit. Alij etiam Herbam sor
tis uocant. Cõsolida seu Solidago Sar-
racenica à quibusdam, quòd à Sarrace-
nis credatur reperta, unde & Germani
**Heydnisch** cognominauere. Caulem
fert rubescẽtem, cauum, duũm triũm-
ue cubitorum, è quo folia prodeunt
oblonga, in extremitatibus serræ mo-
do incisa, salici similia, flores luteos in
pappos euanescentes: Radicem multi-
fidam, foris rubentem: in montibus
& syluis nascitur, florens mense Au-
gusto.

Præter hanc duas ponit Tragus spe
cies: Alteram quæ circa aquarum mar
gines nascitur, foliis acutis, tenuibus,
subuiridibus, flore purpureo Origa-
ni, bicubitali ferè altitudine, quam eo-
dem cum priore nomine licebit appellare.

Alteram

Alteram quæ locis aſperis & aridis naſcitur, 3.
præſertim iuxta amnem dictum **Pfrimen**/& apud montem uulgò Durſtenberg. Menthæ acutæ,radice,caule & foliis ſimilis, coloris tamen cinerei: florem fert menſe Iulio & Auguſto, ſubflauum,multum,è capitulis rotundis, primo generi non diſsimilem, qui tandem, ſicut & primi generis flores,euaneſcunt: odorem habet fortem, guſtum amarum. Tragus **Wundkraut auff der Pfrymen** uocat.

TEMPERAMENTVM.

Temperamenti eſt calidi & ſicci, uiq; penetrandi eſt prædita. In uulneribus ſanandis hodie nobiliſsima.

VIRES, INTRINSECVS.

Aqua ſtillatitia herbæ,in uino præſertim imbutæ.ſtomachi, iecoris, matricis,ac totius corporis uitijs medetur: tormina & dolores uentris mitigat. Poteſt eadem quæ Sanicula ſeu Conſolida minor.

B EXTRINSECVS.

Decoctum huius plantæ recentibus uulneribus ſanandis eſt utiliſsimum: purgat enim uulnera,ſi hoc abluantur,ac panniculus in eo madefactus imponatur: præſertim in occultis, tam uirorum,quàm fœminarum locis. Oris & colli hulcera, & uitia collutione ſanat. Efficacius hæc præſtat arida herba in uino decocta. Alias cum reliquis uulnerarijs herbis uires communes habet.

## EVPATORIVM ADVLterinum.

*Eupatorium adulterinum.*

EVpatorium adulterinum Germa. **Hirtzklee**/& **Ewafferdoſt**. Altero nomine,quòd uulnerati ſibi cerui hac opem quærunt: altero uerò ab Origani ſimilitudine impoſito. Item **Kunigundkraut**. Herba S. Kunigundi. Officinæ hoc pro uero utũtur Eupatorio,quare Eupatoriũ adulterinum cum Fuchſio appellare placuit. Herba eſt uulneraria,& Philtri genere,ut ſcribit Tragus,eius nimirum,cuius Lucanus meminit:

*Herba S. Kunigundi.*

*Theſſala uendit*
*Philtra,quibus ualeat mentem uexare mariti.*

Quidam **Albkraut** uocant. Caule naſcitur rotun-

do, purpureo, geniculato, solido & hirsuto, circa quem panduntur alæ, folia longa, canabis ferè similitudine, amara. Floribus in summo coronatim paruis, coaceruatis, subpurpureis, qui tandem in pappos abeunt. Radicem multis habet fibris capillatam, & inutilem. Sunt qui hydropiper Dioscoridis existimant, quos conuincit Fuchsius. Nascitur locis humidis, ut in fluminum ripis, iuxta stagna maximè: florē fert Iulio & Augusto.

TEMPERAMENTVM.

Calida est & sicca in ordine secundo, aut medio tertij: est enim uehementer amara.

VIRES, INTRINSECVS.

Mēses & urinas ciet: obstructiones iecoris & lienis, aliarumq; partiū corporis soluit: cōtra omnia quoq; uenena, ut tradunt, est efficacissima.

EXTRINSECVS.

Vulneraria est, ut diximus, herba, abstergendi, expurgandiq; ui prædita. Suffitus eius uenenatas feras fugat: ceruas uulneratas huius ope remedium sibi quærere scribunt.

## GALLION.

Gallion.
Galerion.
Galation.

1.

2.

3.

GAllion siue Galerium, aut Galatiō, à lacte sic dictū, quòd flos eius ui spissandi, ut Dioscoridis est autor, lac coagulet. Officinis incognita. Germa. **Vnser frawen bettstro/ Wellstro/ Meergertraut.** Folia habet & ramulos rectos aparine simillimos, florem in cacumine luteum, exilē, densum, frequentem, odore grato, semine rotundo, nigro, paruo. Gallis Muschetum minus dicitur, teste Ruellio, quòd flos iucundo placeat odore. Nascitur locis palustribus: florem fert mensibus Iunio & Iulio maximè.

Tragus tres enumerat Gallij species: Vnam iā descriptam: Alteram huic similem, quæ locis nascitur aridis, & circa uias, caule rotūdo, floribus maioribus, sed pallidioribus: Tertiam iam prædictæ similem, sed flore candido, caule quadrangulo, & foliis latioribus: locis gaudet humidis & palustribus: semen priori fert simile.

TEMPERAMENTVM.

Temperamenti est calidi & sicci, & subacris.

VIRES, EXTRINSECVS.

Vsus Gallij ad externas magis est, quàm internas corporis partes. Flos eius lac ui sua spissandi coagulat. Ambustis illitus medetur. Tritus naribus inditus sanguinem ex ijs profluentem sistit.

In

A In aqua coctum Gallium, lassitudinem pedum & membrorum adiuuat. Nonnulli cum alba cera contra hoc ipsum membris illinunt. Infantibus scabie uexatis in balneum impositum, est utilissimum.

## APARINE.

B

AParine Græcis & Latinis. Officinis Aspergula, rectius Asperula, quòd asperitate sua uestibus attingentium pertinaciter adhæreat. Ramulos habet multos, quadrangulos, exiguos & asperos, folia per ambitum rubię modo per interualla circũposita, flores albos, semen cãdidum, rotundum, cõcauum, umbilici figura. Vnde Græcis ὀμφαλόκαρπον, id est, Vmbilicaris appellat. Item Philãthropos, id est, humana, quòd uestes prætereuntium apprehendens detinere ipsos amicorum instar cupiat, Germ. **Kleb kraut**/ab hærẽdo. Gallicè, *Riebles, ou Gratteron.* Nascitur in agris, hortis, circa sepes & maceries. Colligitur æstate cùm semine est prægnans. Manlius purpuream uocat Lappaginem.

*Aparine. Aspergula. Asperula.*

*Omphalocarpus. Vmbilicaris. Philanthropos.*

### TEMPERAMENTVM.

Exiccat & extergit modicè, tenuiumq; est partium.

### VIRES, INTRINSECVS.

Seminis, caulium & foliorum succus cum uino drachmæ põdere potus, contra phalangiorum, scorpionum, & uiperarum morsus est efficax. Eadem præstat aqua stillatitia. Eadem bina uel terna uice in die, ad trium cochlearium quantitatem pota, alui fluxum compescit, ac ictericis est maximo remedio.

### EXTRINSECVS.

Succus infusus aurium doloribus medetur. Folia imposita sanguinis abundantium ex uulneribus cohibent.

Herba ipsa cum axungia trita & imposita, strumas discutit.

## CORDIALIS.

Cordialis Matrisylua.

Caprifolium

Periclymenos.

COrdialem quam Officinæ Matrisyluam, & Germa. **Hertzfreud**/ & **Waldmeyster** appellant, nominare placuit, cùm aliud nomen quod commodè tribui à Græcis uel Latinis posset, non esset.

Est autem Aparines sylueſtris aliqua species, siue etiã Galatij, ut forma ostẽdit. Pedali assurgit altitudine, caule quadrangulo, foliis per interualla stellæ modo dispositis, flore candido, qualis albæ aparines, odorato: radice candida, tenui, uillosa. In syluis mense Maio potissimùm floret. Germa. etiam **Geyssblat**/ hoc est, Caprifolium, dicitur.

Diuersa uerò est à Matrisylua, quæ à Dioscoride li. 4. cap. 12. describitur, Periclymenos dicta, de qua suprà.

### TEMPERAMENTVM, ET VIRES.

Temperamentum & uires cum Galatio & Aparine habet similes: nõ enim aliud quàm sylueſtris earum est species. Potissimùm uerò cordi & iecori, in uino, mense Maio pota, prodest: unde nomen etiam est sortita. D

## RVBIA.

Rubia. Rubia tinctorum. Vena tinctorum. Erythrodanon.

RVbia, quòd radice eius, quæ rubra est, lanæ tingantur, est dicta. Officinis Rubia tinctorum, Vena tinctorum. Græci Erythrodanon uocant. German. **Röte**/ **Ferberröte**. Gall. *Garance*.

Duo facit Dioscor. genera: Satiuam & sylueſtrem. Satiua caules habet quadrangulos, longos, asperos, similes aparinæ, maiores tamen & robustiores: folia in singulis geniculis per interualla, ad stellæ formam disposita: fructus rotundus, uiridis primùm, mox uerò rubescens, ac in nigredinem tandem abiens. Radicem tenuem, longam, rubram, à qua Rubiæ nomen accepit, obtinet.

Sylueſtris est satiuæ foliis & caule & radice similis, florem fert candidum. Nascitur hodie in Germania passim, agro præsertim Argentoratensi, & Spirensi, quemadmodum Isatin ager maximè producit Durensis.

Aliter

A Aliter tamen Rubiam describit Theophrastus, hederæ folia tribuens, quod à descriptione Dioscoridis, & forma eius hodie quoq; lõgè abest, nisi hæc eius mens sit, quòd folia rubiæ sicut hederæ adhærcant.

TEMPERAMENTVM.

Calfacit Rubia in ordine secundo, exiccatuerò in tertio.

VIRES, INTRINSECVS.

Radix in uino decocta, morsibus uenenatorum medetur. Idem succus foliorum & radicis cum uino potus præstat: Vrinam & menses decoctum potum, uel puluis semidrachmæ sumptus põdere, fortiter ciet. Iecoris, splenis, renum & matricis obstructiones in aqua mulsa decocta radix soluit: ictericis probatissimo est remedio. Cum oxymeli radix tusa comesta melancholiam minuit.

EXTRINSECVS.

Fomenta & insessiones, ex foliis rubiæ, uel eadem in pesso admota menses cient, mortuos fœtus & secundinam expellunt. Omnia corporis uitia, maculas, scabiem, serpiginem & papulas, cum aceto folia & radix tusa imposita sanant.

## PISVM.

B

Pisum à loco, urbe uidelicet Pisa, ubi maximus eius fuit prouentus, id C nominis est adeptum. Græcis λέκυθος. Germ. **Erbsen/ Erweyssen.** Gallicè, *Pors*. Notissimum hodie omnibus legumen. Loca amat aprica & tepida, Caules in terram spargit concauos, ramososq;, surculo præterenui, folio frequenti, & longiusculo, flore papilionis forma, circa umbili cum purpureo, siliqua oblonga cylindroides, granis rotundis, radice imbecilla.

Tria sunt huius genera magnitudinis ratione. Primum reliquis minus Germani appellant **klein Felderbeyß**. Secundum **Klotzerweyß**/ caulem habens nodosum magis & densum. Tertium quod reliquis maius est, German. **groß Gartenerbeyß**. Posteriora duo adminiculo seu fulcimentis egent, primum uerò minimè. Tragus Pisum Dioscoridis alterum arietinum Cicer esse credit.

### TEMPERAMENTVM.

Pisum mediocritatem in refrigerando & exiccando obtinet.

### VIRES. INTRINSECVS.

Pisa cum Petroselini satiui radicibus cocta, puerperis sunt salutaria. Iusculum eorundem superfluitates puerperarum per urinam educit. Flore præsertim nucis myristicæ & Rosmarino simul coctis.

Lac ijsdem generat. Vnde bonum pisorum nutrimẽtum facilè est col- D ligere. Ictericum morbum ius eorum ciet, incipienti hydropi aduersatur, dies aliquot sumptum Nec, ut nõnullorum est iudicium, noxius est pisorum usus, sed in omnibus penè morbis ius decocti eorum præberi tutò potest.

### EXTRINSECVS.

Decoctum pisorum ex aqua uel lixiuio manantem capitis scabiẽ certò purgat. *Scabies capitis.*

Idem decoctum maculas faciei abstergit, cutemq; glabram efficit.

Addito melle & farina hordeacea præstantissimum aduersus putrida & manantia, contumaciaq; hulcera sunt remedium.

Pisa cum Vicijs in aqua cocta & illita tumores sedant, doloremq; leniunt. Idem præstant fabæ. Verrucas aiunt pelli si singulæ singulis pisis, hora nouilunij, tanguntur, ac omnia in panniculum deinde simul colligata retrorsum projciantur: sic enim uerrucas decidere.

## CICER.

Cicer, unde nobile illud Ciceronum nomen. Græcis Erebinthus. Germa. **Zysererbsen**. Gall. *Pors rouges, ou Chiches*.

*Ciceris species. Columbinum. Arietinũ. Orobiæũ.*

Triplex eius in flore differentia, aliud album, aliud nigrum, aliud rubrum. Quod albũ est, Columbinum, item Venereum appellant. Quod nigrum uocãt Arietinum, ab arietini capitis forma. Tertiũ Orobiæum, ab

B ab erui similitudine, quod ruffum est. Amat solum crassum pullumq;. Radice nascitur surculosa & alta, caule lignoso, obliquo, foliis exiguis, multis, circinatis, flore albo uel purpureo, uel nigricante, siliquis rotundis. Pisis uerò sunt siliquæ cylindroides. Reliquis leguminibus longæ, & ad seminis formam latæ.

TEMPERAMENTVM.

Calfacit & exiccat in primo ordine.

VIRES, INTRINSECVS.

Ciceris in medicamentis quàm in cibo potior est usus.

Secunda Ciceris decoctio, prima uidelicet effusa, ieiuno stomacho pota, urinam ciet, & calculum pellit. Incipienti hydropi idem decoctum, per aliquot dies potum est salutare. Exulceratis uerò renibus & uesicæ nimius Ciceris usus, ob pellendi facultatem, obest.

EXTRINSECVS.

Ciceris par cum pisis in externis corporis uitijs est effectus, in omnibus tamen uehementior.

## PHASELVS.

Phaselus,

PHaſelus, uel Phaſiolus, uel Phaſeolus. Germa. Faſelen/Wild oder D Welſch Bonen. Dolichos apud Dioſcoridem, & Smilax aſpera, hortenſis ſiue leuis. Variant autem autores in his nomenclaturis, Phaſelũ & Phaſiolum diſcernentes, ut Phaſelus ſit legumen ſimpliciter ſic uocatũ ab Italis. Phaſiolus uerò idem ſit cum Dolicho ſeu Smilace leui. Pulcherrimè autem hoc ipſum diſcrimen explicat Valerius Cordus. Phaſelus itaq;, ſiue Phaſeolus, aut Phaſiolus, legumen eſt, abſq; adminiculo ſeu pedamento per ſe ſubſiſtens, folia habens in uno pediculo tria, hederacea, mollia, quorum ſpina ex interiore parte candicat. Flores profert candidos, & poſt hos in ſiliquis teretibus candida & oblonga ſemina, media inter fabas uulgares & piſa forma & magnitudine, quibus nigrũ quiddam eo loco, quibus ſiliquis annectuntur, ineſt. Atq; hunc Phaſelum deſcribit Dioſcorides lib. 2. cap. 100.

Altera uerò eius ſpecies eſt, quam Dolichon ipſe & Smilacem hortenſem ſiue leuem, eodem libro cap. 140. appellat. Hęc arbuſtis circumuoluitur & haſtis, fiuntq; ex ea coronæ æſtate, longiores hæc quàm prædictus. Phaſelus fert ſiliquas, Vnde à quibuſdam Dolichus appellatur, & fructus eius Lobi, quoniam inſignes ſunt ſiliquæ, in quibus figura Phaſeli ſemina naſcuntur, non tantùm candido colore, ſed etiam nigro, croceo, ruffoq;, & mixtis etiam pluribus coloribus ſimul. Quoniam uerò hæ duæ Phaſelorum ſpecies inuicem ſimiles ſunt, nomen etiam commune retinent, Cùm uerò propriè loqui uolumus, legumen illud prius deſcriptum,

Lobi.

A scriptum, Phaselum siue Phasiolum uocamus: Posterius uerò descriptũ Dolichum, uel Smilacem leuem siue satiuam, & siliquas eius Lobas. Porrò utrunq; Germaniæ peregrinum fuit legumen, & Phaselus siue Phaseolus siue Phasiolus, qui absq; adminiculo erigitur, paucis in Germania Pharmacopolis & Herbarum studiosis seritur. Dolichus uerò à pluribus, non tantùm ciuibus, uerùm etiam rusticis, umbræ & ostentationis causa.

TEMPERAMENTVM.

Calidi sunt & humidi in primo ordine, ut Simeoni Sethi placet.

VIRES, INTRINSECVS.

Phaseli & fabæ aluum inflant, difficulter concoquuntur, ijs potissimùm qui laboribus sunt assueti conuenientes: Ociosis, & infirmum stomachum habentibus, noxij. Virides autem Phaseli & Fabæ, aluum duram emolliunt: ad quem usum commodè sumi poterunt. Crudi Phaseli uomitiones adiuuant & cient.

EXTRINSECVS.

Ad sedandos tumores & dolores in occultis locis, par ferè est Phaselis, Fabis, Vicijs & Pisis facultas: alterumq; alterius uicem supplere ualet.

B

## CICERCVLA.

Cicercula, diminutiuo facto à Cicere, Græcis Lathyros, Latinis Cicercula & Pisum Græcorum. Germa. Kichern. Sunt qui dicant esse Cicer arietinum, item Columbinum. Reclamat autem Plinius, qui Cicerculam dicit esse inæqualem & angulis multis: quod manifestum est: siquidẽ omnia reliqua leguminum genera inæqualitate uincit. Caulem habet tenuem, angulosum, ramulos per terram sparsos, sicut Pisum minus: folium uerò longè diuersum, acutum & oblongum: florem Pisi, album, sigillatim pediculo adhærentem: siliquas incuruas, binis terniue angulis. Nascitur passim per Germaniam, maximè circa Vuormatiam ac Spiram.

Est & syluestre Cicerculæ genus, quod in carectis nascitur, foliis acutis, longis, in quorum extremitatibus sunt uillamenta tenuia, quibus leguminum

minum instar adhæret: flore ferè luteo & semine in siliquis incano ac pe C
nè nigricante. Germa. appellant **Vogelswicken**/quod nomen tertię lo
ti speciei suprà est tributum.

TEMPERAMENTVM, ET VIRES.

Temperamenti est calidi & sicci. Vires cum Pisis easdem obtinet, estq; ad eadem utilis. Vrinam uehementius pisis ciet: in cibis est gratior. Ciceri alioqui per omnia, quantum ad usum, similis.

## CYAMVS, SEV FABA.

CYamus Græcis, Latinis Faba. German. **Bonen.** Gall. *Feue*. Dicto Pythagoreũ nobilitata: A fabis abstine, quasi fabæ esum interdixerit Pythagoras, quod pleriq; existimant, quoniam sensus hebetent & insomnia faciant, animiq; perturbationem afferant. Sed quorundam uult sentẽtia, Pythagoram per κύαμον, hoc est, Fabam, testiculos intellexisse, hoc est, rem Veneream, ἀπὸ τοῦ κύειν, id est, quòd pariendo sint causa, uel quòd εἰς τὸ κύειν δύνασθαι, hoc est, quòd ferendo utero ualeant. Sed hæc sunt παίγνια.

Gaudet solo pinguissimo, & bene stercorato, ac nusquam non in hortis sata prouenit. Sola leguminũ sine adminiculo nitens, folio carnoso, portulacæ simili, flore cristato, uersicolore, hirto, partim albo, partim purpureo, atris quibusdam maculis notato, quas M. Varro lugubres uocat literas, propter quas à fabis abstinẽdum Pythagoram dixisse existimat, siliqua plerunq; semipedali, fructu intus lato, humani unguis effigie, colore nõ simplici, sed aut fuluo aut nigro, aut herbaceo, aut coccineo. Radice singulari, ligniosa & fibris capillata. Floret æstate diebus quadraginta, non uniuersim, ut frumentum, sed particulatim. Caulis pars infera primum florem promit, quo excusso proxima, atq; ita ad superna successu continuo itur. Aquas concupiscit in flore maximas: Cũm uerò defloruit, exiguas. Inhærent autem Fabæ suis uoluulis ueluti cellulis peculiaribus clausæ. Nigrũ quod in summo eius uisit̃, Hilum uocãt. Vermes qui in Fabis enascuntur, appellantur Latinis Mydæ. Repurgamenta fabarum dicuntur Fabalia. Quomodo à uermibus custodiantur, docet Columella Rei rusticæ scriptor. Plutarchus in symposiacis autor est: semina, quæ inter iactandum inter boum cornua ceciderint, fructum rebellem & coctioni renitentem producere. Farina fabarum dicitur Lomentum.

*Hilum.*
*Mydæ.*
*Fabalia.*
*Lomentũ.*

TEMPERAMENTVM.

Temperamento & uiribus à fabis Italicis, hoc est, Phaselis nõ absunt. Sunt autem frigidæ & siccæ, secundum Simeonem Sethi, in primo ordine.

A ne. Recentes uerò & uirides sunt frigidæ & humidæ. Tragus facit calidas & humidas.

VIRES, INTRINSECVS.

Fabæ, ut Simeon Sethi est autor, carnem gignunt, nec adstrictam nec densam, sed mollem & laxam: inflant, & corpus totum distendunt, præsertim cùm quis his non assuetus uescitur: decoctæ uerò seu fressæ non parum de inflatione deponunt, & aliquatenus abstergunt mundántue. Harum uerò lomentum seu farina sordes corporis abstergit & emundat, atq; ideò non multum in uentriculo moratur, uti faciunt succi cæteri crassi glutinosiq;. Recentes quidem fabæ si sumantur, communem fructuum reliquorum rationem habent, quos post cibaria apponimus: humidius enim alimentum corpori inferunt, & non modò ad intestina, uerumetiam ad omnem habitudinem. Sanguinem itaq; nõ malum gignũt, ut Galenus ait, nec superiores partes uẽtriculi inflationibus, quemadmodum cætera legumina, uerùm inferiora caputq; grauant, & unà corpus delassant. Decoctum fabarum pectus lenit, sed cum aceto sumptum, uẽtrem sistit.

Alij succum malum fabas habere arbitrantur, hac coniectura ducti, quòd bestiolas quasdam gignant, quæ omnino ex sordibus quibusdam humescentibus & putredine nascantur. Qui autem hæc corroborant, fabas tradunt non solùm mentem perturbare, sed & aciem ingenij hebetare eorum qui diutius in locis, ubi plurimæ proueniũt, uersantur, ea uidelicet causa, quoniam mali uapores & ferè pestilentes ex his reddũtur, qui quaq; uersum aërem inficiunt & corrumpunt: qui continenter illatus cerebri temperaturam subuertit, qua subuersa & infecta, rationalis uis ac facultas hebetatur. Succum quoq; turbulenta facere insomnia ferunt. Decoctum calculos in uesica & renibus ne gignantur prohibere ferunt, ac proprietate quadam destillationes à capite in pectus ne defluant auertere, quæ tusses uehementes suscitarent.

EXTRINSECVS.

Farina fabacea in aceto uel uino cocta, tumoribus, præsertim si in occultis locis fuerint, imponitur. Coctæ fabæ pedibus impositæ, dolorem eorum sedare traduntur.

## LVPINVS.

LVpinus, Græcis Thermos dicitur. Officinis Latinum nomen retinet, Germa. **Feigbonen**. Ex fabarum quoq; est genere. Tristem appellat Verg. ob amaritudinem immensam, nec eius usus est, nisi diebus aliquot in aqua maceratus fuerit, ut amaritudinem exuat. Cibus quoq; fuit inferorum, & defunctorum, ut est apud Ouid. uidere in Fastis. Nascit solo exili & arenoso, in rubrica maximè. Limosum cultumq; solũ respuit. Caulem habet unicum, folium quinq; fariàm aut septifariàm dissectum, florem candidum, siliquas crenatas, in quibus quina senáue intus Thermos

grana, ſeptis diſtincta, dura, lata, rufaq; cõtinentur. C Radix lutea, capillamentis fibrata, Radice ferro ſuc ciſa, ſeu uulnerata, totus frutex emoritur. Sarritionem itaq; non patitur, nec ea opus habet, cùm ſola hæc adeò non infeſtetur alijs herbis, ut ipſa herbas perimat. De Cura eius uide Columellam. Plinius ter florere Lupinum ſcribit, quod ſic uenit accipiendũ. Principio florem fert circa medium caulis, cuius ſiliquæ menſe Auguſto matureſcunt. Hinc prioribus matureſcentibus ſecundus flos in ramulis adnaſcentibus prodit, qui rarò ad maturitatem peruenit. Tertius flos mẽſe prodit Auguſto in ſummitatibus, qui ob frigoris iniuriam nunquam matureſcit.

TEMPERAMENTVM.

Calidus eſt & ſiccus intenſè, quod ingens eius in guſtu amaritudo indicat.

VIRES, INTRINSECVS.

Lupinus in aqua, quoad amaritudinem deponat, maceratus, hinc arefactus tritusq;, cum aceto potus, nauſeam ſtomachi pellit, eiusq; appetitum excitat. Lũpinus amarus tuſus, cũ melle uel aceto ſumptus, uermes uentris efficaciter perimit: idem præſtat a- D qua, in qua Lupini ſunt cocti, uel macerati. Efficacius hæc præſtat, ſi ruta & piper ſimul decoquantur bibanturq;. Idem decoctum iecoris & lienis præcipuè obſtructiones aperit, urinam ciet, menſes ducit, & cum melle ac myrrha mortuos fœtus expellit.

EXTRINSECVS.

Aqua, in qua Lupini fuerint decocti, omnis generis ſcabiem, pſoram, gangrænam, papulas, & manantem capitis ſcabiem purgat, ſanat, & cutem glabram efficit. Sugillata, in facie præcipuè, cum aqua pluuia decocti tollunt. Farina Lupini cum aceto cocta & illita, ſtrumos, tubercula, & durities diſcutit, membrorumq; inflammationes ſedat. Cum Chamæleontis radice in uino impuro uel aqua cocti, contra pecudum ſcabiem præſtantiſsimum ſunt remedium, ſi ſæpius eo ſcabies purgetur.

## VICIA.

VIcia à uinciendo M. Varroni eſt dicta, uel quòd capreolos, ut uitis habeat, quibus ſurſum ſerpit, ac quidquid attigerit appræhendit. Gall. *Veſſe ſauuage*. Germa. **Wicken**/uel **zam Wicken**/ ad differentiam Aphaces, quæ eſt ſylueſtris Vicia. Item **Roßwicken**/ quòd pabulum ſit iumentis. Naſcitur locis maximè ſiccis, cubitali altitudine, foliis Aphaces, ſed amplioribus: flore piſi, minutis, nigricantibusq; in ſiliqua granis. De ſatione & cultu eius Columella, & M. Cato.

Errant

Errant qui Viciam idem faciunt cum Orobo seu Eruo, de quo mox dicetur. Galeno uiciorum semen lenti est simile, & fabarum modo longiusculum: à qua similitudine Aphacen etiam appellant, quæ propriè tamen est Vicia syluestris, de qua sequenti mox capite. Qui curiosius obseruare uolet, plures Viciorum species ex magnitudine facere poterit.

TEMPERAMENTVM.

Calfacit mediocriter, exiccat uerò in secũdo ordine.

VIRES, INTRINSECVS.

Farina Viciorum urinam ciet, aluumq; bonam efficit: nimius autem eius usus uesicæ & intestinis, ob expultricem uirtutem, officit.

Tabidis, iuglandis quantitate cum melle, ieiuno per aliquot dies stomacho sumpta eius farina, est utilis.

EXTRINSECVS.

Cum uino mixta Viciorum farina, serpentum, canũ & hominum morsus, illita, purgatis prius ipsis locis, prodest. Eadem cum melle & uino pectoris tubercula, cum dolore nata, sanat, manantia cutis uitia curat, maculasq;, ut de lupino est dictum, extergit.

Fomentum ex uicijs & aceto stranguriam pellit & Tenasmum.

## APHACE.

Ἀφάκη, Aphace, ab ἀ similitudinem significante, & φάκος, id est, lens, quòd lenti sit similis. Vel ab ἀ priuatiuo, & φάκος, quòd non sit lens. Vulgò syluestris Vicia. Nam sponte in aruis nascitur, & Os mundi. German. **Feldwicken/wild Wicken/S. Christophels kraut.** In aruis altior lente nascitur, foliis tenuibus: siliquas fert lenticula maiores, in quibus terna quaternáue semina, nigra, lente minora, continentur. Mense floret Maio, & mox in siliquis semen producit.

*Syluestris Vicia.*

Diuersa est hæc ab Aphace Theophrasti. Siquidem Theophrasto Aphace non siliquatur: flos enim in pappos euanescit, in quibus magna ex parte semen occultatur: nec folium eius ad lenticulæ, sed magis ad Cichorij formam accedit.

*Aphace Theophrasti.*

Aphace uerò Theophrasti putatur esse primum Hieracij genus.

TEMPERAMENTVM, ET VIRES.

Caloris est mediocris, & ualentius desiccat. Folia adstringendi uim possident. Vires cum lente pares habet, sed natura ipsi ad spissandum efficacior est, quàm lenti. Tosta & trita, lentis instar decocta, uentriculi aluiq; fluxus, & ructum acidum sistit. Editur ut lenticula, uerùm ægrius, teste Galeno, concoquitur.

## OROBVS, seu Eruum.

Eruum.

ORobos Græcis & Officinis dicitur. Latinis Eruum, Germanis **Eruen**. Ex legumínum similiter est genere, Germanis peregrinum hactenus, nec diu cognitum legumen. Non enim sine errore Orobi appellarunt Vicia, quæ Germanis **Wicken** dicuntur. Gallis *Ers*. Hodie uerò à quibusdam seritur, solo gaudens macro, nec humido.

Duo eius faciũt genera, solo flore differentia, qui in altero est candidus, in altero rufus: deinde etiam radice, quæ in altero est multis fibris capillata, in altero densa & lignosa. Folia habet prætenuia & angusta, florem uel candidum, uel in candido cœruleum, aut puniceum: semina in siliquis sine septo, sicut pisa, continentur: siliquæ forma est cylindroides. Radix in candido capillata, in rufo crassa, & minimè capillata. De satione & cultu eius Columella & Varro.

TEMPERAMENTVM.

Calidum est in ordine primo: siccum in secundo intenso.

VIRES, INTRINSECVS.

Eruum frequentius comestum capitis grauitatem facit, uentrem turbat, sanguinem per urinam ducit. Coctum uerò boues saginat. Farina eruí bonam facit aluum, urinam cit, corporis colorem commendat. Farina autem conficitur in hunc modum: Vberrima & candidissima quæq; leguntur semina, & aqua tantisper madent, dum satiata satis ebiberint: exempta postea friguntur, donec ab his cortex decedat, tum moluntur & arctiore cribro cernuntur, quod ita fuerit excussum, eruina farina appellatur, conditurq;.

Cum

A Cum aceto sumptum eruũ, tormina, difficultates urinæ & tenasmos lenit. Nucis magnitudine frixa & cum melle sumpta, prodest ijs qui cibo non nutriuntur.

EXTRINSECVS.

Farina eius hulcera cum melle purgat, lentigines item & aspredinem cutis in facie, eiusdemq; maculas, & reliquum corpus: Nomas, gangrænas cohibet, mammarum duritias emollit. Fera hulcera, carbunculos fauosq; rumpit. In uino macerata, canum, hominum, uiperarumq; morsus illita sanat. Decoctum eius perniones, & in corpore pruritus, fouendo sanat.

## LENS.

B

LEns seu Lenticula, Græcis Phacos, Germa. **Linsen**. Gall. *Lentille*. Lentis à natali solo possunt recenseri genera: Indica, diuersa à nostrate. Aegyptia Vergilio maximè laudatur, & Ouidio, Pelusica ob id dicta. *Phacos.*

Duo eius in Aegypto faciunt genera. Alterum rotũdius nigriusq;: alterum sua figura. Amat solũ magis tenue quàm pingue, cœlum utiq; siccum. Legumen est racemosum, nascitur foliis uiciæ, sed minoribus floribus exiguis, in candido purpurascentibus, siliquis paruis, molliter in latitudinem fusis, in quibus tria aut quatuor grana: inter legumina minima sunt.

Est porrò duplicis differentiæ Lens: altera legumen, de qua hic agitur: altera stagnantibus undis innatans, Lens palustris dicta. Germa. **Wasserlinsen/ Meerlinsen**/nihil aliud quàm muscus lenticulæ similis, de qua suprà. *Lens paluſtris.*

TEMPERAMENTVM.

Lens in caliditate & frigiditate medium obtinet: Exiccat in ordine secundo.

VIRES, INTRINSECVS.

Qui lente, inquit Simeon Sethi, crebrò uescuntur, elephãtem morbũ, & cancros, & scirrhos, & neruorum dolores, & atræ bilis adfectiones contrahunt. Aptus enim est crassus & siccus sanguis, melancholicus fieri succus. In quibus igitur malus quidam habitus aquosus est in corpore, his duntaxat utilis est hic cibus: uerùm aridis & squalentibus & situosis est noxius. Et eodem pacto oculorum aciem nimio plus siccando he-

betat, è contrario uerò sanat. Nec utilis est ad purgationes menstruas, quoniam crassum ac difficulter profluentem sanguinem gignit.

Veneris appetentiam & semen genitale extinguit, ac propterea castè uiuere uolentibus maximè conuenit. Mala & difficilia facit insomnia, propter melancholicos qui ex ea fiunt humores. Si uerò cum mentha coquatur, plurimum inflationis deponit: nonnulli & betam huius rei gratia inijciunt, eo quo decoquuntur tempore. Si ex prima decoctione lentes edantur, aluum feruntur emollire: Prima uerò decoctione seu aqua effusa, si secunda uice cum aqua fuerint coctæ, fluxus alui tradunt sistere: ad quos usus potissimùm in cibos ueniet: aliàs, ut dictum est, minus commoda.

EXTRINSECVS.

Fluentibus cutis uitijs, tumoribus, scirrhis, in collo, circa aures, & pectus impositæ lentes, perinde atq; uicia & fabæ, aliaq; pleraq; legumina, ea sanãt, sedant, & discutiunt. Podagricis cum polenta in aqua decocta subuenit. Probè decocta & trita, uulneribus quæ iaculo uel sagitta facta sunt, imposita, sanguinis fluxum sistit.

# DE FRVMENTIS.

ABSOLVTIS leguminibus, proximo se loco offerũt frumenta, quæ ordine quantum fieri poterit singula explicabimus. Primùm generalibus quibusdam, quę singulis ferè communia sunt, præmissis. Frumentum igitur, Græcis σίτος, quòd cibũ præstet seu alat hominem, sicut Latinis à fruendo. Frumenti appellatione uenit, quidquid ex se mittit aristas, & in herba est per hyemem. Suntq; alia hyberna, quę post Vergiliarum occasum terræ mandantur: alia æstiua, quæ ante Vergiliarum exortum seruntur.

Partes frumentorum sunt: Granum, Gluma, Arista, Spica, Vagina, Stipula, Culmus, Frit, Vruncus.

*Granum.* Granum dicitur, quod intimum est & solidum, à gerendo Varroni dictum, id enim seritur ut frumentum gerat.

*Gluma.* Gluma est folliculus eius, à glubendo facto uocabulo, quòd eo folliculo deglubitur granum: est in summa theca ipsius grani. Gluma item dicitur folliculus fici eius quem edimus.

*Arista.* Arista dicitur, quæ ut acus tenuis longa eminet è gluma, dicta quòd prima aresçit: estq; apex glumæ, & uelut cornu spicæ.

*Spica.* Spica à spe est dicta: eam enim quod sperant fore serunt: quæ cùm

*Mutica.* non habet aristam, Mutica dicitur, quasi mutila.

Vagina

A Vagina dicitur, in qua herba latet, ad similitudinem uaginæ qua latet conditus gladius. Vagina.

Stipulæ sunt folia culmum ambientia. Stipulæ.

Culmus idem est quod calamus, cùm spicæ penitus iam oriuntur in summitate spicæ iam maturæ. Culmus.

Quod minus est quàm granum, Frit appellant. Frit.

Quod ad culmi cacumina infirma spica geritur, minus itē quàm granum, Vruncus appellatur. Vruncus.

## TRITICVM.

TRíticum Græcis Pyros, Germanis **Weyssen**. Sic dictum Latinis, ut M. Varroni placet, quòd tritum è spicis sit, qua ratione singulis frumentorum speciebus attribui posset. Tria huius numerantur genera. Pyros.

Primum culmo nascitur quàm hordeum altiore, tribus geniculis constante, folio arundineo, spica à foliis remotiore, incondita, & in nullos

Robur. uersus disposita. Latinis Robus à pōdere & nitore, quo reliquis præstat, C appellatur. Germa. simplicitur Weyssen.

2. Secundum, culmo, geniculis, granisq; priori simile, nec ab eo differt, nisi quòd spicam multis aristis uallatam, & in duos uersus dispositā obti

Trimestre net. Hoc Trimestre dicitur, quòd tertio à satu mense metatur: In nostris tamen regionibus quinto primùm mense metitur, ob cœli & aëris diuer

Sitanium. sitatem. Item Sitanion. Germa. Ammelkorn/quòd fortasse optimum ex hoc Amylum conficiatur. Nascuntur prima duo genera passim sata. Co lumella quartam farris facit speciem. Alio nomine Halicastrum.

3. Tertium priori per omnia simile, nisi quòd genicula habet quaterna. Germa. Welscher Weyssen/& Weyssenkolb. Rarius hoc genus in no stris regionibus. De satu & cultura Tritici, uide Rei rusticæ scriptores. Columella siliginem facit secundam Tritici speciem, de qua paulò post in capite de Siligine agetur. In Tritico marcescente nascuntur insecta,

Pollen. quæ Gurgulliones uocant. Græci Cias. Pollen dicitur in Tritico, quod

Flos in siligine quid. flos in siligine, et est tenuissimum purissimumq;, quod est in farina, quod molis pulueris instar adhærere solet.

## TEMPERAMENTVM.

Triticum calfacit in primo ordine: neq; manifestè siccat, neq; humectat. D

## VIRES, INTRINSECVS.

Tritici innumeros usus nemo facilè exposuerit, præterq; enim quòd panem præstantissimumq; præbet, ad cibos quoq; maxima eius est utilitas, nec non in medicamentis. Colli asperitatem in lacte uel aqua, tritici farina cum butyro cocta, lenit, tussim mitigat, sanguinē excreantibus præstanti est auxilio, similiter pectoris exulcerationibus. Eadem farina in aqua mulsa cocta, omnis generis internas inflammationes sedat. Vetus triticeus panis utilis est ijs qui alui fluxu sedulò infestantur. Tritici semina cruda mansa, uentri sunt noxia, uermesq; in corpore, ut Serapion est autor, gignunt.

## EXTRINSECVS.

Podagra. Sextum Pompeium podagram tritico turasse, ad genua usq; in tritico sedendo, legimus. Furfures tritici in aqua mulsa cocti, colli exulcerationem gargarizatu & collutione sanāt: tonsillas item discutiunt. Iidem furfures ex aceto cocti, luxatis membris neruisq; præstantissimum sunt fomentum. Cui rei Agrimoniam alij adhibent. Decoctum eius serpiginem, papulasq; sanat, omnisq; generis inflāmationibus, tumoribus, præsertim pectoris & naturalium locorum, medetur. Eodem decocto serpētum uenenatorumq; morsus loti & purgati, sanantur.

Fermentum tritici calidam cientemq; uim possidet: omnia tubercula, præsertim pedum clauos ad maturitatem perducit & aperit, cum sale illitum.

DE

## DE AMYLO.

Amylum, Germa. **Krafftmeel/ Sterckmeel/ Amlung.** Aliàs etiã Amydum. Dictum, ut teſtatur Dioſcorides, quòd ſine mola conficiatur. Fit autem ex tritico, & nonnullis ex hordeo, hunc in modum: Tritici quantum uoles in frigidam recentem aquam iniícito, ſæpius in die agitando, ac indies recentem ſuperfundendo. Quinto die cùm emollitum fuerit, aquam ſenſim ſine agitatione, ne tritici mollita farina ſimul efflu-at, effundes. Aquam quæ poſtrema uice effunditur, uaſculo puro excipies, contuſumq; triticum per pannum colabis, aqua ea nonnihil admixta, ut facilius penetret. Materiem colatam in ſole ſiccabis, innatãtemq; omnem aquam effundes, & habebis Amylum confectum. Naturę eſt calidæ ac humidæ. Valet aduerſus oculorum fluxus, puſtulas & caua hulcera. In potu ſanguinis reiectiones cohibet. Cum farina hordei & ſaccharo tuſsim ſedat. Cum lacte Amygdalarum fluxam aluum ſiſtit, exaſperatisq; faucibus & ſanguinis ſereationi prodeſt. In ore manſum, rabidi canis morſui impoſitum, medetur.

In aqua noctem unam imbutum, & cum oleo amygdalarum decoctum, ſaccharo admixto, apoſtematibus pectoris medetur.

## HORDEVM.

B



HOrdeum, Græcis Crithe, German. **Gerſten.** Gall. *Orge.* *Crithe.*

Duplicem faciunt eius in ſpica differentiam: Alterum uocant Hexaſtichon ſeu Polyſtichon, quòd ſex aut multos uerſus habeat: quod nonnulli Cantherinum uocant, propterea, quòd, ut Ruellius cẽſet, folliculo caſtratum enaſcatur. Huius frumẽtis proximus eſt uſus. Seritur hoc ſoluto, ſicco, pinguiq; maximè ſolo: ſiquidem eius ſegetibus arua marceſcunt. 1. *Hexaſtichon, ſeu Polyſtichon.* *Cantherinum.*

Alterum genus uocant Diſtichon, quòd duos duntaxat uerſus habeat, German. **klein Gerſten/** ſicut prius **groß Gerſten.** Seritur quàm pinguiſsimis frigidisq; locis circa Martium menſem: quod Galaticon etiam dicitur, ponderis & candoris eximij, ut tritico miſtum egregia cibaria familię prę beat. Culmo naſcitur Tritici, fragiliore tamen, minoreq;, quinque, ſex, & interdum pluribus genicu lato articulis, ſimplici in ſtipula folio, & eo quidem ſcabro ac lato. Grana ferè nuda, longiore capillamento, mordaciq; ariſta. In uerſus ſpicatur: radice frequenti, capillis fibrata. 2. *Diſtichon* *Galaticon.*

Hordeum

Erisybe. Hordeum magis quàm triticum rubigini, quam Erisyben Græci uocant, est obnoxium. Vnum tamen genus, quod incurua spica nascitur à rubigine ob id est tutum, Græcis Eteocrithon dictum. In lolium degenerare Hordeum infestis imbribus, aut uliginosis locis, longioréue pluuia dilutis, aiunt.

Eteocrithon.

Polenta. Torrefacti hordei farinam Polentam uocant, Græci Alphita.

Ptisana. Ptisana dicitur potus ex hordeo factus mundato, à πτίσσειν, quòd hordeum tundendo degluberetur, ac suo cortice exutum ad usum reconderetur. Officinis Hordeum mundatum. Germa. **Gerollt oder geschelte Gersten**. De Ptisanæ coctione consule alios. Et Hippocrates proprium de Ptisanæ laudibus libellum scripsit. Ex Ptisana & lupulo potus cõficitur nemini non notus, Latinis Cereuisia, Zythum Græci, Ger. **Bier** uocant.

Hordeum mundatũ.

Cereuisia. Zythum.

TEMPERAMENTVM.

Refrigerat & exiccat Hordeum in primo gradu.

VIRES, INTRINSECVS.

Hordeum cum fœniculo coctum, lac amissum mulieribus regenerat. Farina eius in butyro tosta, citam aluum sistit.

EXTRINSECVS.

Hordeo præcipuæ cum tritico sunt uires. Farina eius, item furfures ex aceto & butyro tosta, luxatis membris illita auxiliantur: tumoribus pectoris occultorumq; locorum, ramici, calidæ podagræ, strumis, alijsq; inflammationibus illinuntur. Aliqui mel, ficus, stercus columbinum, Resinam terebinthinã, & oleum oliuarum simul decoquunt. Aduersus laterum dolores: Recipe farinam hordeaceam, Melilotum, capita papaueris, Folia rutæ, Fœnogræcum, pari singula quantitate, decoquantur in aqua, & addito oleo fiat cataplasma, quod calidum sæpius lateri impositum dolorem mitigabit, uitiosorumq; humorum collectionem discutiet.

## ZEA.

Zea, Latinis Semen, à frugis præstantia est dicta, Vulgò Spelta. German. **Speltz/ Dinckel/ Einkorn/ S. Peters korn**. Gall. *Peaulte*.

Duas eius species Dioscorides, hodieq; faciunt. Prima, culmo, geniculis & spica tritico est similis, duobusq; utriculis iunctis, duo grana simul fert. Vnde Græcis δίκοκκος cognominatur. German. propriè **Spelt**z/ & **Dinckelkorn**. Far Elusinum appellat Columella.

Far elusinum.

Altera culmo & spica est breuioribus, grana uerò singula in singulis tunicis, duplici ordine seu uersu profert: ac in summitate sua aristis hordeum planè refert. Hæc Zea simplex

A plex dici poterit. Germa. hæc **Einkorn**/& **S. Peters korn** dicitur.

Tertia præterea est species, quam Alicam, Chondrum, & Far adoreum uocant, Germani simpliciter **Kern**/uel **Dinckelkern**/ aristis nudis, granis non occlusis, sicut in reliquis generibus frumentorū: reliqua prioris similis. Alica etiam dicitur potus ex Zea uel Alica frumento cōfectus, uel ipsa ex fruge Farina. Laudata maximè ueteribus fuit Zea, Homero præsertim, qui terrā laudat potissimum à Zeæ prouentu: ζειόλωϛον ἄρουραν uocans, hoc est, Zeam proferētem: Gaudet enim pingui maximè, lætoq; solo. Quod tamen alij ad uitam referunt, quasi uitam donans terra. Alimonia est minore, quàm Triticum, maiore uerò, quàm Hordeum: tātum igitur in cibo tritico cedit, quantum hordeo præfertur in panificio.

TEMPERAMENTVM.

In calfaciendo & refrigerando, mediam inter triticum & hordeum qualitatem obtinet. Exiccat mediocriter.

VIRES.

Zea pleraſq; cum Tritico, Sitanio, & hordeo uires obtinet: aliquantò tamen illis est inferior: Furfures eius clysteribus utiliter admiscentur: tumoribus item, præsertim uerò oculorum damnis, in uino & aceto decocta illinitur.

B VIRES ALICAE.

Alica, Dioscoride teste, plus alit, quàm oryza, aluum magis cohibet, stomacho longè utilior. Decocta in aceto, illitaq; lepras tollit. Vnguium scabritias extricat: incipientibus ægilopijs medetur, decoctum dysentericis, quos excruciat dolor, infusum, est idoneum.

## FAR CANDIDVM.

COlumella quatuor farris facit genera: Primum Verriculum rubrum, seu Alicam, de quo præcedenti capite. Secundum, Far candidum, quod Verriculum album appellat. Tertium Zeam, quod Elusinū uocat, de quo similiter præcedenti capite. Quartum, semen seu Triticum trimestre, de quo in capite de Tritico. De secundo genere iam erit dicendum.

Far itaq; candidum, quod appellamus, ex genere apparet esse hordeaceo, culmo, arista, spica & granis hordeo simile, fortius tamen, & candidius. In molis sicut hordeum deglubitur, & mundatur, reseruaturq;. Germ. **Teutschen reyß** appellāt, à similitudine quadam, longè tamen ab Oryza diuersum, de qua suo loco. Tragus censet esse frumēti illud genus, quod Tragum Cerealem Dioscoridis lib. 2. cap. 85. appellat, Germa. **Hamelkorn**. *Tragum frumentū.*

TEMPE-

Viribus & qualitate cum tritico & hordeo conuenit. In cibo sumptũ aluum emollit: Contrà uerò Oryza aluum obstruit.

## SILIGO, SECALE, & Olyra.

Secale. Farrago.

Olyra.

MAgna est doctorum hodie de frumento illo & uulgatissimo & nobilissimo, cuius præcipuus ad panem usus, quod German. simpliciter **Korn** & **Rocken** appellant, controuersia: uolunt nonnulli idipsum esse siliginem, quibus aduersantur Plinij de siligine notæ, siquidem Siligo habet spicam erectam, nec rorem continet qui rubiginem faciat, grano cãdido, leui & multipliciter tunicato, ac sine aristis, ex qua laudatissimus conficitur panis. Delitias insuper tritici siliginem appellat. Alij faciunt Secalen Plinij lib. 18. ca. 16. quam etiam Farraginem appellat. Describitur ea Plinio fœcunda, sed gracili stipula, nigritia tristis, põdere præcipua: gustu amara & ingrata.

Porrò Dioscorides lib. 2. cap. 83. genus frumenti describit, quod Olyram uocat, ac Zeæ dicit speciem, ex quo panes fiant, qui minus tamen quàm Zea nutriant. Sunt qui hãc Olyram uelint esse siliginem, & sunt rursus, qui dicant esse Secalen. Videtur autem potior eorum sententia, qui hoc nostrum frumenti genus faciunt secundum triticum Columellæ, quod ipse Siliginem dicit, siue id sit Siligo Plinij, siue Olyra Dioscoridis. Sunt enim hæc uerba Columellæ lib. 2. cap. 6. D

Tritici genera complura cognouimus: Verùm ex his maximè serendum, quod robus dicitur, quoniam & pondere & nitore præstet. Secunda conditio est habenda siliginis, cuius species in pane præcipua, ponderе deficitur. Nos Tritici species hodie cognitas suprà in tritico recensuimus. Liquet autem ex his uerbis, siliginem non præstantissimum esse tritici speciem: ut uerisimile sit siliginem hanc frumentaceam Columellæ esse nostrum **Rocken**. Proinde ut ad descriptionem ueniamus, Nascitur Siligo hæc frumentacea, stipula culmoq; triticeo, sed graciliore & procerиore, geniculis utplurimum quatuor, spica innocentioribus, aristis horrente, propemodum procumbente, grano glumis explicito, & obid caduco, nonnihil puniceãte & strigoso. Grana eius in molis tundunt: quod crassius est in farina, ac separatur pro pecorum nutrimento, id furfures uocant, Germa. **Kleyen**. Quod uerò subtilissimum & purissimum est, appellatur flos farinæ.

Siligo Columellæ frumentacea.

TEMPE-

TEMPERAMENTVM.

Excalfacit magis quàm triticum, minus refrigerat quàm hordeum. Exiccat quoq; magis quàm triticum, minus uerò quàm Hordeum uel Zea.

VIRES.

Panis ex ſiligine confectus niſi probè à furfuribus fuerit repurgatus, ſtomacho obeſt. Viribus alioqui ſiligo à tritico & hordeo nõ diſcrepat. Ex gramine ſeu foliis ſiliquis aquam ſtillatitiam nonnulli eliciunt ad calculum renum & calorem. Reliquas uires ex Tritico & hordeo require.

## OCYMVM.

B

OCymum ab ozimo diuerſum eſſe, ſuprà oſtendimus. Eſt enim Ozimum ex florũ aromaticorum genere, ab ὄζω, id eſt, oleo dictum, ac maxima cura indiget. Ocymõ uerò præſens pabuli eſt genus, cuius Dioſcor. lib. 2. cap. 135. meminit, ab ὠκὺ dictum, id eſt, à celeritate: ſiquidem tertio à ſatu die prodit. Germ. **Heydenkorn**/ & Turcicum frumentum, quòd hoc ipſo pecora quàm commodiſsimè ſaginẽt, ac in annona in panes etiam addant. Item **Grütz**/ & **Bauchweytzen**. Naſcitur hodie multis Germaniæ locis, foliis primùm Betæ ſeu rapi, quæ mox à ſatu enaſcũtur, caule rotundo, tenero, leui, cauo, abſq; nodis, ramulis brachiatũ, foliis hederæ, ſed tenerioribus, mollioribus acutioribusq;. Seritur menſe Maio, floret Iunio, flore Sambuci, ex quo grana enaſcuntur nigra, triangula, quæ tuſa & purgata farinam habent candidam.

*Frumentũ Turcicũ.*

TEMPERAMENTVM.

Temperamenti est calidi & humidi: uentrem inflat: oculorum aciem hebetat: rursus uentositates discutit, & caliginem pellit. Pecori quàm hominibus commodius.

VIRES, INTRINSECVS.

Ocymum, seu Turcicum frumentum, in cibo frequẽter sumptum, siue etiam panis ex eo confectus, oculorum caliginem generat, aluũ emollit, uentositates & flatus efficit: amissum lac regenerat: concoctionis autem est difficilis, minusq; conuenit ociosis & delicatis. Tusum semen cũ uino potum, inflationes & uentositates alui reprimit: atram bilem pellit, atrum ictericum morbum curat, & strãguriam adiuuat. Ferunt scorpionis ictum non obesse ijs qui ocymum ederint. Diuersum uerò scribit lib. 20. cap. 12. Plinius.

EXTRINSECVS.

Succus foliorum ocymi expressus, caliginem oculorum illitus, efficacissimè discutit: fluxus quoq; oculorum eadem ratione per continuos aliquot dies sanat. Idem si occlusis oculis nariũ odore excipiatur, cerebrum purgat, & sternutamenta mouet. Farina seminis cũ rosaceo aceto calida illita pulmonis inflãmationẽ restinguit. Eadem ratione oculorũ doloribus, Scorpionũ & marini Draconis ictibus ferũt illini: ueneno eũ resistere, & dolorẽ sedare.

INDICVM frumentum.

INdicum seu Asiaticum frumentum à loco dictum est, quod uulgò Turcicũ uocant, & Germa. **Türckisch korn.** Turca enim Indiam, sicut & alias Oriẽtales Asiaticasq; partes occupat. Nascitur in Asia, Indiaq; potissimùm. Nunc uerò in Germaniæ etiam hortis seritur. Culmũ fert crassum, rotũdum, altum, longùmue, infima eius parte purpureũ, geniculis intersectũ: folia oblonga

A longa,& harundinacea,quæ quò magis ſurſum uergunt, hòc maiora et lõgiora ſunt. In ſummitate fert paniculas,aut ſpicam muticam & granis uacuam,ſiliginis inſtar frumentaceæ florentem,nunc luteo,nunc candido,nunc purpureo colore,pro fructus forma coloréue. Fructum uerò & grana triangula,nunc lutea,nunc candida,nunc quoq; purpurea, in foliaceis rotũdis,craſsisq; uaginis & membranis,quæ è lateribus genicu lorum ferè ſingulorum prodeunt,contenta,obtinent,coaceruata ac penitiſsimè iuncta,inq; octo aut decem uerſus ordine digeſta. E faſtigio uaginarum capilli tenues,pro grani colore dependẽt. Quatuoritaq; huius granorum florumq; forma ſunt genera: aliud rufum,aliud purpureum, aliud luteum,aliud ſubcandidum.

TEMPERAMENTVM.

A tritico non diuerſum habere temperamentum ſtatuunt.

VIRES.

Panis ex farina eius elegans conficitur,fiuntq; ex ea,ſicut ex tritico,cibiſeu pulmenta. Succus uiridium foliorum inflammationibus medetur, ac eryſipelati præcipuè eſt utilis.




## AVENA.

AVena, Græcis βρῶμος, Germa. Habern. Gall. *Auoyne.*

Duo ſunt huius genera: Primum quod Græci Bromum uocant,Latini Auenam,ſemen continẽs. Germa. Habbern. Alterum quod Græcis Aegilops,Latinis Feſtuca,ſemine carens. Germ. Taub Habbern. Syluestre Auenæ genus,ſeu uitium. Seritur uere, eſt enim æſtiuum frumẽtum,ſolo nõ optimo,ſiquidem agros maximè urit,ſicut etiam linũ. Vnde Verg. in Georg. *Bromus. Aegilops. Feſtuca.*

*Vrit enim Lini campum ſeges, urit auenæ,*
*Vrunt Letheo perfuſa papauera ſomno.*

Foliis & culmo tritico eſt ſimilis, geniculis interſecto. In ſummo fructum habet ueluti locuſtas, duplici crure diuaricatas, in quo ſemen includitur. Radicem copioſam.

Syluestris auena,quę uelut uitiũ eſt,unde Gauch habern/& Taub habern appellatur,Plinio Auena Græca,& Feſtuca Latinis,Græcis Aegilops, in hordeo maximè naſci amat,ſemine carens, nec niſi poſt annum ex ſemine ſuo gignitur,folio piloſo ut lolium,minimè tamen pingui. Remedium huic traditur,ut arua biennium quieſcant, ac luxuriantem eam pecus immiſſum conſumat & obterat. Farina *Aegilops. Auena Græca.*

auenacea in cibis hodie notissima. Iumentorum aliàs magis quàm homi C num pabulum. In panes tamen non nisi summa urgente fame, uenit.

TEMPERAMENTVM.

Auena, teste Galeno, ut medicamentum refrigerat, ut alimentum uerò calfacit sufficienter. Vtroq; uerò modo exiccat.

VIRES, INTRINSECVS.

Pulmentum auenaceum sedes bonas & naturales efficit, aluum constipat, ac mediocriter ob caliditatem suam nutrit. Farina tosta cum aqua mulsa pota, confert ijs qui assiduè tussi infestantur.

EXTRINSECVS.

Farina auenæ inflammatis luxatisq; membris, sicut & hordei, conducit: alterumq; alterius loco sumi poterit.

## MILIVM.

Cenchros

Iuba.

MIlium, Græcis Cenchros, Germ. Hirsen. Gallis *Mil, ou Millet*. Sic dictum, ut Festus habet, à miliaria summa: ex uno siquidem grano terni sextarij gignuntur, tanta eius est fertilitas. Solo frigido & aquoso, prius serendum, postea uerò uliginoso, præcipiunt. Gaudet autem maximè solo limoso uliginosoq;. Nascitur stipula cubito altiore, geniculata, folio arundinaceo: Semine in iuba tereti (uocãt autem Iubam effusos illos longos paniculos, seu effusam harundinaceam comam) & pendulo, folliculo concluso, radice numerosa, capillata, ac multiplici fruticante culmo. D

Non uidetur prætereundum hoc, frumenta alia hispidis munita sunt aculeis seu aristis: uelut siligo frumentacea, triticum, far adoreum: alia folliculis seu tunicis, quas glumas uocant, concluduntur, ut Zea utraq;, dicoccos uidelicet, & simplex: alia libera ac soluta pendent ad uolucrum escam, tenui tantùm pellicula inuoluta, ut Milium, Ocymum, Auena.

Milium Indicum.

Est præterea & aliud Milij genus, quod Indicum cognominant, in Italiam Neronis principatu conuectum, nigrum colore, amplum grano, culmo arundineum, hodie incognitum.

Apluda.

Purgamenta Milij, sicut & Panici & Sesamæ, uocant Apludam.

TEMPE-

TEMPERAMENTVM.

Refrigerat in ordine primo: exiccat in tertio exoluto, aut ſecundo intenſo.

VIRES, INTRINSECVS.

Milium cum lacte coctum, qua ratione potiſsimùm ab omnibus coquiſolet, aluum conſtipat, & urinam, Dioſcoride teſte, ciet.

EXTRINSECVS.

Calidum uentri milium in ſacculo impoſitum, colicæ paſsionis dolores, quatenus obſtructio abſit, ſedat & mitigat.

## MILIVM INDICVM.

AFfertur ad nos ex Italia peregrinũ frumẽti genus, Italis Sorgi dictum, & inde Germanis **Sorgſamen** & Milium Italicum, **Welſchen Hirſen**/quòd ex peregrinis aduenìat regionibus, quod Milium Indicum eruditi nonnulli uocant. Naſcitur in hortis nec niſi plantatum, culmis quatuor aut quinq;, altis, craſsis, geniculatis, rubicũdis, foliis ueſtitis longis, latis, & in ſummita te acuminatis, harundini non diſsimilibus: Spicam Panico maiorem & denſiorem, rufam ac barbatam, in qua ſemen rufum, rotũdum, lentis magnitudine: florem luteum. Radicem fibris capillatam. Tragus cenſet Elymon eſſe Dioſcoridis, Latinè Panicum, nec multum à Panico niſi magnitudine differt: ac earundem etiam eſt uirium facultatisq; particeps. Sed quæ de Panico ſit aliorũ ſententia, ſequenti dicetur capite. *Sorgi. Milium Italicum.*

TEMPERAMENTVM, ET VIRES.

Temperamentum uiresq; cum Panico prorſus habet eaſdem. Refrigerat autem & exiccat. Vtrunq;, & Milium hoc Indicum, ſeu Sorgi, & Panicum, pares cum milio uires obtinet, alteroq; in alterius inopia uti licebit. In uino potum, uel in lacte caprino, omnes alui fluxus ſiſtit.

## PANICVM.

PAnicum, à paniculis quibus ſemen ineſt, nomen habet, Græcis Elymos, Germanis **Pfenich oder Fench**/item **Fuchßſchwantz**. Milio eſt ſimile, omnium autorum ſententia, Italis adhuc Panigo dicitur. *Elymos. Panigo.*

Milium paruum.

Riſum.

Naſcitur ſatum quouis ferè loco humido, tam macro quàm pingui, ſimilitudine miliĳ, denis ferè foliĳs, culmo penè in ſurculum extenuato, nutante, rabido panicularum faſtigio, prædenſis aceruato granis, aliàs purpureis, aliàs rufis, aliàs nigris, aliàs candidis. Ex his ſatis apparet Panicum eſſe præſentem hunc fructum, & diuerſum forma à Sorgi.

Milium paruum ſeu agreſte Tragus uocat.

### TEMPERAMENTVM, ET VIRES.

Quæ de Sorgi, ſeu Indico milio dicta ſunt, de Panico etiam ueniunt intelligenda.

## ORYZA.

ORyza, Græcis & Latinis. Officinis & uulgò Riſum. German. **Reiß.** Naſcitur locis humidis. Nondum tamen in Germania naſci eſt deprehenſa. Frumenti genus eſt Loliĳ aſpectu, non ſpica, ſed iuba ueluti miliũm, grana continens Zeæ, uel ſemini dicto ſimilia. Folia habet carnoſa, porri ſimilitudine, ſed latiora, altitudine cubitali, florem purpureum, radicem gemmæ rotunditatis. Porrò Dioſcorides locis uliginoſis, ſeu paluſtribus eam naſci dicit.

Noſtra uerò Oryza ex India in alias terras translata eſt, & in multis Europæ locis ſeritur. Inuenitur aũt herba quædam ſeu frumentũ apud nos, paluſtribus locis naſcens, quod **Schwaden** uocant, culmine, ſpica, & ſemine ſaporeq; maiori ſimile, ſed minus habens ſemen, quod Oryzæ quoq; putatur eſſe ſpecies. Aliqui tamen malè Seſamum hoc ipſum appellant, maximo errore: Cùm Seſamum ſemen ſuum in uaſculis papaueris modo contineat, **Schwaden** uerò in ſpica miliacea, ſiue iuba ſemen ſuum ferat.

### TEMPERAMENTVM.

Calida eſt in ordine primo, ut Simeon Sethi tradit, & ſicca in ſecundo.

VIRES.

VIRES.

Oryza nutrimenti habet satis, sed difficulter concoquitur. Aluum sistit. Cum lacte apparata seu condita, bonum habitum bonumq; colorem affert, & genitale semen auget.



## TRITICVM uaccinum.

NAscitur inter fruges, præsertim in Tritico & Zea, herba potius quędam, quàm quòd sit frumentis annumeranda, caule cubitali, ramulis adnascentibus, foliis nigricantibus, in longum acutis, uerbenę uulgaris forma, flore in summitate caulis purpureo, Prunellæ uel trifolij pratensis similitudine, luteis maculis distincto: semen in cellulis, seu grana bina ternáue, flore decidente cõtinet, Germa. uocat **Kůweyß**. Latinè Triticum uaccinum uel bouinum uocari poterit. Est autem nihil aliud quàm frumentorum quoddam uitium. De uiribus nihil certi constat.

## DE DAMNIS FRVGVM.

COmmune frugum, & præsertim tritici, damnũ est, quod Vstilaginem uocãt, Ger. **der Brandt**, quod accidit cùm spicantur primùm culmi, sole nimirum segetem urente, ac repentinis imbribus subsequentibus, tum aristæ nigræ, & uelut ustæ, ipsa quoq; grana atra fiunt. Emendatur damnum hoc lotione. Lotæ fruges in sole rursus exiccãtur, nitorẽq; acquirunt. Formam eius figura apposita monstrat. Vstilago.

Sunt præterea alia, quæ incõmoda frugibus accidunt: Velut Robigo, Germa. **Daubsucht**, morbus segetum, qui culmis frumentorum innascitur ex nimio humore, teste Varrone: quo uitio spicæ fiunt marcidę, & in puluerem fœtidũ confriatiles. Insecta item noxia, ut Cãtharides, qui grana tritici siliginis & hordei perforãt. Phalangium Pisis, Ciceri, Lenti, Vicijs & Fabis est infestũ. Herbis quoq; tenellis nocẽt pulices terrestres. Accidunt etiã scabies, salsugo, fistula, de quibus consule Theophr. nec non Plinũ. Robigo. Cantharides. Phalangium

# DE VITIIS FRVmentorum.

SVNT & frugibus sua uitia & uelut abortus, ex quorum præcipuè genere sunt Loliũ, Phœnix, Phalaris & Aegilops Plinij.

1. Lolium. Zizaniũ. Aera. Thyaros. Aegilops.



Lolium, Græcis ζιζάνιον. & Dioscoridi Aera, & θύαρος, Galeno Aegilops. Germ. **Dorten/Durt**. Fit autẽ ex corruptis siliginis & ordei seminibus, Vnde Plinius inter frugum morbos potius, quàm terræ pestes numerat. In hordeo Germani idipsum **Twalch** appellant, In siligine uerò nostra **Dorten**/& **Lulch**. Culmo nascitur oblongo, aristis pluribus diuisisq;. Oculorum est pestis ac præcipuum quoddam malum. Vnde prouerb. Lolio uictitant, in luscioso & caliginosos. Et Ouidius: Et careant Lolijs oculos uitiantibus agri.

Fuchsius uult Lolium esse herbam eam, quæ in segetibus nascitur, quinquefoliæ rosæ similis, Germa. **Raden** dicta, Vulgò Pseudomelanthium, de qua suprà.

2. Phœnix.

Phœnix ordei est uitium. Vnde Germ. **Meußkorn** & **Meußgersten**/hoc est, ordeum murinum uocant. Phœnix à semine purpureo nomen accepit. Folia Dioscoridi habet ordei, sed breuiora & angustiora, spicam lolio similem, calamos digitorum senũ, radici aduolutos, septenas octonásue spicas. In aruis tectisq; recenter illitis nascitur.

D

3. Phalaris.

Phalaris Germanico destituta nomine, ex frumentorum quoq; uitijs numeratur. Galli Milium syluestre uocant. Cauliculos emittit, describente Dioscoride, Zeæ culmis similes, multos, duorum palmorum, geniculis cinctos, graciliores tamen ac dulces: radicibus minutis & inutilibus: Semen candidum, oblongum, milij magnitudine.

4. Aegilops Plinij.

Aegilops Plinij putatur esse, quam German. **Hasenbrot/Zydern**/& **Hasenörlin** uocant.

Nascitur pratis fœcundis, sub finem Maij mensis, grana in culmis fert rotunda, lata, alata, punicea, lentis quãtitate, uillamentis tenuibus dependẽtia, uelut figura hoc ipsum ostendit. Dioscoridi itidem Aegilops.

Sunt

Sunt & aliæ plures ſpecies, quas qui curioſius ſcire laborat, legat de his Varronem, Plinium, & inter Neotericos Dominum Hieronymum Tragum, qui decem à ſe cognitas ſpecies enumerat.

TEMPERAMENTVM.

Lolium deſiccat & calfacit efficaciter. Calfacit in principio tertij ordinis, exiccat uerò in fine ſecundi. Simeon Sethi autor eſt, pares cum Iride facultates poſsidere.

VIRES, INTRINSECVS.

Manipulus radicis Lolij in uino albo forti decoctus, & dies aliquot potus, uermes uentris certò pellit.

Phœnix in uino decocta, omnis generis alui fluxus ſiſtit, urinam ciet, & ueſicæ collectiones purgat.

Phalaridis ſuccus cum uino uel aqua potus, ueſicæ immenſos dolores ſedat. Eadem tuſum ſemen cum aqua potum præſtat. Quartæ ſpeciei, quam Aegilopa diximus Plinij, aqua ſtillatitia, prodeſt ſtomachi, & inteſtinorum exulcerationibus.

B

EXTRINSECVS.

Lolium molitum, teſte Dioſcoride, cum raphanis & ſale illitum, nomas, putredines, & gangrænas ſanat. Lepras & impetigines feras cum ſulphure & aceto curat. Strumas, cum fimo columbino, & linſemine in uino decoctum, diſcutit: quæ ægrè maturantur rumpit.

Decoctum ex aqua mulſa, illitum, iſchiadicis prodeſt.

Cum polenta, myrrha, croco, aut thure ſuffitum conceptiones adiuuat. Podagris aliſq; doloribus cum Oxymelite ſubuenit.

Aceti autem ſextario, ut ſcribit Plinius, dilui mellis uncias duas iuſtum eſt: ita temperatis ſextarijs tribus, decocta farina lolij ſextarijs duobus, uſq; ad craſsitudinem, calidum ipſum dolentibus membris imponi.

Eadem farina oſſa fracta extrahit. Magis etiam cæteris purgat hulcera uetera & gangrænas. Capitis dolores, cum adipe anſerino fronti impoſita, mitigat.

Aegilops tuſa, & cum ſucco impoſita, ægilopis medetur.

Succus cum farina mixtus ſiccatur, & ad uſum reſeruatur.

## CRITHMVS.

Crethmus, Crithamus, Batis,
Cretha marina, Bacula, Bacilla.

**Bacillen/ Meerfenchel.**

Crithmus



1. Batis marina.

Cretha marina.

2. Batis hortensis. Asparagus Gallicus. Bacile.

Olus cordum.

CRithmus Græcis, & Batis, Latinis Crethmus, & Crithamus. Officinis Cretha marina, & Bacula seu Bacillæ. Germa. **Bacillen**. Italis Bacile, quasi Baticula. Nonnullis Germanorum **Meerfenchel** & **Meerdistel**

Duæ sunt huius speciei: Altera Marina, quam Græci propriè Crethmon seu Crithamon uocãt. Herba est fruticosa, cubitum unum alta, in maritimis & petrosis nascens, foliis pinguibus, copiosis, albicantibus, uelut portulacæ, sed crassioribus, latiusculis, & salso gustu, floribus candidis, semen ceu Libanotidis odoratum, molle, rotundum, quod siccatum rumpitur. Nucleum habet intus, tritici modo candidũ, radices digiti crassitudine, tres aut quatuor, odorati saporis & iucundi. Officinis hæc Cretha marina cum uulgo dicit, hęcq; sale & aceto condita ad nos defertur.

Altera Batis est hortensiana, quam Plinius Asparagum Gallicum quibusdam appellari tradit. Italis Bacile, quasi Baticula. Nascitur caule palmum erecto, folio pinguí, albicante, ueluti portulacæ, gustu non insulso, flore candido, semine feruẽti, odore ceu rosmarini, radicibus digiti crassitudine, tribus quatuórue, ramis duobus ultrò citroq; actis, cætera marinæ similis, ut ipsa cultu mitigata feritate uideatur in hortis commitescere. Semen quoq; tritici modo siccatur, ruptumq; intus candidum ostentat nucleum. Columella Olus cordum, quasi serotinum dici tradit, non aliter quàm fœnum autumnale, id est secundarium, & quod Augusto mense uellitur, Cordũ Plinius appellari scribit.

C

D

## TEMPERAMENTVM.

Crithamus seu Batis in tertio calfacientium & exiccantium ordine ponitur.

## VIRES, INTRINSECVS.

Radix, semen & folia in uino cocta, potu urinæ difficultati, & regio morbo medentur: menses cient: Estur autem crudum coctúmue cũolere. Seruatur in muria. Conditura est eiusmodi: Satiua purgatur diligenter, & sub umbra expanditur, deinde quarto die sal in fideliarum fundis substernitur. Separatim Batis componitur, acetoq; infuso, sal iterum superponitur. Sic in alueos coacta, & sale biduo conspersa, dum consudet reponitur: dein si tantum remiserit humoris, ut suo iure ablui possit: si minus,

Cõditura

A minus, superfusa dura muria lauatur, & pondere impósito exprimitur, tum suo uase conditur, & ius, quod est mistum duabus partibus aceti, & una muriæ, infunditur, fœniculiq; aridi, quod est per uindemiam proximo anno lectum, spissamentum imponitur, ita ut herbam deprimat, & ius usq; in summum labrum fideliæ perueniat.

## MEDICA HERBA,
Fœnum Burgundiense. **Burgundisch Hew/oder Graß.**

B

MEdica herba, Græcis Μηδικὴ πόα, à regione, Media uidelicet, unde in Græciam est delata, Sicut Germa. **Medisch kraut**/ item **Burgundisch hew**/& **Burgundisch graß**/ quòd nimirum è Burgundia semen aliò sit perlatum. Seritur hec in Italia, ex qua à Georgio Agricola in Germaniam deportatam se uidisse scribit Valerius Cordus. Seritur ad iumentorum pabulum, decennium durans, ac quater per annum, interdum etiam sexies messoriam falcem sentiens. Solum desiderat purum & succosum, seriturq; Aprili, & tardius Maio. Galli Fœnum Burgundiense uocant.

*Fœnum Burgundiense.*

Describitur Dioscoridi hunc in modum: Medica cùm recèter prodijt, folijs & caule trifolio pratensi est similis, procedens uerò folia cõtrahit, caules ædens trifolij, & siliquas corniculorum modo intortas, in quibus semen lentis magnitudine dependet, quod siccatum iucundi saporis gratia conditaneo sali admiscetur. Secatur cùm florere incipit, antequam in semen maturescat.

### TEMPERAMENTVM.

Facultas herbæ, præsertim uiridi & recenti, est refrigeratoria.

### VIRES.

Pabulo hoc uillici armenta optimè saginant, ad quorum maciem nulla res tantum potest, quantum Medica.

Verùm

Verùm modicè est danda, ne nimio sanguine stranguletur pecus. Ad C
maciem etiam equorum nulla res plus ualet, teste Columella, atq; Medica.

Oleum tradunt ex ea fieri, ad neruorum tremores efficax. Herba uiris, asserente Dioscoride, quibus refrigeratione opus est, suffragatur.

## AMOMVM.

### Rosa S. Mariæ. Rosa de Hiericho.

AMomum, cuius etiam Vergilius meminit in Pollione, inquiens: Assyrium uulgò nascetur Amomum, frutex est quem Monachi Rosam sanctæ Mariæ, & Rosam de Hiericho, seu Hierichontis nominant, German. **Rosen von Hiericho.** Describitur hac forma: Amomũ frutex est labruscæ similis, sed minor, uenosus, odoratus, ramulis duriusculis, colore subflauo, baccis inter se racematim cohærentibus, flore uiolæ candido. Hæc descriptio nulla repugnante nota cum ea quam uocant Hierichontis rosam, cõuenit: frustra Antonio Musa id negante. Laudatur potissimùm Dioscoridi Armenium, colore aurum imitans, ligno subrufo, perquàm odoratum. Officinæ uerò Amomo carent, sed eius loco duplex semen exhibent: alterum quod est Botryos herbæ: alterum quod est Sisonis, ut in ijsdem capitibus est indicatum. Plinius Amomi uuam in usu esse dicit, Similiter & Actuarius Amomi uuam uocat, quòd racematim, uelut in uua cohæreat. Sincero Amomo qui uti uolet, fragmenta hastulasq; deuitet, & solidos frutices petat, hoc est, qui surculos & ramos incolumes ex ima radice sustineant, ita nobilius unguentis antidotisq; peti debet.

*Amomum Officinarum.*

*Amomum sincerum.*

D

### TEMPERAMENTVM.

Amomum, excalfaciendi, siccandi & spissandi, uim obtinet. Galenus easdem ipsi cum Acoro uires assignat, nisi quòd Acorum plus exiccat, Amomum plus excoquit.

### VIRES. INTRINSECVS.

Decoctum eius potum iocinorosis auxiliatur.

### EXTRINSECVS.

Fronti illitum somnum conciliat, & doloris noxam abigit: Melicridas & collectiones maturat & discutit.

Ex Ozimo illitũ scorpij ictibus medetur: podagricis subuenit. Oculorum, uiscerumq; inflammationes cum uua passa demulcet. Insessu, aut in pesso admotum, muliebribus malis fert opem.

SECV-

## SECVRIDACA.

SEcuridaca, quòd ſemen bipennis effigiem æmuletur, nomen accepit, qua ratione etiam Græcis Pelecinon appellatur, Item Hedyſarum. Incognita Officinis. Gallis Faba lupina, aliis Herbũ. Vulgò Graua, quòd, ut exiſtimat Ruellius, tritico & ordeo, cum quibus naſcitur, ſuo complexu grauis ſit & moleſta: Ab una enim radice multis flagellis emicat, ciceris ſimilitudine, quod foliis etiam æmulatur: Siliquæ corniculorum modo aduncæ curuantur, in quibus flauum, pallidumq;, & amarum ſemen concipitur, quod ancipitis ſecuris ſpeciem gerit, unde etiam nomen accepit. Hunc ad modum depingitur à Dioſcoride, Germani nominant **Vn kraut der Linſen**/hoc eſt, Lentis peſtem. Naſcitur in ſegetibus & Ordeo.

*Securidaca.*
*Pelecinũ.*
*Hedyſarum.*
*Faba lupina.*
*Herbum.*
*Graua.*

### VIRES.

Stomacho in potu eſt utilis. In antidota etiam additur. Ante coitum cum melle appoſitum, concipiendi ſpem prohibet. Menſes ciet. Semen etiam ad laxandos inteſtinorum infarctus bibitur. Grauidis eſt fugienda, quia abortus facit.

## ELAPHOBOSCVM.

B

ELaphoboſcum Latinis idem quod Pabulum cerui, Romanis Ocellus cerui, Officinis & Herbariis Gratia Dei nominatur. Sueſſionenſi agro, Ruellio teſte, Copariam, quòd ea ad rupta & uulſa utantur, appellant. Ac ea ipſa putatur eſſe, quam Germani Albam ceruinam radicẽ, hoc eſt, **weiß Hirtzwurtz** uocant. Ophioctonõ itẽ, hoc eſt, occidens ſerpentem, quòd ea ſe cerui arment aduerſus ſerpentes. Euricius Cordus herbã Germanis **Girſchke** dictam, non abeſſe ab Elaphoboſci deſcriptione indicat.

*Pabulum cerui.*
*Ocellus cerui.*
*Gratia Dei.*
*Copariã.*

Caulis eſt ex Dioſcoridis deſcriptione, fœniculaceus, aut rorimarino ſimilis, geniculatus, foliis duũm digitorum latitudine, ut terebinthi, prę longis, aliquantum aſperis, circumfractis, adnata multa habens: umbellam anetho ſimilem, & ſemina eiuſdem ferens flore ſubluteo, radicem ternum digitorum longitudinis, & craſsitudinis unius, candida, dulci, eſui apta. Quæ Dioſcoridis deſcriptio ad amuſsim cum uulgò Gratia Dei dicta conuenit.

### TEMPERAMENTVM.

Radix eius calfacit, mollit, & laxat.

### VIRES.

Caulis tener, ut Dioſcorides refert, pro olere manditur.

Contra serpentium ictus datur in uino semen. Pabulo hoc serpenti- C
um morsibus ceruas resistere aiunt.

# CYCLAMINVS.

Vmbilicus terræ. Erdscheib.

## NOMINA ET DESCRIPTIO.

Vmbilicus terræ. Ichthyotheron. Rapum terræ. Tuber terræ.

CYclaminus à circulari, seu rotunda radicis forma nomen accepit. Vmbilicus terræ à forma. Ichthyotheron, quòd pisces necet. Rapum terræ, & Tuber terræ. German. Erdapffel/Erdscheib/Waldrüben. Gall. *Pain de pource, au Pain porcin.* Aliqui panem porcinum uocant, & Panem terræ, non tamẽ satis bene, cùm radix Cyclamini porcis sit noxia. Panis uerò porcinus, de quo in Apio, minimè sit noxius, eiusdemq; desiderio sues illectæ funditus radices eas euertant. Nascitur Cyclaminus locis umbrosis, & uepribus, sub arboribus maximè, foliis hederæ, purpureis, uariis, maculis suprà infraq; albicantibus: Caule D
lõgo, digitorum quatuor, nudo, foliisq; carente, in quo flores rosarum effigie, purpurei. Radix nigra, rapo similis, in latitudinem se pandens. Folia sub Augusti finem amittit, ac noua subinde producit, inter quæ flores se proferut, integro durantes autumno. Summum Brassicæ cum Cyclamino diffidium est, adeò ut præsente Cyclamino exarescat.

Cyclaminos altera

Alteram quoq; Cyclaminon describit Dioscorides, foliis hederæ, sed minoribus, geniculatis caulibus, crassisq;, circa arbores clauiculatim se uoluentibus, flore candido, odorato, acinis hederæ, sed mollibus, aliquã tum acribus & gustu lentis. Radice superuacua. Locis nascitur aridis. Plinius Cissanthemon uocat. Ruellius eam putat esse, quam *Sigillum*

Cissanthemos.

*Mariæ* uocant Officinæ.

## TEMPERAMENTVM.

Calfacit & exiccat Cyclaminus in ordine tertio.

## VIRES, INTRINSECVS.

Radix huius, ut constat, est noxia, minusq; tutus eius usus: lupis & uulpibus capiendis potissimùm conueniens.

Nonnulli tamen purgationes fortes hac moliuntur. Trium drachmarum pondere ex dulci uino uel aqua mulsa, ictericis fertur prodesse, per sudores morbum educendo.

Ex-

A Experimentum uerò minimè uidetur esse tutum: siquidem drachmæ tantùm sumpta pondere, admodum est fortis.

EXTRINSECVS.

Aperiendis strumis, tuberculis, tumoribus, aliisq; collectionibus est utilis. Lepram quoq; & malam scabiem curat.

## APIOS.

Chamæbalanus, Ischas, Panis porcinus.

**Erdnuß/ Sewbrot.**

NOMINA ET DESCRIPTIO.

APios Græcis dicta herba est, quam Germani **Erdnuß**/hoc est, Nucē terræ uocant, à radicis forma, quæ pyri in modum, quod Apium Græci uocāt, turbinatur. Gall. *Chiche sauuage*. Ischas itē, hoc est, Carica, & Chamæbalanos, hoc est, Glans terrestris, eadem de causa, quòd nimirum in glandis aut ficus formam radix sit formata. Raphanus nonnullis syluestris, non tamen is qui Armoratia dicitur. Panis quoque Porcinus, sicut & Germanis **Sewbrot**/quòd sues maximè radice eius, B aut nucibus magis ex radice dependentibus, delectentur, adeò ut prorsus eam eruant.

*Nux terræ.*

*Ischas. Chamæbalanos.*

*Raphanus syluestris.*

*Panis porcinus.*

Nascitur agris præcipuè frumentaceis. Ramulis binis terniue, ut Dioscorides depingit, iunceis, quandoq; tamen pluribus, qui parum supra terram se attollunt: foliis ad similitudinem rutæ, longioribus tamen & uirentibus: semine exiguo. Radix asphodelo, seu, ut rectius alij leguūt, Sphondylio similis, ad pyri modum turbinata, rotundior tamē, succi fœcunda, intus candida, foris nigro tecta cortice: quod de nucibus à radice dependentibus est accipiendum.

Flores fert præterea piso non dissimiles, sed longè minores. Ex hac descriptione nemo non uidet Apion optimè cōuenire cum herba, quam Panem porcinum, & Nucem terræ uocant. Aliquibus **Erdmandel**/& **Ackereychel**/& **Schwartz rettich** nominatur.

Nonnulli herbam Cyclamino assignatam ad Apion referunt, sed malè, cùm Cyclamini radix noxia sit, huius uerò radix minimè.

TEMPERAMENTVM.

Calida est & sicca mediocriter: leniterq; purgandi facultatem possidet.

VIRES, INTRINSECVS.

Nuces seu glandes radicis sumptæ, nauseam & uomitionem faciunt: Corpori tamen non sunt noxiæ. Superior radicis pars sumpta, uomitio nebilem pituitamq;, teste Dioscoride, purgat: Inferior uerò per aluum,

Tota autem utrinq; purgationes mouet. Succus eius sesquiboli pondere haustus, per superna & inferna purgat. C

Liquorem si uelis colligere, tundito radices, coniectisq; in craterem aqua plenum misceto, tum penna collectum qui supernatabit liquorem, siccato.

## ASTRAGALVS.

Talus

Ἀστράγαλος Græcis, Latinis Talus, à radicis cum talis similitudine. Fi cus aliàs terræ Ruellio, & Glandula. German. **Knollenkraut**/ & **Christianwurtz**. Nascitur locis apricis, æditis, fruticosisq;. Frutex, ex descriptione Dioscoridis, est humilis, ramo & folio Ciceris, flore parvo, purpureo, rotundo, radice rotunda, raphani modo prælonga, nigris alijs adnascentibus, præduris, & implicitis uelut cornua, gustu adstringente. Plinius uerò aliter longè describit folio nimirum longo, incisuris multis, obliquis circa radicem, caulibus tenuibus, ternis quaternisue, foliorum plenis, flore hyacinthi, radice uillosa, implicata, rubente, prædura, nascentem locis petrosis, apricis & niualibus, sicut in Pheneo Arcadiæ. Vnde constat Plinium alium Astragalum ab Dioscoride intellexisse. Natalibus tamen conueniunt, quòd uterq; in niualibus, & circa Pheneum Arcadiæ nasci scribunt: quod Galènus & Paulus etiam testantur. In ruribus Galliæ copiosè nasci Dioscoridis Astragalum, uocabulo Ciceris montani uel rustici, asserit Ruellius. D

### TEMPERAMENTVM.

Vires Astragalo sunt adstringendi & spissandi.

Piper Germanicum

### VIRES, INTRINSECVS.

In uino pota radix aluum sistit, & urinã mouet. Dysentericos in uino rubro tusa sanat: tunditur aũt difficulter.

### EXTRINSECVS.

Gingiuarũ suppurationibus fotu prodest radix. In nares indita sanguinẽ ex ijs manantẽ sistit. Arida cadẽ uetustis ulceribus, in puluerẽ trita, illinit.

## SILIQVASTRVM.

SVo quoq; Germania nobilis est Pipere, quod hodie in fictilibus seri cœptum est, ac Germanicum Piper appellatur, gustu & uiribus Piperi non impar. Atq; idipsum Siliquastrũ esse, cuius meminit lib. 20. ca. 17. Plinius, ipsa forma & facultas manifestè ostẽdunt. Auicenna Zinziber appellat caninum,

Aninum. Siliquastrum autem dictum est à magnis oblongisq; siliquis. Alias à gustu piperis piperitis nominatur, diuersa tamen à Lepidio, quæ piperitidis nomine uenit. Aliàs Piper Hispanicum, & Indicum, & Piper è Calecuth. Germanis **Indianischer Pfeffer/ Teutscher Pfeffer.** Zinziber carminum.

Duobus distinguitur generibus: maiore uidelicet & minore. Caule nascitur rubro & longo, geniculis frequentibus, floribus candidis, semine in siliquis oblongis & magnis, albo uel potius flauescente, tenui, gustu piperis acerrimi: Radice una, subalba, capillamentis fibrata. In maiore autem siliquæ sunt maiores & subnigræ: in minore uerò minores & puniceæ, quæ æstate post florem statim prodeunt.

TEMPERAMENTVM, ET VIRES.

Naturæ est uehementer calidæ & siccæ, perinde atq; piper, cuius loco pleriq; huius semine utuntur. Ad eosdem ergo cum pipere effectus sumi poterit. Vires itaq; ex sequenti capite, in quo de pipere agitur, require.

## PIPER.

B

PIper, Græcis πέπερι. Germa. **Pfeffer.** Planta uariè ab auctoribus describitur. Semen autē seu fructus nemini nō est notus, estq; in triplici differentia. Aliud enim est album, Germa. **Weiß Pfeffer.** Aliud nigrum, Germa. **schwartz Pfeffer.** Aliud lōgū, Germa. **Langer Pfeffer.** Estq; fructus hęc diuersitas collectionis ratione. Fructus enim initio ueluti siliqua, betularum grossulis non dissimilis dependet, quem Longum piper uocant. Habet hæc siliqua intus parua grana ceu milij, quę in perfectum tandem piper euadūt, quæ aucta & immatura adhuc collecta Piper album appellātur. Sole tādem assata & siccata piper appellantur nigrum. De ipsa planta inter scriptores non constat, quasi uarijs diuersis regionibus Piperiferæ arbores nascantur. In India plurimæ proueniunt, locisq; calidis, crepidinibus potissimùm, locisq; hominibus inaccessis, ubi simiæ cauernas montium & cuniculos incolunt. Plinius Iunipero similem piperiferam describit arborem, Philostratus uitici comparat cùm fructu, tum reliquo arboris habitu. De fructu uerò Dioscorides, Theophrastus & Plinius consentiūt, ut initio descriptus est. De collectione Piperis hæc traduntur: Accedentes ad radicem montis Indi, factis sub arboribus areis, decerpentes bacas arboribus interdiu adrepunt, & lectum inibi Piper congerunt in aceruos, quasi rem neglectui datam, æstimatamq; minimi eò prosciant: circumstantes uerò simiæ, atq; in aulis abditæ uindemiam hanc eminus

intuentur: quum adueſperaſcit Indorum opus imitatæ, bacciferos arbo-
rum termites magno metendi ſtudio in areas aceruatim conferunt: ac
ubi illuxit dies, piperis magnos cumulos aſportant, quos nullo labore,
Forma. ſed noctu partos conquiſiuerunt. Tradunt qui nouum orbem deſcripſe
runt, fruticem piper producere, albæ uiti in ſepibus proreptanti ſimili-
mum uicinas arbores ſcandentem, qui racemoſum fructum oſtendat,
primùm uiridem, nec aliter quàm in Liguſtro coaceruatum. Hunc ante-
quam legitima maturitate nigreſcat, lectum, ſub ſole palmeis tegetibus
expandunt: ſic baccas ſolis æſtu corrugari: uel paſſos nigreſcere. In eo-
dem frutice longum aut album piper offendi negant, ſed alias eſſe arbo-
res, quæ ſapore piperis nonnihil ferant oblongum, compactilibus callis
racematim cohærentibus, ueluti Ponticæ nucis lulum, quod inibi longũ
Piper incolæ nominant. Radix eius Coſto ſimilis, guſtu magis acris
quàm piper. Inanes Piperis fructus & caſsi, Braſma, Dioſcoride teſte,
Braſma. appellantur.

TEMPERAMENTVM.

Excalfactoria omnibus eſt facultas. Longum tamẽ eſt humidius, qua
de cauſa citò perforatur, & tardè, ſed diu linguam mordet, ut Arus.
Nigrum quoq; albo eſt acrius, & ſuauius, adq; condimenta utilius. Exic
cant item & digerunt. Eligitur grauiſsimum, plenum, nigrum, ſine mul-
tis rugis, recẽs, minimè furfuroſum. Radix in uiribus eſt fructu fortior.

VIRES, INTRINSECVS.

Cum uino ante febris acceſsionem potum Piper uehementer febriũ
concuſsiones prohibet. Prodeſt quoq; morſis à ſerpentibus, frigidis, itẽ
iocinoroſis, pituitoſis, & crebrò tuſsientibus. Quinq; aut ſex eius grana
ad horam unam duáſue ante cibum commanducata, aut integra ſtoma-
cho ingeſta, eundem paulatim calfaciunt, concoctionemq; iuuãt, uento-
ſitates quoq; ex malis natas humoribus diſcutiunt. Cum recentibus lau-
ri baccis potum tormina diſcutit. Vtile eſt præſertim ſenibus & frigidis
hominibus.

EXTRINSECVS.

Cum uua paſſa manducatum pituitam è capite, ut autor eſt Dioſcori
des, elicit. Decoctum piperis calidum ore detentum, idem efficit. Cũ mel
le tuſum anginæ inungitur. Cum nitro illitum uitiligines exterit, & ſca-
biem malam ſanat. Cum pice ſtrumas diſcutit. Ad condituras item, ele-
ctuaria triturasq; additur.

## GINGIBER.

GIngiber uel Zingiber, Græcis ζιγγίβερι. Germ. **Ingber.** Radix nemini hodie incognita. Naſcitur in Arabia, & Troglodytica: in India tamen copioſiſſimè,

A simè,mõtibus uallibusq;,solo rubro. Forma huiusmodi describitur: Folia in anno bis terue profert,arundinacea,sed quæ in breuiorem exilitatem fastigiantur,graminis in totum forma: radix geniculatis serpit interno dijs,crebroq; ex ijs & ex acumine nouas radices spargit. Legitur cùm folia inaruerint,nam aliàs teredinibus est obnoxia, & carie infestatur. Effossa radice primum eius germẽ seu oculum decerptum terræ denuò infigi tradunt,atq; ex eodem nouam radicem proximo anno propagari. Volunt nonnulli Gingiber esse radicem piperis,sed falluntur ijdem: radix enim Piperis Costo est similis. Et uero Costo Officinæ quoque carent,alijs radicem Enulæ Comagenæ,alijs aliam demonstrantibus. *Costus Officinarum*

TEMPERAMENTVM.

Calidum est Gingiber in tertio ordine,humidum uerò in primo: quæ causa est cur cariei,nisi probè siccatum fuerit,sit obnoxium.

VIRES, INTRINSECVS.

Arabiæ & Troglodyticæ regionis populi folijs gingiberis contra uenena aliaq; noxia in cibo & potu utuntur. Radix ipsa uim habet aperiendi,& cibaria concoquendi. Venerem stimulat. Ventos discutit. Hebetudini uisus, quæ ab humiditate prouenit,prodest: aciemq; oculorum acuit. Ventriculi & iecoris humiditati est utile: glutinosis item lentisq; humoribus,si duarum drachmarum pondere,cum pari sacchari quantitate in aqua calida bibatur,ut Constantinus est autor.

VIRES ZINGIBERIS CONDITI.

Conditur quoq; Zingiber cum melle & saccharo,sicut Calamus Aromaticus. Superfluos hoc modo uentriculi ex piscium uel fructuum esu humores exiccat. Naturam plurimum confortat.

## ZADVRA.

ZAdura uel Zaduara, Vulgò & Officinis Zedoaria. Germa. Zitwenwurtz. Radicem India nobis mittit,rotundam,Aristolochiæ rotundæ non absimilem,sapore & colore Gingiberis. Nec de ortu eius plura leguntur. In frequentissimo tamen hodie usu.

TEMPERAMENTVM.

Calfacit & exiccat Zedoaria in secundo ordine.

VIRES.

Aduersus uenena & graue uirus animæ,quod allium,cepa uel uinum excitauit, est auxilio. Ventriculo plurimum prodest. Ventositates discutit. Colicis opitulatur. Halitum oris bonum gignit. Appetitum edendi excitat. Singultus sedat. Vomitiones cohibet.

Aduersus pestilentis cœli contagia maximus eius hodie est usus.

# CARDAMOMVM.

Cardamomũ maius

CArdamomum Græcis, Latinis & Officinis communi nomine appellatur. Germ. **Cardomömlin.**

Huius duo ad nos aduehunt̃ genera: Maius, & minus. Maius hodie rarius ad nos affertur, ac eius loco Grana uocata Paradisi pleræq; Officinæ sumunt & exhibent. Fructus autem est lignosus, iuglādis ferè magnitudine, aromaticis & angulosis granis, punici mali instar, intus refertus, fractu contumax.

Cardamomũ minus

Minus autem Cardamomum, fructũ fert auellana nuce multò quoq; minorem, triquetrum, granisq; refertũ minoribus, eiusdem cum primo saporis & odoris, linguam tamen uehementius penetrãs. Nascitur, Dioscoride autore, in Comagene, Armenia, & Bosphoro optimum. Nec nõ in India & Arabia. Eligendum est plenum, frangi contumax, occlusum, farctumq; (quod enim huiusmodi non est, exoletum iudicatur) & gustu acre, subamarum, & caput odore tentans. Porrò Cardamomi fructus hodie abiectis corticibus, qui lignosi, & nullius neq; odoris, neq; saporis sunt, ad nos afferuntur, non sicut olim corticibus inclusi. Quæ causa est cur aliqui negent uerum nobis Amomum esse. D

### TEMPERAMENTVM.

Calfaciunt & exiccant in primo ordine.

### VIRES, INTRINSECVS.

Tusa Cardamomi grana latas uentris tineas interimunt. Cum uino renum affectionibus, scorpionis morsui, uenenis, & urinæ difficultatibus medentur. Cum aqua pota, Dioscoride referẽte, comitialibus, ischiadicis, neruorum resolutionibus, tussi, ruptis, uulsis, torminibus auxiliantur. Cum cortice radicis lauri drachmæ pondere pota, calculos comminuit.

### EXTRINSECVS.

Aduersus pestilẽtem aërem grana manduntur. Cum aceto morsibus uenenatorum utiliter illinuntur. Scabiem eadem ratione sanat, & ad unguenta additur.

# GRANA PARADISI.

Malagreta. Melligreta.

GRana Paradisi, Gallis Malagreta, & Melligreta Hispanis. Germa. **Paris̈körner**. Officinæ, ut præcedenti capite est dictum, pro Amomo maiore hæc exhibent: Sed diuersa esse sapor & odor monstrat. Fructus quidem ipsi & in eo inclusa grana Cardamomum referunt. Auellanæ enim magnitudine conspicitur, granis intus angulosis refertus: Verùm sapore Piper referunt, quo à Cardamomo recedunt. Vulsam Granorum Paradisi herbam se uidisse, testatur Ruellius, hac describens forma:

Ama: Scapo nascitur striato, foliis longis, in cuius culmine caput emicat, papauerino longius, rugosum, in formam pyri turbinatum, & ex umbilico summatim foliatum, in quo semina Ciceris obnigri similia iacēt, intus candidissima, tenuibus membranulis discreta, intercursante per inanitatem, septo duriore, quadrifariam digesto: Atq; hac etiam ratione grana, quæ ad nos adferuntur, conspiciuntur.

TEMPERAMENTVM, ET VIRES.

Calfaciunt & exiccant sicut Cardamomum, roborant, discutiunt, ut triculum firmant. Vires cum Cardamomo non dissimiles obtinent. Cum Serapio rosaceo bilem uomentibus sunt saluberrima.

## CARYOPHYLLON.

B

Caryophyllon, quasi dicas Folium nucis, aut Nucifolium, Germanis Negelin hoc est, Claui, à forma, quòd nimirum claui figuram fructus referat. Frutex est Orientalis, sabuci folio, semine grano piperis grādiori fragilioriq;, ex atro rufescente, in claui modum capitato, ex ortis in aduersum quatuor dēticulis, sese stellatim decussantibus, prominulo apice, quadrati alueoli sinu medio umbilicatim prodeunte. Aliqui repræsentant caudice buxi, folio Lauri, sed rotundiore. Nascitur locis Orientalibus. Vnde ad nos hodie copiosè affertur. Ac mirum nullam neq; Dioscneq; Galeno in simplicibus huius mentionem fieri. Solo aiunt nasci putissimo & tenerrimo, quod arenæ simile, arena tamen non sit.

TEMPERAMENTVM.

Tertij exiccantium & calfacientium sunt ferè ordinis.

VIRES, INTRINSECVS.

In cibis sumpta uel mansa Caryophylla, iocinori, stomacho & cordi prosunt, nauseam sedant, halitum oris commendant, animum exhilarāt. Oculorum caligines tollunt, & uisum acuunt. Sed frequens eorum in cibis usus constipat aluum, Coctionem tamen adiuuant. Venerem quoq; excitant.

EX-

Aërem pestilentem & infectum purgant. Vnde Trochiscis pro aëre purgando confectis admiscentur. Suffitus eorum naribus exceptus catarrhum discutit, & cerebri obstructiones aperit.

## NVX MYRISTICA.

*Nux myrepsica. Nux unguentaria Moschocaryon. Moschocarydion. Nux moschata.*

NVx myristica & Myrepsica, hoc est, Unguentaria, dicta est à pingui & oleoso, quo madet, succo, adeò ut in unguentum exteri possit. Moschocaryon aliàs & Moschocarydion, & uulgò Nux moschata. Germ. **Muscaten.** Ipsa nux nemini nõ hodie cognita, arbor uerò in qua prouenit, non nisi ex aliorum relatione & descriptione cognoscitur. Nascitur in Indiæ partibus, in Insula, ut aiunt, Bandan dicta. Arbos Persico uulgari similis fertur, flore roseo & nuce, quæ membranoso primùm uestitur calyce, foliato, fissili, per extrema fimbriato, flauescente: mox lignoso tegitur putamine, fragili, cui compactilis subest globus, nuclei uice, ab umbilico læuibus quasi strijs extrorsum uirgatus, fungoso corpore, cæterarum nucum modo minimè cauernoso: sed coalitu intus rariore, intercursantibus uenis rubris, candicantibus interuenijs. Recens succo madet pingui & oleoso, ita ut in unguentum exprimi possit, Vnde nomen etiam accepit: Odorẽ D spirat gratissimum. Probatur recens, quæ cariem non sensit, ponderosa, præpinguis, quæ acu tacta oleaginum statim humorem remittat, colore in rubrũ inclinato. Reprobatur leuis, exucca, nigricans. Porrò duobus uestita corticibus ad nos defertur, quorum is qui nucem propius ambit, ut durus, lignosus & inutilis abijcitur: alter uerò qui hunc circundat,

*Maces. Macer.*

Macis est seu Macer, hodieq; eo nomine Officinis dictus, Germa. **Muscaten blũmen.** Sed non est hic extremus nucis cortex, ut multi putant, Nam præter hunc adhuc tertius est, ut se uidisse, Valerius Cordus testatur, qui hunc in modum nucem myristicam depingit: Est Nux moschata iuglandi adhuc in arbore cum omnibus corticibus hærenti, magnitudine & forma omnino similis, corticem habens exteriorem carnosum crassumq;, quale est uiride & carnosum illud in iuglande putamen: sub hoc Macer est, quod deinde lignosum corticem, nucleum ipsum, quem Nucem Moschatam uocant, in se continentem, ambit. Quales fuerunt qui anno à Christo nato 1538. Francofordiã ex India ab Hispano quodam afferebantur. Notat idem errorem eorum, qui Cinnamomum credunt Caryophylos, & Nuces moschatas ferre, cùm neutrum ferat. Fuit hæc nux eiusq; cortex Dioscoridis tempore res adhuc noua, unde uelut corticem alicuius arboris existimatum, Macin inter arbores describit.

### TEMPERAMENTVM.

Nux myristica, similiter & Macis, temperamẽto sunt calido & sicco.

VIRES,

VIRES, INTRINSECVS.

Nux myristica stomacho, iecori frigido, & spleni prodest: in cibo uel per se sumpta, halitum oris commendat, concoctionem adiuuat, uentosi tates discutit, lienem minuit, aluiq; fluxus constipat.

Eædem uires Maci tribuuntur: est tamẽ in operatione aliquãto subtilius. Dysenteriæ & matricis adfectioni medetur. Sanguinem recentem gignit. Ventositates discutit. Suffitus aut puluis eius dolorem capitis sedat, lentosq; phlegmaticos humores educit.

## CINNAMOMVM.



CInnamomum Græci & Latini appellant, Officinæ Canellam. Germa. **Canel/ & Zimmetrörlin/Zimmetrinden.** Arbuscula est sui generis, cuius cortex eiusdem nominis ad nos adfertur. Arbuscula hæc describitur breuis, repressa & humilis, surculosa, duũm cubitũm altitudine, nec amplius, aspectu arida, folio origani, quum uiret parum odorata, sterilescens imbre. Cortex detractus reponitur, ut arescat, antè enim nulla ei uis nec gratia. Probatur cortex qui in planis gignitur, torridus, nigricans, uarius, læuibus internodijs, qui ruptus puluisculũ odoratum exhalet. Ac certissima est probatio & æstimatio, ne sit scaber, atq; inuicem tritus contumaciter frietur & inhorrescat, gustu mordax, & cũ salsedine feruens. Reprobatur mollis uel albus. *Canella.*

Sunt autem multæ eius species, ut Dioscorides quoq; testatur: Præfertur Mosyleticum, quod Casiæ, cui Mosyliti nomen est, similitudine accedit, quod nos hodie habemus. Reliqua quinq; genera, uide apud Dioscoridem. Est enim montanum, asperius crassiusq;, colore subrufo. Tertium nigricans, odore uehementer iucundo, qui casiam æmuletur: surculosum, paucioribus geniculis interstinctum. Quartum fungosum, candicans, aspectu tuberoso uiliq;, protinus fragile, radice grandi, casiam redolente. Quintum cortice rufum, casiæ colore æmulum, solidum firmumq; tactu, neruosum, odore casiæ rubræ, stirpibus crassis. Sextum in Syria nascitur, quod Caryopon uocant, multum à ueri Cinnamomi surculo differens, gratia tamen uicinum. *Species Cinnamomi.*

Septem à locorum differentia numerat species Aétius.

TEMPERAMENTVM.

Cinnamomum omne, ait Dioscorides, excalfacit, emollit, cõcoquit, estq; diureticon. Optimum uerò Cinnamomum calidum est & siccum in gradu tertio, tenuiumq; partium.

VIRES, INTRINSECVS.

Cinnamomum, quocunq; modo sumptum fuerit, capiti confert, destillationes eius exiccando. Ventriculum calfacit & confortat. Phlegmaticos humores discutit.

Hydro-

Hydropicis & iecoris obstructioni est salutare. Vrinam & menses, C potum uel ex myrrha impositum, pellit. Contra uenena & morsus uene natorum sumptum confert. Magni est ad omnia usus. Asseruatur autẽ commodè hunc in modum, ut docet Dioscorides : Tritum uino misce tur, & in pastillos digeritur, umbraq; siccatum reconditur.

EXTRINSECVS.

Ad unguenta preciosa expetitur. Oleum ex eodem conficitur. Caligi nem oculorum, & crassitiem discutit. Lentigines & cutis uitia in facie extergit. Ad collyria utiliter additur. Cum aceto quoq; cutem purgat.

## CONFECTIO DIACINNAMOMVM.

Ex eodem conficitur confectio, Diacinnamomum appellata, cuius compositionem docet Mesue. Confert ea ad abundantes uentriculi humores, & in eo putrefactionem. Phlegma digerit, & digestionem adiuuat.

## GALANGA.

GAlanga communi appellatur nomine, Germa. **Galgen**. Radix est surculosa, geniculis scatens, subrubra, & in quosdam nodos crassiores ex interualD lis intorta, sapore acerrimo, linguã admodum uellicante. Radix in Officinis hodie est nota. Aliqui Galangam, præsertim minorem, Cyperum statuunt esse Babylonicum. Maiorem enim uolunt esse Acorum. Sed de Acoro suprà est dictum. Eligitur ponderosa, rubente cortice, gustu admodum acris. Quæ uerò candicat, & pondere cedit, aut odore uacat, uel crebris scatet foraminibus, ac in puluerem fathiscit, improbatur. Nonnulli intortis iunci radicibus maceratis in aceto, Galangam mentiuntur. Sed facilè deprehenditur impostura, cortice, qui saporem imbiberat, deraso: reliqua enim pars nullo eiusmodi sapore prædita inuenitur.

TEMPERAMENTVM.

Calfacit in gradu tertio.

VIRES, INTRINSECVS.

Commanducata fœtentem halitum oris corrigit. Concoctionem stomachi iuuat, & dolores eiusdem ex frigida causa natos sedat, ac uniuersum deniq; corpus recreat & confortat. Ventositates discutit. Renum obstructioni & frigiditati confert. Matricis item inflationibus. Singultus &

A & ructus sedat. Eadem præstat in uino cocta, & calida pota. Ventriculum enim iuuat, & dolores ex frigida causa excitatos finit. Ex succo Plãtaginis datur ijs, quibus cor palpitans micat. Bonum sanguinem, quocunq; modo sumpta fuerit, generat.

EXTRINSECVS.

Naribus indita cerebrum corroborat. Ore detentam naturam alacrẽ reddere, autor est Serapion.

## CONFECTIO DIAGALANGA.

Confectio hinc habetur Diagalanga, cuius descriptionem docet Mesue. Valet ea aduersus crassiores flatus, acidos ructus, prauamq; concoctionem: actiones item uentriculi & epatis, à frigiditate impeditas, robustiores reddit, easdemq; emendat.

## CALAMVS AROMATICVS.

B

CAlamus aromaticus cognominis id accepit, ad differentiam calami uulgaris, seu non aromatici. Germanis **Calmus.** Calamum odoratũ in India nasci, scribit Dioscorides, fuluum, densè geniculatum, cùm frangitur scissilem, intus arenosum, Casiæ gustu, odore fragrantissimo, ut locũ omnem uicinum odore gratissimo impleat: in mandendo lentus & adstringens, cum aliqua acrimonia amarus. Atq; hunc in modum describitur ueterum Calamus aromaticus, quo nos penitus caremus: Quẽ enim Officinæ Calamum nominant, non est alius quàm uerus Acorus, ut in Acoro dictum est. Verum autem Calamum in Syria nasci per Dominicũ Sennonem uisum scribit Valerius Cordus, & nihil à uulgari arundine differre, quod ad formam attinet, sed solis uiribus, & odore & sapore. Est ipsa arundo in calamo in usu, non autem radix. De Acoro etiam & Calamo aromatico hunc in modum tradit Euritius Cordus, Valerij patrens, in suo Botanologico: Ego, inquiens, dictum hodie Calamum aromaticum, pro Acoro scribo, & eundem etiam esse suspicor, dubitoq; uehementer, num uerum Calamum odoratum habeamus: res enim est exotica, & precioſior, quàm ut tot tantiq; eius pleni colei ubiq; prostent.

*Calamus Officinarum.*

TEMPERAMENTVM.

Secundi est ordinis calfacientium, sed magis exiccantium. Calamus uerò Officinarum, qui est uerus Acorus, in tertio caliditatis & siccitatis statuitur.

VIRES VERI CALAMI ODORATI.

Calamus odoratus, Dioscoridis testimonio, urinã potus ciet, ideoq; cum gramine aut apij semine decoctus aduersus aquam subter cutem fusam, urinæ stillicidium, renum uitia, & rupta bibitur. Menses potu & appositu attrahit. Suffitus eius per se uel ex resina terebinthina ore exceptus, tussi medetur. Mulieribus ad insessus decoquitur.

Clysteribus quoq; inditur. Suffimentis & malagmatis odoris gratia miscetur.

VIRES CALAMI ODORATI, quo utuntur Officinæ.

De Calami Officinarum uiribus, suprà in Acoro uero est dictum, quæ huc referri poterunt: superuacaneum enim fuerit eadem repetere.

# COSTVS.

NOn uidebatur prætereundus Costus, cùm sit ex numero eorũ, quæ radices in terra agũt, ac hodie quoq;, sed adulterinus, sit in usu. Frutex est sola radice in precio. Suntq; tria eius Dioscoridi genera: Arabicus, qui reliquis præcellit, candidus, leuis, eximia odoris suauitate. Secundus est Indicus, leuis, ut ferula, crassus, niger. Tertius Syriacus, grauis, colore buxeus, & odore feriens. Optimus recens, albus, abundè plenus, densus, aridus, teredinem non sentiens, sine graueolentia, calidus & mordens. Hæc de Costo Dioscorides.

Quàm uerò longè ab hoc absit Costus, quo Officinæ utuntur, quiuis uidet, nec enim gustu feruet, nec uiribus tantis est prædita. Costus enim uerus odore adeò est ualidus, ut caput tentet, quod minimè facit Costus Officinarum. Sed est is Costus Radix Comagenæ Enulæ præparatæ, cuius etiam usus Dioscoridis tempore subrepsit, ut ipse autor testatur, Comagena Enula præparata Costum adulterari scribens. Alij alias radices, & singuli penè peculiarem costum exhibent.

TEMPERAMENTVM.

Vires excalfaciendi habet, ut autor est Dioscorides.

VIRES.

Costus urinam & menses ciet: Vuluæ uitijs & fotu & suffitu prodest. Contra uiperarum morsus bibitur. Cum mulso Venerem excitat. Ex aqua latas uentris tineas pellit. Ante febrium accessiones, & in neruorũ uitijs inungitur. Cum aqua uel melle, uitia cutis in facie extergit. Miscetur antidotis & malagmatis.

CASIA.

## CASIA.

CAsia communi nomine omnibus appellatur. Estq; duplex: Lignea, cuius meminit Dioscorides: & Fistularis, cuius Arabes, quæ hodie est in usu.

Casia lignea describitur Dioscoridi crassi corticis sarmento, foliis Piperis. Est autem multiplex eius differentia: Optima tamen fluuescens, colore pulchro, coralli æmula, perq; angusta, longa, crassa, & fistulosa, gustu mordens, & cum aliquanto feruore adstringens, odorata, uinum naribus obolens. Huic tanta cum Cinnamomo est cognatio, ut altera in alteram sæpe degeneret. Atq; hæc si cum ipso cortice ligno adhuc inhærente uendebatur, Xylocasia appellabatur: si uerò ligno exempto, tum Casia fistula, seu Syrinx ueteribus dicebatur, quòd nimirum ligno exempto, cortices fistulę similitudinem referrent. Aduehitur hodie aliqua species, quam Officinę Casiam uocant ligneam, quæ cortex potius apparet esse cuiusdam radicis, saporis acerbi & minimè aromatici. Vera autem Casia lignea rarò asportatur, & interdum inter Cinnamomi fasciculos, nigritia sua se prodens, inuenitur.

Casia uerò fistula ab Arabibus introducta, qua hodie omnes utuntur Officinę, Dioscoridis, & Plinij Galenique; ætatibus fuit ignota. Hęc nonnullis Calamus & Indica canna dicitur. Arbor est magna, iuglandis folio, fistulis prælongis ac teretibus, utrinq; fastigiatis, colore rubro nigri-
B cantibus, duûm fermè pedum proceritate: nigra intus carne, gustu prędulci, ligneis distinguentibus membranis: ossibus siliquarum, intercurrentibus laminis intus carnosis, quas parietinę discludunt. Nascitur partim in India, partim in Aegypto, Asiæ quoq; iam communis. Eligitur ponderosa, collucens, perplena, quam si concusseris, inclusa intus grana non obstrepant.

### TEMPERAMENTVM.

Casia lignea calfacit & exiccat in tertio ordine, Vrinam ciet, & leuiter adstringit. Casia uerò fistula calida & humida traditur, absceſſu primo.

### VIRES, INTRINSECVS.

Casia lignea, Dioscoridi aduersus intestinas inflammationes, & uiperarum ictus bibitur: Menses ciet: ac in summa, eadem potest quæ Cinnamomum, cuius loco substitui potest.

Casia fistula sufficienti modo data, incandescentem torridamq; bilem citra molestiam expurgat. Deniq; ijs qui ob teneram imperfectamq; ætatem, aut aliam quamuis causam, deficientia aluum medicamenta respuunt, hæc audenter & intrepidè datur. Flauam uerò bilem, sed magis torridam, & quæ iam in atram degenerauit, extrahit. Quinetiam pituitam mediocriter educit. Præbetur itaq; pueris, & fœminis uterum ferentibus, commoditate & necessitate quadam urgente, quibus potentius aliud medicamentum sumi denegatum est. Item ijs, quibus exuperans febris

reliquorum medicamẽtorum uſus aſpernatur. Datur autem unciæ uni- G
us pondere, plus minúſue, pro ſumentis habitu & uiribus: Siquidem tri-
bus aut quatuor drachmis ſumpta, uix mouet aluum.

EXTRINSECVS.

Caſia lignea medicamentis oculorum, ad uiſus claritatem conciliandam compoſitis, additur. Cum melle lentigines tollit. Renum doloribus & uuluæ contractionibus inſeſſu uel ſuffitu auxiliatur.

## SANTALVM.

SAntalum, & lignum Santalum recentibus Græcis, Germa. **Sandelholtz**. Lignum eſt quod India mittit.

Suntq; tria huius genera: Album, rubeum, & citrinum, quod reliquis præſtat. A triplici ligni huius commercio medicamentum Triſantalum dictum eſt.

TEMPERAMENTVM.

Album frigidum eſt & ſiccum in ſecundo gradu. Rubeum ac citrinũ frigida ſunt in gradu tertio, ſicca uerò in ſecundo.

VIRES.

Santalum citrinum fluxus ſiſtit, & uentriculum confortat. Tritum ex ſtillatitio roſarum liquore cordis calorem impoſita mitigat: Camphora admixta temporibus illitum, dolorem capitis ex calore natum cõpeſcit. Sitim cum ſaccharo compeſcit, ſanguinem bonum generat, cor con- D fortat. Santalum rubeum cum ſolani ſucco mixtũ, podagram adiuuat. Cũ Lactucæ ſyluestris liquore ſtillatitio applicatũ iecoris æſtũ reprimit.

## AGALLOCHVM.

AGallochum Officinis & uulgò hodie Xylaloës, hoc eſt, Lignũ aloës, & Lignum Paradiſi. Germ. **Aloes holtz/Des heyligen creutz holtz**. Lignum eſt, deſcribẽte Dioſcoride, quod ex India atq; Arabia deportatur, thyino ligno ſimile, maculoſum, guſtu adſtringens cum quadã amaritudine, quod cute corioq; uerius quàm cortice ueſtitur, aliquantũ uerſicolore.

Huius plures ſunt ſpecies, ſumma tamen quatuor numerantur genera: Videlicet, Indicum, quod notius, Sapphicum, Speon & Hygron, cuius quatuor aliæ ſpecies recenſentur. Ex harum quoq; ordine faciũt alii qui, quod Officinæ Lignum Rhodium uocant: ſed negat Ruellius, aſſerẽs illud eſſe Aſphalathum ſeu Aſpalathum, de quo mox dicetur. Officinæ ſæpe pro Agallocho Aſphalathum ſubſtituunt, ſed deprehenditur facilè error: Nam Agallochum maculis interſtinctum ac punctis quibuſdam eſt uariatum: Aſpalathus uerò ſubrubeſcit, ſubq; cortice atra quadam purpura rutilat, unico colore. Præterea Aſpalathus ſpinis ueſtitur. Agallochum uerò eſt glabrum. Vtrunq; iucundum ſpirat odorem, ſed Agallochum fragrantiorem.

TEMPE-

TEMPERAMENTVM.

Omnia Agallochi genera, ut Aëtius autor est, calfaciendi uim habẽt, uentrem sistunt, sed maximè Hygron, proximo loco Indicum, reliqua lõgè minus.

VIRES, INTRINSECVS.

Radix Agallochi, Dioscoridis testimonio, drachmæ unius pondere epota, humida stomachi uitia corrigit. Ventriculum corroborat, eiusq; æstum mitigat. Interanea roborat. Iecoris uitijs prodest: intestinorũ exulcerationibus & torminibus ex aqua medetur.

EXTRINSECVS.

Commanducatum aut suffitum commendat oris halitum. Suffimentis thuris uice additur. Corpori aspersum sudores arcet.

## ASPALATHVS.

ASpalathus uel Asphalathus, aliàs Erysisceptrum Dioscoridi. Officinis Lignum Rhodium, Germa. **Rhodisholtz**. Frutex est ex descriptione Dioscoridis, surculosus, multis spinis horrẽs, in Istro, Nisyra, Syria & Rhodo nascens, quo unguentarij ad spissanda olea utuntur. Eligitur grauis, detracto cortice rubens, aut in purpuram inclinãs, tactu præduro, odore suaui, gustu amaro. Atq; uidetur hic, cum Ruellio, esse id quod Officinæ Lignum Rhodium uocant, quod alij uolũt esse Agallochum, seu Lignum aloës, ut in præcedentibus dictum est, proximo nimirum cãpite. Descriptionem fruticis ligni Rhodij à negociatoribus Rhodijs acceptam tradit Ruellius: Fruticem esse humilem, crebris spinis aculeatum, flore rosæ: Quæ ad descriptionem Dioscoridis sanè accedunt. Alterum quoq; genus facit Dioscorides, candidum, lignosum, sine odore, quod deterius habetur. Aliud uerò longè & diuersum est Asphalton, quod libro quoq; primo cap. 83. Dioscorides describit, quod Bitumẽ dicitur, Germa. **Erdbech**, quòd substantia & uiribus pici respondeat, & in terra nascatur. Quod propter nominis similitudinem indicare libuit.

*Erysisceptrum.*

*Lignum Rhodium.*

B

*Asphaltõ quid.*

TEMPERAMENTVM.

Calfactoriam uim cum adstrictione Dioscorides attribuit. Dissimilibus autem cõflatur partibus: acribus, quibus excalfacit: & austeris, quibus refrigerat: ideoq; resiccat. Vide Ruell.

VIRES, INTRINSECVS.

Decoctum eius aluum sistit. Sanguinis reiectiones cohibet. Vrinę difficultatem & inflationes discutit.

EXTRINSECVS.

Decoctus cum uino, tetra oris hulcera collutione adiuuat. Ad genitalium nomas & sordida hulcera infunditur. In pesso subditus, partum extrahit.

FINIS.

# DOMINO BONIFACIO NVHEMIO, IVRIS LEGVMQVE PERITO, ARCI ET NOBILITATI Fridbergensi à Consilijs, Domino & Fautori suo singulari, Adamus Lonicerus

οὖ πρόπλεψ.

„ PVLCHRVM eminere est inter illustres uiros, inquit Seneca in Octauia: quo exordio te compellare placet, plurimum de me merite, legum sacratissimarum peritissime Domine Bonifaci. Quàm enim te nõ solùm omnes docti, sed & uniuersus Equestris ordo amet, & in quãta ueneratione habeat, satis eorum erga te studium declarat. Quid dicam, quanto me gaudio affecerit, primùm delata ad me fama, quòd te sibi affinem is ordo, equestris nimirum, uoluerit: mox tuæ uementes literæ, quibus omnẽ rem mihi explanabas, meq; ad nobiles tuos honores inuitare non dedignabaris? Quæ de causa & gratulor tibi, & mihi gaudeo: Tibi quidem, q; id honoris cõsecutus sis, qui præstantibus & eruditis uiris debetur, q; uidelicet affinitatis uinculo nobilitatis status te sibi iunxerit: Mihi uerò, quòd amicum te tantum habeam, in omnibus paratum & promptum. Sæpenumerò Praumnorum nomen auditum mihi fuit, multisq; nominibus prædicatum, præsertim uerò hic socer tuus, uir strenuus & clarus, Nicolaus à Praumenheym, cuius etiam coniugem Mariam Ketnerin, maiorum imaginibus claram, singulari pietatis nomine commendari audiui. Vnde non dubium est Aemyliam tuam liberaliter & honestè ab eiusmodi parentibus educatam & institutam esse. Vt ergò grati animi symbolum aliquod, cùm ipse certis de causis negocijs q; coràm adesse nõ potuerim, exhibeam, mitto ad te, (etsi fortasse uilia uidebũtur) hæc quæ de Animantiũ natura & uiribus, ex optimis quibusq; autoribus, non exiguo labore & studio, impellentibus ad hoc amicis nonnullis, exaraui. Atq; quod ad horum ordinem rationemq; attinet, in tres libros seu partes ea distinxi. In parte prima terrestrium naturæ & uires, adiectis eorundem ex uarijs linguis nomenclaturis, explicantur: ubi hic ordo seruatus est, ut primùm domestica, hinc syluestria, postremò reptilia exponerẽtur: præmissis etiam prius generalibus quibusdam, quæ nonnullis animantibus communia sunt, uelut de lacte, caseo, pinguedine, felle, excrementis, sanguine, melle, cera, id q; genus reliquis. In secunda de uolatilibus, eius q; generis insectis, pari ratione & ordine agitur. In tertia, de aquatilium, seu piscium genere sermo habetur. Autores secutus sum fide dignissimos quosq;, Aristotelem, Theophrastum, Plinium, Oppianum, Ausonium, inter quos postremos duos in Piscibus adhibui: Aelianum item, nec non alios, quorum suis locis fit mentio. Hæc ergò tui nominis patrocinio prodire uolui, non exiguum ex nominis tui dignitate & auspicio his ipsis splendorem accessurum, persuasum mihi habens. Ac proinde, ut hæc ipsa ab amico profecta, nomine tuo digno animo, hoc est, bono & candido suscipias, teq; illis patronum & tutorem præbeas, rogo. Vale, & quod facis, me solito amore prosequere. Idibus Iulij, anno salutiferi partus 1551.

DE

# DE ANIMANTIBVS TERRESTRIBVS, VOLATILIbus, & Aquatilibus.

ANTEQVAM animantia ipsa, eorumq; Medicinas percensеamus, primùm generalia quædam, quæ plerisq; sunt communia, præmittemus. Hoc est, de Carnibus, Sanguine, Felle, Lacte, ijsq; quæ ex lacte fiunt, uidelicet caseo, sero, butyro: Item de coagulo, adipe, pinguedine, medulla, urina, & stercore. Hinc de melle, cera, & propoli. Ac primùm erit sermo de carnibus quadrupedũ. De uolatilium usu ante ipsas aues dicetur: Sicut etiam piscibus in genere quædam de eorundem carnibus anteponentur.

## DE CARNIBVS QVADRVPEDVM.

CArnes, ut Galenus lib. 11. de simp. med. fac. est autor, pro animaliũ proportione, qua in tẽperatura excedũt, differunt & exuperant. Non omnes autem omnium animalium nutriunt, sed quorũdam etiam sunt letales. Inter eas quoq; quæ hominem nutriunt, quædam tantùm sunt nutrimentum, quædam etiam medicamentum. Exemplo id uiperarum copiosè idem autor confirmat. Rasis omnem carnem calidæ

naturæ tradit, aliam tamen plus, aliam uerò minus: est autem alia humidior, alia uerò siccior, pro ætatis & nutrimenti ratione. C

Quòd ergò ad nutriendum corpus humanum attinet, eiusmodi animalium carnes exhibere oportet, cuiusmodi corpus humanum reddere uolumus.

Animãtium eorum, quæ ætatis sunt teneræ, omnium caro natura est humida, & uere magis quàm autumno. Agnorum quàm Hœdorum est humidior: multum generat phlegmatis. Eadem tamen tosta est utilis. Iuuencorum, uitulorum, ueruecum, idq; genus animantium mediocris ætatis, carnes sunt boni nutrimenti, & facilè concoquuntur.

Omnium animantium, tam domesticorum, quàm syluestrium, quæ pastum aguntur, caro melior & sanior est, quàm eorum quæ in stabulis concluſa saginantur.

Suilla caro temperaturæ est optimæ, & bene nutrit, ob similitudinem quam cum humana habet: atq; adeò porcelli dum adhuc sugunt, ægrotis, tabidis, & macilentis sunt conuenientissimi.

Non parua etiam, Galeno teste, carnium est differentia, dum qualdã sale condimus. Nam interdum caro animalis humidissimi sua temperie, salita longè exiccantior euadit ea quæ natura sicca existit.

Verùm inter eas quæ salitæ non sunt, siccior est assa quàm quæ in aqua est elixa.

Leporum & Cuniculorum carnes sunt melancholicæ, & melancholi D cum crassumq; sanguinem gignunt.

Adhęc exterior omnis carnis pars melior est intrinseca, quòd nimia intrinsecus sit humiditas. Prę cęteris etiam partibus eligitur dorsum & latus dextrum, ut quę magis sana sint: quòd lien in sinistra parte melancholicum suũ locum habeat. Capitis caro natura est humida, multumq; phlegmatis toti corpori generat: aluum uerò duram subducit. Corda calida sunt & sicca, concoctionis difficilis. Interanea omnia, ut pulmo, iecur, lien, intestina, renes, cerebrum, sunt humida, & phlegmata pariunt. Glandulæ carnium sunt dulces suauesq;, sicut & oculi. Testiculi, pręsertim pullorum gallinaceorum, semen augent. Vbera bene nutriũt, & lac nutricibus generant. Partes uerò neruosę, uenosę, & cute obductę, uelut pedes, aures, os, frigidos, & uiscosos humores procreant.

Peculiariter etiam quorundam animantium in Medicinis est usus. Pedes nanq; porcini tertiana febri laborantibus prosunt: choleram enim reprimunt. Caput leporis, Galeno teste, ad alopecias cum adipe ursino illinitur. Cerebrum leporis attritum & comestum pueris dentientibus est utile. Ad tremorem etiam idem editur. Contra calculum experimentũ esse certum tradunt, ustum cinerem leporis ex utero matris exempti.

Asthmaticis pulmo uulpis arefactus datur, & ex eodem nomen habens Electuarium de pulmone uulpis.

Pulmo agninus & porcinus intertrigines à calceamẽtis factas curat.

Iecur

A lecur uulpis tritum iocinorosis est auxilio. Sanies excepta ex assato caprino iecore nyctacopis medetur, si inter assandum uapor apertis oculis excipiatur. Castorio non exigua est in Medicina facultas, de quo in Castore.

Et hæc de carnibus quadrupedum: de auium carnibus suo locco.

## SANGVIS.

SAnguis pro natura animalium uariat: huic enim animali est liquidior, illi siccior, alteri calidior. Nullus autem sanguis est frigidus.

In cibis præcipuè usus est sanguinis leporini. Suillus sanguis ad farcimina expetitur, sicut etiam ueruecum & hircorum. Taurorum sanguis prorsus est noxius. In summa tamen omnis sanguis concoctioni aduersatur, & præsertim ijs qui uentriculum habent debilem.

Hirci, caprarum, cerui, et leporis sanguis in sartagine assatus, dysenterias & cœliacorum profluuia sistit: in uino potus toxicis sumptis resistit.

Caninus aduersus rabidi canis morsus bibitur.

Leporinus tepens adhuc illitus, uitia cutis in facie & lẽtigines exterit.

Testudinis terrestris sanguinem epotum comitialibus ferũt prodesse.

B Taurinus cum polenta illitus, duritias discutit, emollitq;.

Sanguinis equorum admissariorum in medicamenta erosiua additur.

Hœdorum sanguinem feruefactum cum pari aceto hęmopticis prodesse, scribit Xenocrates.

Sanguis suillus, ut Galenus tradit, humidus est & minus calidus, tem perie sanguini humano persimilis. Siquidem & carnes suum similes humanis existunt. Itaq; quisquis humanum sanguinem morbo alicui utilem esse ait, in suillo id primùm comprobet. Nam etsi aliquatenus inferior sit humano, saltem assimile quid efficiet, quo cognito pleniorem ab humano fore utilitatem sperabimus. Similia enim similia efficere possunt.

Sanguis columbæ ad hyposphagmata in oculis existentia quibusdã, Galeno tradente, est in usu, uenis ad alarum exortum incisis, quò sanguis calidus effluat. Alij pullorum tenerorum pennas, quæ humore redũdant, in ipsum oculum exprimunt.

Sanguine uespertilionis sicubi axillas illeueris, postea Chalcanthõ aut Cicutæ semen inspergas, nullos sub illis prorsus pilos prodituros, aut laguinosos prorsus, ait Xenocrates.

De uiridium ranarum sanguine hunc in modũ lib. 10. de simpl. med. fac. scribit Galenus: Cùm assereret quidam, illitum hunc prohibiturum quò minus euulsi semel renascerẽtur palpebrarum pili, falsum esse id experimento didicimus.

FEL.

## FEL.

FEl omnium eorum, quæ in homine sunt, Galeno teste, est calidissimum. Calor tamen eius pro uaria animalium temperatura uariatur. Taurorum bilis calidior & siccior est, quàm boum castratorum. Quòd uerò hic humor sit acris, hinc patet, quòd hæmorrhoidas aperit, quodq; ilos, qui eo utuntur, mordicat. Cauetur itaq; ne ad alium morbum, aut symptoma bilis usurpetur sola aut per se. Dum enim oculis admouetur, miscetur illi mel, uel succus fœniculi, uel opobalsamum. Domesticarum suum bile (quæ imbecillima omnium, & maximè aquea est) utuntur quidam ad aurium hulcera satis commodè. Sed si ulcus diuturnum fuerit, & multam saniem ac pus contineat, sicciore etiam bili uti poterimus, ut ouium, quæ paulò est acrior suilla. Hac etiã magis caprarum, cui adsimilis quodammodo est ursorum & boum.

Taurorum bilis omnibus his est ualentior, inferior tamen bile hyenarum.

Volatilium biles omnes tum acriores sunt, tum sicciores, quàm quadrupedum, & inter ipsas quoq; uolucres, gallinarum & perdicum biles ad Medicinarum usum probatiores habentur.

Miluiorum uerò & aquilarum impendiò sunt acres, erodẽtesq;, quãobrem colore ærugineo conspiciuntur, & nonnunquam atro.

D

## LAC.

LAc, Græcis γάλα, optimum est candidum, æquali crassitudine, quod ungui instillatum cogitur. Præcipuum est mulierbre: caprinum proximum sibi locum uendicat: hinc ouillum, non tamen usq; adeò stomacho utile. Post hæc uaccinum, asininum, & equinum quoq; laudantur.

Vaccarum lac pinguissimum est & densissimum, asinarum uerò tenue & clarum. Mediam naturam caprarum obtinet, unde etiam præfertur. Lac in quo chalybs uel silices fuerint extincte, nonnullis Schiston dicitur: Sed Schiston propriè est serosæ substãtiæ, à lacte separatio, à σχίζω, id est, findo, separo, diuido: de quo paulò pòst.

Schiston.

Nigrum lac in Ponto post inundationem Astacis fluuij mulgeri, scribit Plinius: quod fluuij istius naturæ peculiari in irrigandis pratis est adscribendum.

Lac nigrum.

Porrò omne lac, ut scribit Simeon Sethi, constat ex tribus substantijs: Ex ea quæ serosa est, quæ est tenuis & mundificat, uentremq; subducit, si quis decoquat, & excernat, uel percolet. Ex caseosa, quæ crassior est, & uentrem sistit: Et ex butyrosa, quæ medio est ordine, & temperatura inter serosam & caseosam. Lac ergò omne, quod plus seri continet, melius est: quod uerò plus casei habet, noxium est: nam iecur & renes obstruit, calculosq;

calculosq; gignit. Coctum autem cum lapillis qui sub aquis cõcrescunt, quos Græci κάχληκας uocant, optimum fit medicamentum ad dysenterias & uentris acres destillationes: tabescentesq;, & hecticos, siccasq; tusses iuuat. Ad mordicationes etiam quæ ex uenenatis potionibus, & in urinæ meatibus fiunt, est auxilio.

Optimum uerò lac est ex sano animali, non nimis pingui, nec nimis macilento, quodq; recens mulctum sit. Quod uerò diu postquàm mulctum fuit sumitur, quãtò diutius, tantò peius est. Oportet quoq; lac modicè dulce esse, & reliquorum saporum expers, ad hæc etiam album.

Ad acres item oculorum destillationes facit. Corpus madefacit, si probè concoquatur: bonumq; habitum ideò facit: pulmoniq; & pectori est utile.

## LACTIS VTILITATES.

Lac recens, adhuc tepidum, ieiuno stomacho potum, optimè nutrit, & Phthisicis est saluberrimum. Idem ualet ad erosiones ustionesq; ab exitialibus medicamentis factas. Aduersus faucium exulcerationes, & tonsillas gargarizatur. Fluxibus à capite ad pulmonem decidentibus opitulatur. Prodest etiam senibus & macilentis: bonum enim nutrimentum præbens, sanguinem bonum quoq; generat, crassaq; phlegmata discutit. Pectoris & arteriæ tracheæ exulcerationes purgat & sanat, præsertim si cum melle modico mixtum tepidum bibatur. Lac uerò caprinum ad omnia hæc est præstantissimum. Cum marinis lapillis aut silicibus decoctum, alui fluxus sistit. Alij candentem Chalybem pari efficacia in lacte restinguunt. Oculorum fluxionibus confert: unde in collyria additur.

Potum tenasmum resoluit. Venena item fertur pellere. Aquam de pinguedine matutini lactis stillatam mense Maio, ter in die sumptam, cœliacis ferunt certissimo esse auxilio.

Lac humanum suffusionibus oculorum, cum thuris polline instillatur. Cum meconio & cerato podagricis idem illinitur. Lac asininum ieiuno stomacho calidum dies aliquot potũ, uiscosas in matrice collectiones purgat. Idem si tepidum colluatur, putredini gingiuarum auxiliatur, & dentes firmat: cùm alioqui lac dentibus sit noxium. Lac canis primos catulos parientis, inunctum, caluiciem facere tradunt. Idem potum contra uenena est antidotum: mortuos abortus expellit. Lacte asinino Neronis concubinam quoties balneo exiret, corpus suum abluisse legimus.

## LAC QVIBVS OBSIT.

Lac uentriculum præsertim humidum lædit, & caput, ut Hipp. ait: Lac caput dolentibus exhibere malum: facilè enim mutatur, & sæpe in uentriculo coagulatur. Offendit præterea dentes & gingiuas: atq; idcirco qui dentium debilitate laborant, antequam lac hauriant, os ipsum melicrato cum uino perluant.

Omne

Omne lac reſpuendũ ſpleneticis, hepaticis, comitialibus, uertiginoſis, neruorum uitio laborantibus, febri correptis, & capite dolentibus: niſi quis purgationis gratia ſchiſtum interdum præbeat.

Libet ſubnectere carmen Baptiſtæ Fieræ de lacte, quod eſt eiuſmodi:

*Dulce ſapit. ſubitò cur lac putreſcit? aquoſum eſt.*
*Quod præſtat? Capræ. Pòſt? Ouis. Inde? Bouis.*
*Cui nocuum? Capiti, putridis & febribus, ora*
*Inficit & neruos, ſed bene pectus alit.*
*Quando bibam? primum cùm ſugis ab ubere. Somnus*
*Huic (moneo) & motus, mixtaq; menſa nocent.*
*Tot petis? Vnum oro, cur in contraria fertur,*
*Et modò lac reſerat, & modò fluxa tenet?*

## OXYGALA.

Oxygala, hoc eſt, Lac acidum, Germanis dicitur **Sawrmilch**. Cuius confectionem docet Columella lib. 13 cap. 8. Oxygalam, inquit, ſic facito: Ollam nouam ſumito, eamq; iuxta fundũ terebrato: Deinde ſurculo cauum obturato, & lacte ouillo quàm recentiſsimo uas repleto, adĳcitoq; uiridium condimentorum faſciculos, origani, menthæ, cepæ, coriandri. Has herbas in lacte demittito, ut ligamenta eorũ extent. Poſt diem quintum, quo cauum obturaueras, ſurculum eximito & ſerũ emittito. Cùm deinde lac cœperit manare, eodem ſurculo cauum obturato: D intermiſſoq; triduo, ita ut ſuprà dictum eſt, ſerum emittito, & faſciculos cõdimentorum exemptos adĳcito. Deinde exiguũ aridi thymi, & cunilę aridæ ſuper lac diſtringito, conciſiq; ſectiui porri quantũ ſatis uidebitur adĳcito & permiſceto. Mox intermiſſo biduo rurſus ſerum emittito, cauumq; obturato: & ſalis triti quantum ſatis erit, adĳcito & miſceto. Operculo deinde impoſito & oblito, non antè aperueris quàm uſus exegerit. Sunt qui ſatiui uel etiam ſylueſtris Lepidĳ herbam collectã in umbra ſiccent, deinde folia eius, abiecto caule, die & nocte in muria macerata expreſſaq; lacti miſceant ſine condimentis: & ſalis quantum ſatis arbitrantur adĳciant: Tunc cætera quæ ſuprà dicta ſunt, faciant. Nonnulli recentia folia Lepidĳ cum dulci lacte in olla miſcent, & poſt diem tertiũ, quemadmodum præcepimus, ſerum emittunt: deinde Satureiam uiridem, tum etiam arida ſemina Coriandri, Anethi, Thymi, & Apĳ, in unũ bene trita adĳciunt, ſalemq; bene coctum cribratum permiſcent. Cætera eadem quæ ſuprà faciunt.

### VIRES.

Oxygala frigidioris ſicciorisq;, quàm lac dulce eſt facultatis: unde in cholericis febribus non prorſus uſus eius interdicitur.

## SERVM LACTIS.

Serum lactis, aliàs aqua lactis, dicitur aquoſa & tenuis lactis ſubſtantia,

A tia, à qua caseus, seu crassior pars est separata. Græcis χισὸν uocatur, quasi dicas separatum, à χίζω, id est, findo, separo. Germa. Molcken. Est autem serum ipsum tantò melius, quantò lac ipsum melius fuerit. Miscetur autem ad usum uarijs modis.

Nonnulli cum ouis ipsum coquũt: Aliqui, quia suapte natura in purgando lene est, admiscent casiam fistulam extractam: alij Mirobalanos Indos, Rhabarbarum, succum Rosarum, Violarum, flores Fumi terræ, & semen eius: alij uerò alia pro placito & purgationis modo: Cum foliis quoq; Senæ ad purgandam scabiem coquitur.

## VIRES.

Complexionis est calidæ & siccæ à primo gradu usq; ad secundum.

Per se leues præstat purgationes. Solutione igitur choleram & adustos humores leniter educit. Prodest melancholiæ, manię, omnibusq; oppilationibus, morbisq; ex oppilationibus natis, uelut hydropisi, morbo arquato, duritiei splenis, febribus item cholericis & melancholicis. Confert insuper infectionibus cutis ex cholera factis, uelut impetigini, serpigini siccæ, pustulis, pruritui, ulceribus malignis siccis, lepræ, & similibus.

Bibitur ab ʒ vj. ad libram usq; unam.

B

## SERVM BVTYRI.

Serum butyri est separata tenuior à butyro substantia, dum uidelicet pinguedo lactis tusione in massam cogitur, & crassior pinguiorq; substãtia, quam propriè Butyrum uocant, à tenuiore separatur. Germ. Stoßmolcken/ quasi dicas, serum quod ex tusione fit.

## VIRES.

Serum butyri aliquantò est frigidum & siccum, parium cum oxygala uirium: Poterit itaq; in cholericis febribus absq; noxa eius esse usus.

## CASEVS.

CAseus, Græcis τυρὸς. Est lactis dẽsior & crassior substantia, tenui & aquea separata. Conficitur is uarijs modis: Optimus tamen qui ex dulci, bono & pingui lacte conficitur, butyro non separato. Caseum itaq; ex lacte alij eliciũt, calefacto primùm lacte, & inde coagulo uituli imposito. Alij lac corruptum seu coagulatum, quod acorem iã acquisiuit, colant, à quo facilè serum, manente crassiore substantia, caseo uidelicet, seiungitur. Plinius ueteres succo ficus arboris usos esse tradit. Plurimos & optimos hodie mittit Holandia. Heluetij suam quoq; laudẽ habent. Vuestphalia in magnas moles suos cogit, ut uniferendo robustissimus uix Vuestphalus sufficiat. Eadem Smaragdi colore eos donat.

Porrò bonus caseus ex sex rebus cognoscetur: si nõ multis oculis luceat, si non nimium fuerit salsus, si non capillis intrinsecus sordeat, si nõ

nimis uetuſtus, ſi non nimis durus, ſi non fœtidus. Quæ caſei dotes hoc C continentur Diſticho:

*Non Argus, Largus, non Magdalena, Matuslem,*
*Non Abacuc, Lazarus, caſeus iſte bonus.*

VIRES.

Recens caſeus frigidæ nonnihil eſt facultatis: qua de cauſa inflammationibus imponitur. Vetus uerò contrario conſtat temperamento.

Recens igitur caſeus ſine ſale ſumptus, teſte Dioſcoride, alit: Stomacho eſt utilis, & facilè in membra deriuatur. Corpus auget, aluum modicè emollit. Alius tamen alio præſtantior, pro natura lactis à quo conficitur. Decoctus uerò & expreſſus, & deinde inaſſatus, aluum ſiſtit. Oculorum inflammationibus & ſugillatis illinitur. Qui uerò recens ſalitus eſt, minus alit, corpus minuit, ſtomacho aduerſatur. Ventri & interaneis inimicus. Vetuſtiore ſiſtitur aluus. Caſei uires non exiguas hic Pentameter explicat:

*Caſeus & panis ſunt medicina famis.*

Scribit Galenus, podagrico cuidam tophos & podagricos dolores, uetuſto caſeo in iure aridæ ſuillæ carnis mollito, ac inde in mortario tuſo, impoſitoq; tophis membrisq; podagricis calido à ſe curatos eſſe: ut et tophi particulatim deciderent, doloresq; podagrici finirentur.

## DE CASEO, EX SIMEONE SETHI. D

Caſei omnes mali, nam difficulter concoquuntur, & acidum ructum faciunt, uentriculumq; uento ac ſpiritu replent, maleq; penetrant.

Sunt & pituitoſi, & uentriculo feruidi, ſuſcipiunt enim à coagulo acrimoniam. Si uerò inueteretur, acrior & calidior fit, concoctuq; difficilior, ſucciq; peioris, & in renibus calculos gignit, eſtq; plurimum noxius: de craſſo nanq; eius humore calculo gignuntur.

Quare hic caſeus fugiatur, quia nihil omnino boni habet, quod ad concoctionem faciat, nec ad redditionem excretionémue, nec ad mictionem, nec ad bonum ſuccum ſiue nutrimentum.

Minus utiq; malus eſt, qui uetus non eſt, nec acris, melior uerò recens.

Medius nanq; eſt inter ueterem caſeum & lac ipſum, atq; ideo & melius concoquitur quàm uetus, & melioris eſt ſucci, & in primis ſi mollis eſt ac laxus, nec fortiorem habens qualitatem, adeò ut modicè ſit dulcis, ſalisq; modici, modiceq; ſumptus.

Conuenit uerò ut cum melle apponatur, quoniam ita citò redditur, præſertim ab his qui frigida ſunt temperatura præditi.

Caſeus autem uetuſtus, qui omnem dulcedinem amiſit, ac propterea friabilis & euanidus eſt factus, peſsimus eſt: qui uerò ſpongioſus eſt & rarus, & dulcis, melior cæteris eſt, præſertim ſi nõnihil recens eſt, quales ſunt qui ex Paphlagonia afferuntur, huiuſmodi enim uentrem ciunt, uetuſtus autem ſiſtit, præſertim ſi poſtquam aqua decoctus fuerit aſſetur.

# BVTYRVM.

BVtyrum, Græcis βούτυρον, à βοῦς, id est, Bos, & τυρός, id est, Caseus. Germa. **Buttern Ancken.**

Butyrum nihil aliud est quàm pinguedo lactis, quæ lacti dempta tunditur donec in massam coëat. Tenuis uerò substantia, quæ per tusionẽ à butyro separatur, dicitur Serum butyri, de quo post serum lactis est dictum. Optimum est quod ex lacte fit uaccarum mense Maio. Lege Plinium lib. 11, cap. 41.

VIRES.

Modicè & temperatè est calidum, adstringit, laxat, purgat, emollit. Editur crudum, & ad omnis generis cibos additur. Cutem si illinatur purgat. Vnde infantes primùm nati recente butyro unguntur. Dentitiones adiuuat, gingiuarum pruritui & oris hulceribus in infantibus illinitur. Foris illitum capaciora alimentorum facit corpora, & ab albis pustulis in summa cute emergentibus liberat. Aduersus inflammationes & uuluæ duritias illinitur. Prodest per infusionem dysentericis, & coli exulcerationibus. Additur in medicamenta, quę pus cient. Vulneribus neruorum, membranæ cerebri, cruicis uesicæ est utile. Purgat, replet, carnem creat.

DE BVTYRO EX SIMEONE SETHI.

Butyrum, modicè & temperatè calidum est, & nutrit, pectus & pulmonem iuuat, sputumq; efficit, ut ex his facilè educatur: & ad frigidas, & aridas tusses confert. Si uerò abundè quis utatur, uentres lubricat, quantoq; uetustius est, tantò est calidius: & quocunq; oleo magis nutrit, facultatemq; digerendi & discutiendi habet, præsertim in tenellis mollibus corporibus, & propterea parotidas & bubonas, illitũ, sanat, in puerisq; dentitionis dolores sedat. Veruntamen quandoq;, cùm in uentriculo superfluitat, nauseam facit, & appetentiam tollit. In uentriculis item calidis in flauam bilem conuertitur.

FVLIGO BVTYRI.

Fuligo butyri, Germa. **Butterrüß.** Huius confectionem docet Dioscorides: Butyrum in lucernam nouam ingestum accenditur, & in fictili contecto, quod supernè in siphonis speciem desinat, & inferna parte foramina habeat, crematur, & subinde aliud in absumpti locum substituitur, donec fuliginis sufficientem quantitatem habueris: postea penna deraditur ad usus.

VIRES.

Valet ad oculorum medicamenta : exiccat, adstringit: fluxiones oculorum cohibet, & ulcera celeriter ad cicatricem perducit.

## COAGVLVM.

Coagulum, Græcis Pitya, Germa. **Gerinzel/Lyppen**/est nihil aliud quàm lactis in uentriculo quadrupedum, quæ adhuc sugunt, concretio, & condensatio: uelut in uitulis, hœdis, agnis, leporibus, quorum coagulum potissimum est in usu.

VIRES.

Coagulũ omne, Galeno teste, acris & digerentis est facultatis, adeoq; exiccatoriæ. Leporis coagulum comitialem morbum, si cum aceto bibatur, præterea profluuium muliebre sanare, Galenus testatur. Lac item coactum in uentre dissoluere: quod non solùm in leporino, sed in aliorum etiam omnium animantium coagulo se expertum, idem scribit. Sanguinem quoque in uentre concretum, simili modo epotum coagulum leporinum, dissoluit, ac efficacius quidem cæteris. Non tamen solum, cùm hoc sit commune omni coagulo.

Leporis coagulum tribus obolis ex uino uenenatorum morsibus, & reiectionibus pectoris medetur. Post menstruas purgationes cum butyro uuluæ appositum, præstat mulieribus ut concipiant.

Idem præstat cæterorum animantium coagulum. Partus potum enecat, & à puerperio pariendi spem adimit, D

## ADEPS ET PINGVEDO.

Adipem & pinguedinem lib. 11. de simp. med. fac. distinguit Galenus: quòd uidelicet adeps crassior sit, ac propterea animantibus totam naturam terrosiorem habentibus, ut bobus & capris, adeps prouenit: Humidioribus autem, ut suibus bene habitis, pinguedo. Pinguedo igitur celeriter, in ignem posita, colliquescit: nec facilè, ubi semel liquata fuerit, rursus cogitur & concrescit: Germa. propriè **Schmaltz**.

Adeps uerò nec facilè funditur liquescitue, & fusus celerrimè congelatur. Græcis στέαρ, & πιμελὴ. Germ. **Vnschlit**. Adeps porcinus priuatim axungia dicitur. Germa. **Schweinen schmaltz**.

VIRES.

Omnis pinguedo, Galeno teste, facultatis est humectatoriæ, & excalfactoria humanorum corporum. Suis autem pinguedo largius humectare potest, sed non æquè calfacere, sicut neq; oleum: talem siquidem caliditatem obtinet, qualis spectatur in nobis. Cataplasmatis igitur phlegmonum admiscetur.

Taurorum adeps siccior est, & calidior multò suillo. Sic & adeps uitulinus taurino minus tum calidus est, tum siccus: & hœdorum quàm caprarum. Caprarum quoq; minus quàm hircorum.

Qui

A Qui ergò mordicationes perpetiuntur, aut in recto intestino, aut in colo, ijs potius caprarum quàm suillus adeps prodest. Injicitur ergò dysentericis & tineosis, quando morsum eorum mitigare uolumus.

Leoninus adeps calidior & siccior est, quàm taurorum, potentius ergò omni adipe digerit. Vnde hulcera & phlegmonas nimis irritat. Inueteratis tamen tumoribus, & induratis scirrhis, neruorumq; curuaturis est aptissimus: in quibus suillus minus uidetur efficax.

Taurinus autem adeps tanquam in medio consistens, ad utrunq; medicamentorum genus ualet, & ad id quod scirrhosis medetur, & ad id quod phlegmonas ad maturitatem perducit: Cuiusmodi est tetrapharmacum ex cera, resina, pice & adipe, constans. Verùm omnibus quibus caro est mollior, adeps suillus magis conuenit: quibus uerò est dura & sicca, taurinus.

Vrsorum adeps alopecias curat.

Adeps anserinus magis obtundit, quæ in alto corpore mordicant, & suillo est calidior.

Gallinaceorum uerò & Gallinarum in horum est medio.

Adeps uerò uetus seipso & calidior est & acrior, & tenuior efficitur: ac proindeualentius digerit & siccat.

Præterea calidior semper est, & siccior masculorum animaliū adeps: & horum ipsorum exectorum minus tum calidus, tum siccus est. Siqui-
B dem mas castratus eiusdem semper generis fœminæ assimulatur.

## MEDVLLA.

Medulla Græcis μύελος. Germa. Marck. Pinguedo est ossium cauis uelut nutrimentum insita.

### VIRES EX GALENO.

Medulla uim habet corpora indurata & scirrhosa emolliendi. Optimam, inquit Galenus, semper sum expertus ceruinam: dein uitulinam. At hircorum & taurorum tum acrior est, tum siccior: itaq; durities scirrhosas mollire nequit. Ex ceruina igitur & uitulina pessi conficiuntur ad molliendos uteros. Ex extrinsecus uteris medicamenta imponuntur, quæ ex medulla parantur, uim emolliendi habentia. Accipitur autem non solùm medulla ex ossibus, quæ reuera est medulla: sed ex spina etiã, quæ tum durior, tum siccior est altera. Vtranq; autem hyeme collectam, in sicca æditaq; domo, cum foliis lauri siccis reponi conuenit, ne uidelicet computrescat. At si quando ambiente existente calido australinoq;, medullas cubiculo, quàm maximè fieri poterit temperato, quodq; ad Aquilonem obuersum, apertas habeat paruas fenestras, ut perpetuò flatus inspirantes excipiat. Repositio

## VRINA.

Vrina est excrementum sanguinis in caua uena per renes, et urinarios meatus in uesicam delatum. Plurima est eius in animalibus diuersitas,

atq; omnes quidem Galeno de simp. med. fac. lib. 10. teste, sunt facultate C
calidæ, sed plus tamen animalium calidiorum, minus autem frigidorum.

Vrina humana omnium aliarum est imbecillima, excepta illa quam porci reddũt domestici, quibus execti sunt testes, quorum ut temperies, ita & urina similis humanæ existit. Montanorum uerò & aprorum ualida est, ut uel ex odore acerrimo constat. Sed & in animalibus cæteris uim eius conijcere ex odore licet. Nam degustare ipsorum urinas prorsus fuerit abominandum: Cùm ne pueri quidem urinam uir quidam honestus uita pariter & moribus ebibere sustinuerit, etiamsi pestiferè in Syria ægrotaret, ubi multi ab urinæ humanæ potione se liberatos profitebantur. De peculiaribus urinæ humanę uiribus dicetur in Medicinis, quæ ex Homine sumuntur.

## STERCVS.

Stercora etiam quorundam animantium non exiguas in Medicina uires possident, ut sunt caninum, lupinum, caprillum, bubulum, ouillum, columbinum, gallinaceum, anserinum, ciconiarum, sturnorum, de quibus hic agere supersedebimus, in ipsis animantibus eorum mentionem facturi.

Omne stercus est calidum & siccum.

Animalium uerò sicciorum exiccantius stercus est: sicuti & calidiorum magis excalfactorium. Verùm nullum omnino stercus refrigerat, sicut neq; ullum humectat. Pro natura etiam eorum, quæ eduntur, multa reperitur diuersitas. Proinde in hominibus maior est, quàm in cæteris animalibus: quandoquidem hoc animal diuersissimis maximeq; uarijs cibis utitur. Præterea ut omnia animalia, quæ exercitantur, ociosis siciora sunt: & quæ cibis utuntur calidioribus siccioribusq;, ijs quæ frigidis & humidis, sic etiam eorum & excrementa & partes. Sic columbarum domesticarum stercus multò imbecillius est quàm montanarum: Gallinarum præterea, quę conclusæ seruantur, & furfuribus aluntur, longè etiam infirmius stercus est quàm earum, quæ in agris pascuntur. D

## DE MELLE.

MEl præcipuè laudatur Atticum, quod ex Hymetto adfertur. Hinc Siculum, Hybleum ab Hybla urbe dictum. Vnde etiam mel Hymettum

A tum cognominatur, & apes Hybleę paſsim apud poëtas. Probatur quod eſt dulce, acre, odoratum, ſubflauum, nec humectum, graue & minimè fluxum, quod ob ſequacem lentitiam non facilè abrumpitur, tractumq; reſilit in digitos.

De Mellis uiribus, ſic ſcribit Simeon Sethi:

Mel calidum eſt & ſiccum ſecūdo gradu, tenuiumq; eſt partiū, & mū dificādi uim habet, & aliquid acrimoniæ, propter quod & uentrē ad excretionem ſuſcitat: magis uerò urinā cit. Mouet aūt uentrem, ſi cū aqua mixtū coquatur, & puriſsimè deſpumeť. Senibus quidem mel, & quibus tēperamentum frigidū eſt, confert, nō utiq; ijs qui calidi, quoniam in bilē facilè uertiť. Si aūt per ſe ſolū coquatur, fit acrius & magis nutrit, & confert ad ulcerū ſinuum cōglutinationem. Optimū uerò mel, quod ſuaue et acre & flauū, modiceq; pingue & tenue. Melius aūt uernum eſt mel, tum quod æſtiuum. Inutile uerò hybernum: quia facilè mutatur in flauam bilem: preſertim in calidis uentriculis. Tollit mel & corporis ſordes, & incorrupta conſeruat cuncta, quæ inijciuntur, & ideo antiqui mortuorū corpora melle condiebant in ſepulchris. Confert etiam calculo. Super uinum ſi edatur, caput impetere non ſinit: atq; ita etiam appetentiam ſuſcitat eorum, qui minus propter pituitoſam materiam appetunt. Craſsius ſputum incidit educitq;. Quæ uerò cum melle parantur edulia, difficilis concoctionis ſunt, & niſi probè concoquantur, iecoris & lienis obſtruB ctionem faciunt. Quod ſi ad ſatietatem & frequentius mel edatur, ſcabiem gignit.

Ora uenarum, Dioſcoride teſte, aperit, humores euocat: Vnde inſordida hulcera fiſtulasq; commodiſsimè infunditur. Decoctum & impoſitum abſcedentem carnem glutinat, medeturq; impetigini coctum cum liquido alumine, & illitū. Aurium itē ſonitui & dolori, cum foſsili ſale tristo inſtillatur. Lendes & pediculos illitū necat. Nudā glandem recutitis operit, præſertim quæ circūciſione aperta non eſt, ſi melle præputiū triginta diebus à balneo molliatur. Oculorū caliginem diſcutit. Faucibus, tōſillis, anginæ, collutum gargarizatūmue medetur. Vrinā ciet. Tuſsi auxiliatur, & percuſsis à ſerpēte. Cum roſaceo calidū contra hauſtū Meconiū bibitur. Aduerſus uenena fungorum, & rabidi canis morſum lingitur aut bibitur. Crudū tamen aluū inflat, tuſsim laceſsit: Vnde deſpumatū eſt commodius, tū enim minus acre & tergens redditur, magisq; nutriens. Cūm aūt deſpumatur, coquitur ſupra prunas aut arida ligna ſine fumo. Veteribus ad omnes confectiones mellis fuit uſus, ſicut hodie ſacchari, quod locum eius ſubijt, tanquam palato ægrotantium magis deſeruiens. Hinc mixturæ ſunt Melicraton, hoc eſt, Aqua mulſa, mel uidelicet aqua temperatū: Oxymeli, hoc eſt, acetum mulſum, aceto uidelicet mel temperatum. Prodeſt autem Melicraton phlegmaticis et ſenibus, frigidiſq; hominibus: conficiturq; hunc in modum: Vni cyatho mellis miſcentur octo aquæ, coquunturq; & deſpumantur leniter.

*Melicrati, hoc eſt, aquæ mulſæ confectio.*

## CERA.

CEra Græcis κηρὸς, ex apum aluearijs colligitur. Optima est subfulua, subpinguis, pura, odorata, et halitum quadantenus melleum referens. Proxima est candida, quæ potissimùm fit coctione, ut docet Dioscorides. Reliqui omnes colores, ut uiridis, ruber, nigra, sunt adscitij. Fit enim uiridis ærugine æris admixto: sic ab alijs admixtionibus alium colorem assumit. Aristoteles lib. de animal. 5. Ceram apes cõficere ex succo arborum ueris tempore uulneratarum scribit.

### VIRES.

Cera, Galeno lib. 7. simplicium medicamẽtorum teste, inter quatuor qualitates medium obtinet. Habet uerò quiddam crassæ essentiæ, & emplasticum. Quamobrem aliorum medicamentorum materia existit. Ipsa autem per se ex genere fuerit debiliter concoquentium. Habet tamen quiddam digerentis calidæq; potentiæ, quæ plurima melli inerat.

Datur cera, Dioscoride teste, in sorbitione dysentericis, quod experimento se comprobasse asserit Hieronymus Tragus, Milij magnitudine decem grana ceræ hausta lac in nutricibus non patiũtur coagulari. Fiũt hinc cerotæ dictæ compositiones, ut sunt cerotum infrigidans Galeni, Cerotum stomachale eiusdem, Cerotum Sandalinum Mesue. Præterea omnibus ferè emplastris & unguentis cera additur.

*Ceratum infrigidãs Galeni.*

Galenus lib. 1. simpl. med. cerati frigidi docet confectionem: Cera in oleo liquatur, postea ipsum refrigeratũ largiore affusione frigidę aquæ abluatur frequenter. Ceratum hoc ualenter eos qui febre uruntur refrigerat, si hypochondrijs supponatur, nec non omnem phlegmonem, herpetes, carbunculos, erysipelata, & omnes calidos morbos. Sedat calorẽ hepatis, dolores capitis circum tempora, super hepar & spinam dorsi illitum.

## PROPOLIS.

Propolis quasi præmunitio, à πρὸ, & πόλις, id est, ciuitas: Est M. Varrone lib. 3. de Re rustica teste, quod apes faciunt ante foramen introitus porrectum in alueum, maximè æstate, fauorum stabilimentum, quo omnes frigoris aut iniuriæ aditus obstruuntur. Germa. Vorstof/Bett. Optima est flaua, odorata, styracem referens.

### VIRES.

Calfacit, teste Dioscoride, & euocat.

Aculeos & omnia infixa corpori extrahit. Veteri tussi suffitus eius prodest. Impetigines illita tollit.

## HOMO.

Nunc




NVnc igitur ad hominem ipſum, qui cũctis alijs creaturis dominatur, accedemus, & paucis quæ ex eo ſint Medicinæ, cõmemorabimus.

Saliua hominis ſumpto cibo, Galeno teſtimonium dicente, imbecilla eſt: eorum uerò qui ingenti aut ſiti aut inedia premuntur, eſt acris & ualida. In medio eſt eorum, qui probè concoxerunt quidem, nondum tamen cibum potúmue hauſerunt.

Hac ergo ſaliua nutrices pueris lichenas curant, paruum uidelicet digitum rigantes, ac deinde cutem affectam confricantes. Sed & triticum mandentes ruſtici non pauci fu runculis imponunt: nam celeriter eos digerit concoquitq; : cùm ſi macerarent aqua non æquè prodeſſet. Vnde liquet ſaliuam iuuandi robur adferre. Atq; corporibus mollibus aut puerorum, panem, non triticum manſum ore imponunt.

Omnia autem commanſa digerunt & ſugillata, & cætera ecchymomata omnia, maximè ubi panis ſimul cum pauco radiculæ fuerit commanſus. Vniuerſa uerò ſua ſubſtantia ſaliua humana aduerſatur beſtijs hominem perimentibus.

Sordes exercitatorum mixti ſudoribus, repercutiendi & digerendi uim habent: Vnde tumores præter naturam diſcutiunt, ad phlegmonasq; uberum præſtantiſsimo ſunt remedio.

Quòd ſi ſicciores eſſe ſordes uideantur, ſuperungito cyprinum: aut eodem ipſas, ſi ualde ſint ſiccæ, ſubigito. Si uerò cyprinum ad manum non ſit, roſaceum bonum miſcuiſſe ſufficit. Hoc medicamentum eſt admodum utile ad reſtinguendum & diſcutiendum lac à partu in mammis concreſcens.

Sordes aurium paronychijs mederi tradunt. Quæ uerò in tota cute proueniunt, deſiccandi uim habent, cum nonnulla caliditate.

Vrina hominum, Galeno referente, ſi quid aliud, extergendi uim habet, id quod ſatis fullones indicant, qui ſordida ueſtium illius uſu expurgant & extergunt. Quod conſpicati nonnulli Medici, ea pſoras & lepras detergunt, perfunduntq; ulcera præhumida & ſordida, multoq; magis computreſcentia.

Sed & pudendis, ubi ſic afficiuntur, urinam infundunt, & auribus pure fluentibus.

Achores etiam & furfures ea curant, caput identidem perfundentes.

Sed

Sed nos hæc, inquit Galenus, facere odimus, cùm ad manū sint alia, quæ illis conducant medicamenta. Quanquam ulcera digitorum pedis, maximè quæ ex illisione inflicta essent, sæpenumerò ubi carerent phlegmone, & ipse urina curaui, idq; in seruis & hominibus rusticis. Cæterùm medicamentum quod ex urina pueri conficitur, quod quidam Chrysocollam uocant, ad hulcera difficilia sanatu optimum est.

*Chrysocollæ faciendæ ratio.*

Fit autem id ubi in mortario æris rubei, pistillo etiam ex rubeo ære confecto, puerilis urina tamdiu sub calido cœlo tunditur, donec ob eliquationem attritionemq; pistilli, & mortarij æris crassitudinem assumat.

Stercus pueri siccum, ut autor est Galenus, & cum melle Attico ad læuorem tritum, illitumq;, sanat gutturis phlegmonas.

## LANIGERAE PECVDES.

*Ouis.*

*Aries.*

*Verucx.*

LAnigeræ pecudes sunt: Ouis, Aries, Verucx, Agnus. Notæ omnibus. Est enim Ouis fœmineum genus, Græcis ὄις ἡ πρόβατον, Germa. ein Schaaff. Aries uerò est masculus, Græcis κριός, Ductor idem gregis. Germa. ein Wider. Verucx dicit Aries castratus, hoc est, cui exempti sunt testiculi, habitioris acquirendi corporis gratia, German. ein Hamel.

*Agnus.*

Agni tenellæ adhuc sunt lanigeri generis pecudes, Græcis ἀρνίον. Germa. ein Lamb. Reliquas earum differentias, secūdum ætates, & tempora, opilionibus relinquimus.

Vitam longissimam ijs esse tradunt annorum duodecim: Oues octēnium fœtus excludere: aridum nutrimentum maximè conuenire: potu quoq; corpora ipsarum largiore augeri. Tenellas oues si ante maturum tempus Venerem experiantur, futuræ pestis esse præsagium affirmant. Elephantem, uiso ariete, scribunt expauescere. Ferunt si dexter arieti testiculus ligetur, aut eximatur, solas fœmellas eum procreare.

Quòd si peste uexentur, quæ huic animanti admodum familiaris est, remedio esse dicitur, si uenter arietis uino & aqua coctus potui ipsarum misceatur.

## DE CARNIBVS AGNORUM & Ouium.

Agnorum carnes, inquit Simeon Sethi, modicè sunt calidæ, humidāq; habent superfluitatem, atq; ideo ab ijs lædūtur, qui humidioris sunt tēperaturæ: qui uerò siccioris sunt, iuuantur: quantoq; iunior agnus fuerit, tantò difficilius eius caro concoquitur, magisq; humida est: quantò uerò maior, tantò melius concoquitur, & eò minus est humida. Sic in cæteris

A teris animalibus contingit, quò iuniora sunt, eò humidior est quàm maiorum eorum caro.

Ouilla caro superfluitatum est plena, maliq; succi: melior est, quę unius anni, hoc est, annicula, quæ uerò annum exuperat, difficulter concoquitur, & mali est succi, nocens his qui stomacho sunt humido, & pituitosis.

## VIRES EARVM IN MEDICINIS.

Cerebrum ouis oculis illitum alba pterygia curat, stercus ouillum, cum melle & aceto tritum & illitum, uerrucas pellit. Vnguentum ex eodem absq; oleo cum cera confectum adustiones refrigerat.

Cum gallinarum siue anserum adipe tritum, aurium paralysin curat.

Calentes adhuc ouium pelles impositæ, coagulatum sanguinem dissoluunt, maculas purgant.

Vrina nigræ uel rubræ ouis cum melle sumpta aquam intercutẽ abigit. Stercus ouillum in iusculo cum petroselino ad ʒ j. uel ʒ j. s. sumptum auriginem sanat. Idem in aceto dilutum ualet ad acrochordonas, myrmecias, thymos, & duros furunculos, & splenis tumorem.

Cum cerato rosaceo ulcera ad cicatricem ducit.

Fel ouis illitum carcinoma in homine exoriens sanat.

Agnorum medulla igne liquefacta, oleo nucum & albo saccharo ad-
B mixto, distillata in sambuco, calculum uesicæ frangit, dolores item uirgæ genitalis & renum sedat, nec parum sanguinem meientibus prodest.

Fel agnorum illitum partibus corporis quas carcinoma inuasit, præsentissimum est remedium.

Cornua arietis ad radices ficus defossa, ante tempus ficus maturas producere tradunt.

Vsta arietis caro, elephantiasi faciei, & psoræ remedium adfert.

Serpentum quoq; & scorpionum morsibus medetur.

Pulmo arietis calidus attritionibus calceamentorum impositus, est remedio. Humor à decocto arietis pulmone stillans tertianam febrim renumq; dolores pellit.

Ius de carne arietis contra carcinoma sumitur.

Adeps arietis est eiusdem cum suilla naturæ. Adustiones curat.

Fel arietis cum lana infantum umbilico appositum, citam ipsis alvum facit.

Excrementa arietis cum aceto illita, liuentes maculas corrigunt, & clauum pellunt.

Cum oleo imposita sacrum ignem restinguunt: Cera addita, adustionibus medentur.

## LANARVM MEDICINAE.

Lanarum,

Lanarum, præterquàm quòd maximus in uita humana est usus, in Medicina quoq; non est exiguus. Succidæ lanæ molles, ut autor est Dioscorides, è collo fœminibusq; laudatissimæ habentur. Subueniunt interinitia uulneribus, percussis, desquamatis, liuidis, ossibus fractis, aceto, oleo, aut uino imbutæ: Siquidem facilè succos imbibunt, quibus immerguntur, & ob pecudum sordem, quam Oesypum uocant, emolliunt. Capitis, stomachi, aliarumq; partium doloribus cum aceto & rosaceo efficaciter imponūtur. Cremata lana uim habet, teste Galeno, acrem pariter & calidam, unà cum partium tenuitate. Vritur autem sicut alia plurima: Impletur olla noua, quam tegat operculum multis foraminibus pertusum. Molles præhumidasq; ulcerum carnes celerrimè eliquat: crustas obducit, & ulcera ad cicatricem ducit. Inditur & in medicamenta desiccatoria.

*Oesypus.*

*Lana usta*

Alios modos urendi lanam, uide apud Dioscoridem. Lota lana ad oculorum medicamenta ualet. Lauatur hunc in modum: Cinerem in lebellis, aqua addita, manibus confricant, & considere sinunt, idq; sæpius, mutantes aquam, donec linguam adstringat uel mordeat.

*Lana quo modo lauetur.*

*Oesypi uires.*

Oesypus est sordities, seu lanarum succidarum pinguitudo. Variam rationem Oesypum faciendi, docet Dioscorides. Excalfacit, ulcera explet & emollit, sedis præsertim & uuluæ, cum Meliloto & butyro. Mẽses & partus in uellere appositus ciet. Vlcera aurium & genitalium cum adipe anserino sanat. Contra erosos oculorum angulos, scabiososq;, genas item quæ occalluerunt, & ciliorum defluuia est efficax.

## BOS. TAVRVS. VACCA.

TAurus, Græcis ταῦρος, German. **ein Farr/ein Ochs**/est qui ad conseruãdum sui generis indiuiduũ seruatur: Est itaq; masculus ex boum genere.

Vacca Græcis ἀγέλη, Germa. **ein Kũ**/ Est ex boum genere fœmina.

Bos, Græcis ὁ καὶ ἡ βοῦς, utriq; sexui generale est uocabulum. German. **ein Rind/Stier.** Propriè significat cui uis generandi est adempta, castrata scilicet genitali parte.

Recentes nati boues Vituli dicuntur, Græcis μόσχος. Germ. **ein Kalb.**

Nota sunt cuiuis animantia.

## DE CARNE BOVINA.

Bouina caro, inquit Simeon Sethi, multùm nutrit, & qui ab ea gignitur sanguis, supra modum crassus est. Propterea his qui temperamento sunt melancholico, diuersos & melancholicos morbos infert. Difficulter etiam concoquitur & redditur: maximè siquidem siccæ est naturæ, &

A & diu in uentriculo permanet. Sed si concoquatur abundè nutrit: Et si cum ouilla carne comparetur, frigida est, sanguinemq; melancholicum gignit. Veruntamen huius carnis ius fluxus uentris ex haua bile compescit. Si quis uerò eam comedere expetat, uel cogatur, eius læsionem, quæ futura timetur, sic moderetur: Cum aceto, allijs & ruta intingat.

Solis hæc calidos uentriculos habentibus confert, & his insuper qui ualde & continenter exercentur. Qui autem multum hac uescuntur, splenis dolores sentiunt, uel in quartanam febrim incidunt, uel hydrope, scabie, aut lepra inficiuntur.

VIRES IN MEDICINA.

Fel taurinum cum melle contra strangulationem colli illinitur. Idem cum Xylino impositum aurium susurro medetur. Fellis bouini aquam in Iunio siue Canicularibus distillatam, pterygia & oculorum maculas, sub uesperam instillatam, ferunt pellere: Phagedænæ item cum pannículo impositam auxiliari. Recentibus præterea aurium hulceribus medetur: ac podicis exulcerationibus subuenit. Cum hirci sanguine mixtum anginæ fert opem, & uulnera curat. Ex eodem unguentum ad matricis dolores conficitur. Cum lacte muliebri aurium dolores mitigat.

Fel uaccæ omni aliorum quadrupedum felle præstat.

Adeps tauri cum anserino adipe & succo ozimi mixtus, hulcera & ri-
mas labiorum sanat. Idem cum resina & cera mixtus, omnes obstructio
B nes, & durities mollit.

Medulla tauri cum uino trementia membra reficit.

Splen tauri cum melle sumptus, & pariter illitus, splenis doloribus subuenit.

Iecur tauri adustum in potu sumptum, sanguinis fluxui medetur.

Puluis oris taurini uacillantes dentes firmat.

Ossa tauri incensa dentibus uacillantibus ex dolore sunt remedio.

Eorundem cinis cum myrrha dentes purgat.

Vaccæ ossa usta sanguinem & diarrhœam sistunt.

Caro tauri cocta morsui hominum opitulatur.

Cornu taurinum serpentes fugat.

Cutis de collo uaccæ, cum aceto illita, scabiei medetur.

Eadem dolori capitis, & dysenteriæ prodest.

Sanguis taurinus recens illitus, canum scabiem sanat, si cinere & lixiuio scabies postea lauetur.

Serpentes idem interimit, & faciei maculas extergit.

Aqua de sanguine saginati bene tauri, coloris spadicei, in Maio distillata, podagricis illinitur. De nigri uituli sanguine in Maio mense distillata aqua, uenas & lassa membra confortat, si bis térue in die membra hac terantur. Eadem cum pulmone uituli usta, tabescentibus membris illita, & per se exiccata, siue in potu sumpta, prodest.

Excrementa bubula, inquit Galenus, exiccatoriam & attractoriam

facultatem habent, ut ostendunt, dum apum uesparumq; morsibus auxi- C liantur. Quidam autem medicus, ut idem refert, aqua intercutem laborā tes bubulo stercore oblinens in solem exponebat. Idem partibus rustico rum phlegmone obsessis humidum illud, uere collectum, dum herbam boues pascuntur, admouit. Est enim id moderatius alio quod à pa leis comestis excernitur, ac proinde accommodatius ad phlegmonas. Hæc Galenus. Apum & uesparum ictibus medentur. Procidentes mulierum secundas suffitus excrementorum tauri masculi reducit.

Crassa apostemata discutiunt. Vsta & in puluerem trita, naribus in spirata, sanguinem sistunt.

Hydropicorum uentri cum modico butyro utiliter illinuntur.

Tumoribus iuncturarum & membrorum cum aceto imposita, dolo rem sedant. Malis pustulis impositа saniem in ijs contrahunt, & eadem sanant. Inflammationes restinguunt.

Remedijs asthmaticorum & dyspnœicorum uaccæ excrementa ad hibentur. Miscentur item emplastris ad coxendicum dolores, & auri um hulcera.

Distillata mense Maio excrementa uaccæ, quæ in pratis pasta est, an tea tamen parum arefacta, manè & sub meridiem pota, præsentissimo sunt colicis remedio. Malus autem sapor eius, amygdalis aut nucleis Persicis iniectis, uel si altera uice per Alembicum stilletur, corrigitur. Eadem pustulas, ulcera, & pedum rimas sanat. Faciei & corporis macu D las, post balneum illita, extergit.

## BVBALVS.

BVbalus, Græcis βούβαλις. German. **ein Büffel.** Animal est boui simile, sed maius, ad iracundiam prouocatū ferum & crudele, colore nigrū, cruribus robustis, & breuibus, cornibus longis, pilis paruis, cauda exigua, uelocissimum. De hoc Plin. lib. 13.

Vrina eius cum myrrha & oleo auribus instillata, dolorem ex frigore natum lenit. Excrementa pascentis bubali tumores sedant.

## CAPRA, HIRCVS, HOEDVS.

CApra seu capella. Græcis αἴξ. Ger. **ein Geyß/Zyg/** est generis huius fœmella. Caper seu Hircus est mas. Græcis τράγος. Germa. **ein Bock.** Hœdus, Græcis ἔριφος, est adhuc tenellus ex caprarum genere. Nemini est barbatum id animal incognitum, cornibus retortis, & acutis, ex fruticum foliis, & corticibus betularum potissimùm uí ctum quærere gaudens. Morsus eius arboribus noxius.

Laudantur quæ pleno fuerint corpore, pedibus robustis, collo breui, ceruice plena, auribus grauibus, & demissis, capite exiguo,

A exiguo, capillis nitidis longisq;, uberibus denſis. Ex mellis eſu eas perire ferunt: uenenatis tamen herbis innocuè ueſci. Sal ante partum lambentes lacte abundant. Viuunt in annum decimum aut duodecimum.

## DE CARNIBVS HOEDORUM & Hircorum.

Hœdorum carnes, inquit Simeon Sethi, facilè concoquuntur, & mòdicè nutriunt, ſanguinemq; tenuem & humidum gignunt. Calidas etiã & ſiccas habitudines, & temperaturas iuuãt. Sunt uerò meliores, ſucciq; melioris, qui nec nimis tenelli ſunt, nec nimis natu magni. Nam qui ſex menſes excedunt, non hœdi propriè, ſed capellæ, hoc eſt, αἶγες uocantur.

Sunt autem πυῤῥοὶ, hoc eſt, ruffi & glauci, cæteris meliores, ſed colicis morbis nocẽt. Aiunt quoq; ſi pulmo eorum ante potum edatur, eius diei temulentiam auertere.

Hircorum caro mala eſt, & febres gignit.

### VIRES IN MEDICINA.

Cerebrum capræ cũ melle phlegmonas reſtinguit. Adeps eius omnibus morſibus & læſionibus auxiliatur. Cum roſis puſtulas nocte erumpentes ſanat. Surdis auribus utiliter inſtillatur. Clyſteribus etiam cõtra dyſenteriam, ſiquidem reliquo adipe durior eſt, additur. Caſei caprarum doloribus & mordicationibus corporis imponuntur. Capilli caprarũ
B uſti fluxus ſiſtunt. Vngulæ crematæ cum pice alopecijs illinuntur. Lac potum uermes interimit, & pruritum ſedat. Ad eadem ualet ſanguis, ac ueneno idem cum medulla coctus, reſiſtit. Dyſentericis præterea, & hydropicis ſanguis datur. Arefactus ſanguis medicamentis calculi miſcet. Puluis cornu caprini dentes mundat, gingiuas confortat, earumq; tumorem & dolores reprimit, ſerpentum quoq; morſui auxiliatur, & ſudorẽ cohibet. Fumus cornuum aut capillorum capræ ſerpentes fugat. Fel capræ in iure decoctum aſthmaticis medetur. Cum porro ad uulnerũ medicamenta miſcetur. Vrina capræ pota calculum pellit. Tepens adhuc aurium dolori inſtillatur. Præualet tamen urina hirci. Lac caprarum in Balneo Mariæ menſe Maio diſtillatur, ad ʒ ij. manè & ueſperi potum, à peſte præſeruare, & colicis mederi ferunt. Idem illitum & per ſe ſiccatum, maculas faciei & manuum purgare creditur. Dolorem oculorum ex calore natum mitigat.

De ſtercore caprarum, ſic ſcribit Galenus: Omnium creberrimè utimur caprillo ſtercore, digerẽtis & acris facultatis, adeò ut induratis ſcirrhorum in modum tumoribus congruat, nõ lienis modò, ſed etiam aliarum partium. Miſcere tamen illi ſolemus farinam fabaceam, nec nõ oxycratum. Quin & ad aquam intercutem, & ad ſpleneticos uariè caprillo ſtercore utimur. Sed & uſtum tenuioris quidẽ eſſentiæ, uerùm haud manifeſtò redditur acrius. Quamobrẽ ſanè ad alopecias cõgruit, & omnia uitia quæ extergentia medicamenta poſtulãt, ut pſoras, lepras, lichenas,

& hoc genus alia. Miſcetur & digerentibus cataplaſmatis, qualia ſunt C quæ accommodantur ad parotidas,& diuturniores bubonas. Eſt enim uis eius,tum uſti tum non uſti,abſterſoria & digerens: Nec eam paruam habet digerendi potentiam. Nam eo etiam ex aceto quidam medicus utebatur in agris ad uiperarum morſus,ac multò magis aliarum beſtiarum: ac profectò ex iſs complures ſeruauit. Idem etiã ad auriginem ſphyratos ipſas propinauit ex uino,& ad profluuiũ muliebre cum thure apposuit. Acrius tamen eſt medicamen,quàm ut mulieres urbanas,aut pueros,aut omnino qui tenera ſunt carne,ſanare poſsit.

Hœdorum pelles rabidi canis morſui impoſitæ medentur. Recens hœdorum ſanguis cum aceto calfactus,dyſentericis utiliter bibitur.

Pelles caprarum & hœdorum pectori,tam hyeme quàm æſtate proſunt.

Hirci ſanguis caliditate ſua ſolus Adamantem,qui nec igni, nec ferro domari poteſt,uincit & frangit. Eodem ferrum induratur,acuitur, purgaturq; acrius,quàm ſi lima teratur. Coagulatus hirci ſanguis inflamma ta hulcera ad maturitatem perducit. Idem potus calculos renum frangit. Coctus aut ex uino potus,uenenatorum telorum ictibus medetur. Calidus ſanguis illitus,maligna hulcera,melicerides, araneorumq; morſus ſanat.

## SVS, MAIALIS, VERRES, APER. D

LVtulentus ille ſus,& immũdus porcus omnibus cognitus, & culinæ acceptiſſimus: indignus tamẽ quo ueſcatur magis immũda Iudæorum gens. Græcis ὗς, quod uocabulum utriq; generi commune eſt,ſicut Latinis Sus. Germa. **ein Saw/Schwein.** Verres huius generis eſt mas. Græcis χοῖρος. Aliàs Porcus. Germa. **ein Eber.** Maialis eſt porcus caſtratus. Germ. **ein Barg.** Aper eſt ſylueſtre genus, Græcis κάπρος. Germa. **ein Wild ſchwein.** Reſpondet hoc animal corporis diſpoſitione per omnia ferè homini,unde plurimum etiam corpus hominis nutrit.

### DE PORCINA ET Aprugna carne.

Porcina uel ſuilla caro,inquit Simeon Sethi, boni ſucci eſt,& facilis concoctionis,cùm porcus anni unius eſt,propter ſimilitudinem, quam cum humano corpore habet. Quidam enim famis neceſsitate carnes humanas guſtauere,quas ſuillæ ſimiles guſtu prodiderunt. Alit uerò magis omnibus aliis cibariis. Quærent fortaſsis aliqui, quonam pacto ſuilla magis alat,& præ aliis temperata uel mediocris ſit, cùm hoc ſemper animal in cœno & ſordibus uolutetur & nutriatur? quam dubitationẽ quidam ſoluentes,aiunt, Quòd niſi ualde bene temperatum foret ſuis corpus,nunquam malum nutrimentum in bonam carnem uerteret.

Quem-

A Quemadmodum enim in hominibus, qui corpore bene tẽperato sunt & sano, rebus mali succi & alimentis non læduntur multum, quoniam natura cum tempore, quod noxium est in bonum succum uertit, sic & in brutis agit animalibus. Qui ergo humidi sunt uentriculi, suillam non bene concoquunt, sed obsepiuntur, superuacaneamq; & superfluam humiditatem, glutinosumq; humorem actutum gignunt. At si probè concoquantur, bonum & boni succi alimentum facit, præsertim si porcus caricis alatur, ut enim aiunt, is apprimè suauis & boni succi fit. Huius uerò pulmo, si cataplasmate super ulcera ex attritu calceamentorum facta imponatur, mirificè prodest. Eiusdem quoq; iecur cum uino sumptum, uenenatorum morsibus medetur. Huius quoq; talus combustus discutit uentriculi uentositates, & dissoluit capitis dolores. Sunt etiam pedes eius utiles, boniq; succi, bene enim concoquuntur: propterea se ex morbo reficientibus commodant. Fel etiam suis arefactum hæmorragijs medetur. Adeps eius cum aqua & cumino subacta, podagricis opitulatur. Aiunt etiam ossa eius suspensa quartana laborantibus esse auxilio.

Porcelli, hoc est, nuper nati, ubera adhuc sugentes, humidi sunt & superfluitatibus abundant: nec boni succi, propterea nõ bonum est ijs uti, quemadmodum nec uetustis porcis, quippe quibus malus insit succus.

Aprorum caro melior est, quàm suum domesticorum, quòd tantas non habeant superfluitates, nec glutinosum gignant humorem. Qui uerò inter hos σκότραμμα, hoc est, calli aprugni, ut nonnulli eruditi putant, B dicuntur, difficulter concoquuntur & perficiuntur, propterea ab his abstinendum.

## VIRES IN MEDICINA.

Adeps porci hulceribus & adustionibus in unguenta additur.

Sanguinem excreantibus excrementa porci cum aqua & uino temperata prodesse aiunt. Eadem ratione laterum doloribus auxiliari.

Arefacta excrementa ex aceto sumpta, dorsi doloribus mederi ferũt.

Verris iecur ebrietati aduersari resistere. Apri cerebrum in uino sumptũ contra serpentum uenena ualet.

Idem potest iecur eius, exectis prius tamen uenis, in uino & ruta quatuor obolorum pondere imbutum & potum.

Cerebrum apri, & genitalium eius sanguis carbunculos sanant.

Iecur lethargicos excitat.

Lapillos in iecori porci syluestris fœminæ inuentos tritos ex uino calculum uesicæ ferunt pellere.

Fel apristrumas discutit, & splenis inflammationes sedat.

Pulmo eius cum adipe impositus, frigore corruptis pedibus auxiliatur. Cum resina & cerussa serpentia hulcera sanat. Laridum coctum ad eadem imponitur. Vrina & uesica apri in fumo arefacta, in cibo sumpta, uesicæ & calculi dolores sedant. Apri quoq; urina seu uesica in potu hydropicis prodest. Verris urina in uitro asseruata, aurium doloribus

medetur. Excrementorum apri cinis in uinum insperſus, potusq;, dyſenteriæ paralyſiq; membrorum auxiliatur. Adeps eius mollit, calfacit & purgat: Vnde unguentis utiliter additur.

## EQVVS.

EQui quos Græci ἵππους uocant, Germa. ein Pferdt/ Roß/ noti ſunt omnibus. Sicut autem in omnibus laboribus aſſuetis animantibus, aures animi præbent inditi um, ſic etiam in equis plus quàm in cæteris, ſiquidem horũ proprium, & peculiare eſt aures erigere. Sanguis equinus cauſticis medicamentis adhibetur. Lac aluum mollit, & hominem contriſtat. Cruda equi excrementa aduſta ſanguinem ſiſtunt.

Adeps eius menſibus muliebribus, & internis hulceribus medetur.

Si excrementis equi fœminæ ſuffiantur, ſecũdæ & mortui fœtus expelluntur. Lac eius potum matricis dolores ſedat, & comitialibus ſubuenit. Excrementa arida ſanguinem ſiſtunt, & auribus inſtillata dolorẽ pellunt. Adeps chronicis fluxibus, & hulceribus pectoris commodat.

Cutis equulei uſta & cum aqua hulceribus oriſillita, refrigerat ea.

Lichenes qui ſunt in equorum genibus, triti, & in aceto poti comitialibus mederi traduntur.

Equi tepidus ſanguis mulieribus in potu datus, partum maturat. Excrementa in aceto trita & illita ſanguinem ſiſtunt. Lac equi, inſcienti fœminæ ante congreſſum in potu datum fœcundam reddit.

Dentes equini noctu capiti ſuppoſiti, ſternutationi obſiſtere traduntur. Equulei dens infantibus appenſus dentes ipſorum maturat.

## ASINVS.

SVmma rudes aſini rerum faſtigia ſcandunt, Inquit Euricius Cordus. Auribus tamen uociſq; ignauo ſonitu ſe produnt. Græcis ὄνος, Germ. ein Eſel. Regionibus maximè gaudet frigidis. Dorſi pars poſterior anteriore eſt robuſtior. Caput reliquis membris eſt infirmius. Parturiens aſina ob uiſus hebetudinem in ſobole, lucem formidat. Lauacrum ex decocto carnis aſininæ tremulis ex ebrietate membris confert.

Toſtum eius iecur ieiuno ſumptum ſtomacho comitialibus fert opẽ.

Ad eadem ualent tritæ & uſtæ ungulæ. Puluis carnis eius rimas ex frigore contractas curat.

Vſti iecoris cinis lapſam uuulam reſtituit. Pota urina lumborum, & renum dolores ſedat.

Vrina onagri, Galeno teſte, calculum ueſicæ frangit.

Sanguis aſini fluxus ſanguinis ſiſtit. Adeps eius maculas cutis extergit. Excrementa ad omnis generis ſanguinis fluxus adhibentur.

Paſcentis

A Pascentis asini excrementa uino mixta, ictui scorpionis sunt remedio.

Lac eius subtilis & aqueæ est substantiæ, tussi, excreationi sanguinis, & hydropi medetur, aluum mollit, phthisi subuenit, gingiuas confortat, ac dentes purgat. Letalibus morbis, intestinorum exulcerationi, & alui constipationi plurimum commodat. Vertigine, dolore capitis, auriūq; susurro laborantibus officit. Præsertim uerò somno dare operam post eius usum est incommodum. Obest autem præcipuè ijs qui infirmioris naturæ habent capita. Neronis concubinam lacte asinino corpus suum, quoties balneo exiret, abluisse legimus. *Lac asinum.*

Tres quatuórue sanguinis asinini guttæ in uino sumptæ, febrim quotidianam pellunt. Adeps eius ad Venerem incitat. Medulla podagram & membrorum tumores sistit.

Splen in aqua contusus mammis appositus lac generat. Aluum mollit, dentes ac gingiuam confortat, phtisicis auxiliatur, maculas cutis extergit, dealbat, & teneram reddit. Vrina eius pota ischiadicis fert opem. Pulmo & lingua infumigata trita in potu sumpta tussi medentur. Iecur domestici asini, tostum sumptum comitialibus auxiliatur. Idem præstat ungularum eius cinis, per dies plures ad ʒ j. sumptus. Emplastrum ex eodem cinere indurata apostemata discutit: rimis insperfus easdem sanat.

Excrementa usta per emplastrum imposita, siue etiam in uino cui Xy
B linon intinctum fuit trita, sanguinem sistunt.

Puluis iecoris asinini ursi adipe, & oleo modico mixtus, alopecias sanat. Excrementa sistunt uenarum & arteriarum sanguinem.

Vrina naribus instillata sanguinis fluxum cohibet.

Plinius. Annulus ex unguli, & ossibus asini confectus, haudquaquã tamen nigri coloris, à comitiali morbo præseruat.

Suffitus ex pulmone asini omnia impura animantia ex ædibus expellit.

## MVLVS.

MVlus, Græcis ἡμίονος, & ὄρσην. Germ. **ein Mauleſel**/ ex asino & equa nascitur, animal infœcundum. (Vnde prouerb. Cùm mula pepererit) quarundam etiam asini proprietatũ particeps. Cutis ac cinis mulæ adustionibus ignis imponuntur. Attritus item calceamentorum ac fistu las sanat. Si domum sinistra mulæ ungula suffias, mures & glires ex ea discedunt.

## CANIS.

CAnis, Græcis κύων, Germa. **ein Hund**. Horum genera sunt uaria: alij quadrupedibus, alij auibus insidiantur: alij pecorum, alij ædium custodiam gerunt.

Sanguis eius potus tremulos liberat. Caput eius siue neruosa caro C aduſta,& in puluereres redacta, morſum rabidi canis ſanat. Dentium canis puluis dolores gingiuæ & dentium ſiſtit. Cor eius in potu ſumptum contra latratum canum (ut ferunt) cuſtodit. Fel in melle ſumptum oculos curat. Lac potum capillorum prouentui obſiſtit.

In uino aut melle potum mortuos fœtus expellit. Adeps eius podagricis auriumq; dolori auxiliatur. Sanguis alopecias reſtituit. Vrina uerrucas abigit. Lac primogenituræ canis omnes capillorum deciſiones prohibet,& partum in utero maturat. Vrina cum nitro temperata lepram et pruritum ſanat. Sanguis canum contra ueneficarum uenenum præſentiſsimum eſt remedium. Fel canis cum melle lippitudines oculorum ſanat. Adipe canum lendes capitis purgantur.

Chirotheca ex corio canino confecta contra ſcabiem & tuſsim ualet. Vrina canis cum puluere capillorum eius illita, uerrucas pellit. Lingua eius maximam in ſe medicam uim habet, & ſua enim, & aliorū uulnera hac ſanat: & quod maius eſt, pedem, ſi uulnus lingua pertingere nequeat, lambit, eumq; uulneri ſanando imponit, remedij à natura inditi certiſsimus.

Gallinarum excrementa in cibum canum immixta, à rabie eos præſeruant. Oleo cane inuncto omnes confeſtim pulices deſiliunt.

Nigri canis (ut aiunt) dens contra allatrationem canum cuſtodit.

Albi canis excrementa trita, in iure gallinæ ante ſolis exortum ſumpta, aluum ſiſtunt: icterícis proſunt. D

Stercus canis, ut Galenus ſcribit, qui ſolis fuerit oſsibus, integrum biduum nutritus, durum, candidum minimeq; fœtens ſtercus eſt: quod exiccatum redactumq; in pollinem, ad anginam, dyſenteriam, et ſummè inueterata ulcera optimè accommodatur: ad anginam quidem ijs miſtū, quæ alicui huic affectui conueniunt: ad dyſenteriam uerò iniectum lacti decocto, aut quod ſilices candentes, aut cylindros ferreos extinxerit.

## FELES.

FEles, aliàs Catus, ab aſtutia uidelicet, quaſi Cautus. Veteres enim catos dicebant cautos, & aſtutos. Græcis γαλεώτης. Germa. Katz/murium perpetuus hoſtis, dentibus & unguli leoni eſt ſimilis, eosq; ſicut & Leo contrahit & expandit: animal moribus pudiciſsimis, & pulchritudinis amantiſsimum. Valeriana herba ſummoperè delectatur, cui ob id etiam nomen eſt inditum, quòd Katzenkraut eam uocant.

Caro Felium ſubſtantiæ eſt humidæ & mollis.

Morſus Felium uenenatæ eſt naturæ, obſiſtitur tamē ei facilè, emplaſtro ex cepis & ſylueſtri Calamintha.

Cati ſylueſtres ſuffitum rutarum, & amygdalorum formidant.

Sylueſtrium catorum caro calidæ & ſiccæ eſt naturæ, dolores aureæ

uenæ

A uenæ ſedat, calfacit renes, dolorem pruritus ſiſtit. Excrementa Felium mixta melle & aceto, alopecias ſanant.

## LEO.

LEo, Græcis λέων. Germ. ein Lew. De leonibus eorumq; natura, & gratia erga benefactores, Plinius lib. 8. cap. 16.

Rex ipſe animantium: cordatum, magnanimum ac nobile animal, iubatam ceruicem habet, gaudetq; excelſis montibus. Leæna uerò iuba caret. Inſidias animaduertens uenatorum ueſtigia pedum cauda, ne à uenatoribus obſeruẽtur, tegit. Fœtus eius triduum poſt partum ſomno detinetur, poſteaq; rugitu leonis excitatur. Ad quercus attactum horrere, & trepidare leo fertur: Galli item cantum expaueſcere.

Adipe leonis perunctum, à luporum inſultu ſecurum tradunt. Adeps eius dura hulcera mollit & aperit. Cum oleo faciei maculas extergit, & aduſtionibus medetur.

## CAMELVS.

B CAmeli, Plinius lib. 28. ca. 9. meminit. Animal eſt informe, collo longo, pedibus nodoſis, greſſu tardo, dorſo gibboſo. Virgæ eius duræ & neruoſæ, unde etiã nerui arcubus conficiuntur. Caro eius urinam ciet. Adeps eius aureæ uenę utiliter illinitur. Cerebrum arefactum in potu ſumptũ comitialibus auxiliat. Earũdem eſt uiriũ ſanguis, qui arefactus quoq; & coctus fluxus ſiſtit, atq; cum uino ictibus telorũ medetur. Potus uerò poſt menſtruas mulierum purgationes, cõceptionem adiuuat, & cõſtipatas matrices ſoluit. Vrina hydropicis cõmodat, fœtori narium prodeſt, inteſtinorumq; cõſtipationes fortiter diſcutit, furfures capitis decidere facit. Albi Cameli excremẽta melle trita tumores ſiſtũt, & inflammata uulnera purgãt. Tritus Cameli ſanguis dyſenteriæ obſiſtit. Lac potũ ueneno reſiſtit, diſcraſiã adiuuat & corrigit, corpus & uentrẽ nutrit. Excrementa uerrucas purgãt, nariũ fluxũ ſedãt. Cum aliis medicamentis ſumpta comitialibus ferunt opem, peſtifera itẽ hulcera, tumores & melicerides aperiunt.

## CASTOR, FIBER.

CAſtor, κάστωρ eſt animal, terra & aqua uiuens, ac corpore ſuo naturam terreſtrium, cauda uerò aquatilium obtinens. De Fibro Plinius lib. 8. cap. 30. Marino cani eſt ſimilis, lõgus ac tenuis, dẽtibus acutis, cute precioſiſsima, quæ quò nigrior, hòc eſt præſtantior, colore Damæ nõ diſſimilis, capillo tamen ſubtiliore ac elegantiore. Cauda eius piſciũ eſt caudæ & ſapore & forma ſimilis, qua extra aquã exiſtente diu ſupereſſe nequit.

Poſteriores

Posteriores pedes anserinis, priores caninis respondent. Cateruatim C
syluam ingredientes ligna dentibus cædunt, eaq; mira arte ad cauernas apportant, aliquem enim ex numero ipsorum in dorsum cõiicientes pedibus ipsius tanquam plaustro ligna interponunt, eumq; cauda, uelut equi currum temone, ad antrum attrahũt, corticeq; lignorum uescentes miras ex lignis habitationes extruunt. Piscibus insidias tendit. Adeps eius comitialibus medetur. Testiculos habet duos, quibus humor melleus adhæret, hi castori excinduntur ac bene purgati in sole exiccantur: sicca ti uerò in loco umbroso & tenebricoso suspenduntur.

Castorium in septennium citra ullam corruptionem asseruatur. Interius quod est in testiculis, medicamentis admiscetur, cutis exterior abiicitur.

## VIRES CASTORII.

Calidum est in gradu tertio, siccum uerò in secundo.

Vires eius sunt calfacere, exiccare, purgare, unde conuulsionibus ex nimia repletione prouenientibus, & tremulis auxiliatur.

Ruta & aceto mixtum naribus instillatum, cerebrum confortat, capitis dolorem pellit.

In uino potum comitialibus medetur. Omnibus in summa damnis ex frigore prouenientibus opem fert castorium. Tritum suppositum linguam impeditam restituit. Decoctum cum uino illitum, neruorũ uitijs subuenit. Conuulsiones prohibet. Menses ac partus cum pipere & hydromeli sumptum ciet. Idem potum uel illitum, tremulis, & neruorum uitijs prodest, febres pellit, refrigerata membra calfacit, Calidis affectionibus officit. Cum succo rutæ comitialibus datur. Contra apoplexiam linguæ puluis castorij, donec dissoluatur supponitur. D

Vinum cum castoreo decoctum cum ruta & eleliſphaco, contra totius corporis paralysin bibitur. Lethargicis in sternutamentum miscetur.

Passiones pulmonis, & humores cerebri cum pulegio sumptum emẽdat. Veneno resistit, illitum tremulis, paralyticis, & hydropicis subuenit.

Lethargicos & ueterno obdormiscentes oleo & aceto mixtum excitat, surdastris auditum restituit. Fumus eius naribus attractus pulmonẽ confortat, eiusq; exulcerationem reprimit, tormina & inflammationes ex aceto haustum compescit, partus, secundasq; expellit.

# CERVVS.

CEruus, Græcis ἔλαφος, Ger. ein Hirß/ animal uelocissimum, unde aërei pedes poëtis cognominantur, cornua in frõte spinosa gerens. Clauorum numerus à secundo ad sextum usq; annum in cornibus augetur. Serpentem sentiens aqua os replet eamq; in foramen, quo serpens latet, infundit, postea spiritu suo extractum serpentem pedibus proterit.

Amnem

Amnem tranãtes ordine facto posterior priori capite suo incumbit, prior autem defatigatus retrocedit, & similiter postremo incumbit, idq; donec amnem tranarint. Tempore coitus hostiliter pro ceruarum gene re depugnant.

## DE CERVORVM CARNE.

Ceruorum carnes, inquit Simeon Sethi, mali succi sunt, & difficilis cõ coctionis, & bilem atram gignunt, oportet autem eos qui uenantur æsta tis tempus obseruare, quòd uidelicet eo tempore uiperis, & serpentibus cerui uescantur, atq; ideo siticulosi fiunt: at hi suapte natura norũt, quòd si aquam ante illorum concoctionem hauserint, intereunt: propterea si tim tolerant, eaq; incenduntur. Ceruorum igitur carnes eo anni tempo re sumptæ uirosæ sunt & ualde noxiæ: & idcirco cauendum, ne ijs æsta te uescamur. Per hyemem uerò tutius sumuntur, meliusq; concoquũtur, propter interiorem caliditatem. Sed si non probè digerantur, crassum humorem gignunt, iecurq; & lienem obstruunt, & sepiunt. Ferunt et iam, si quis crebrius & sine modo ijs uescatur, corpus tremulũ, & quod non consistat, efficere. Medulla uerò & pingue ceruorum durities carci nomatum discutit, & mollefacit, si superponatur.

Cornu autem ceruorum frigidum est & siccum, quo domos suffiunt quidam, ut serpentes pellant, & ad strangurias, & obstructiones utũtur, B & ad pellendas è uentre tineas & uermes: sed pulmonem tamen hoc læ dit. Aiunt etiam si à difficulter pariente superferatur, iuuamento esse. San guis uerò ceruinus desiccatus, & tritus sumptus, à uenenatis bestijs mor sos iuuare dicitur. Si autem cerui genitale similiter desiccatum, & lima in scobem redactum cum uino pótetur, morsibus uiperæ succurrit.

Ceruinus sanguis oleo decoctus, coxẽdicis, lumborum, & lateris do loribus, intestinorum corruptioni, & sanguinis fluxui medetur. Vino potus uenenata apostemata, & induratas uenas sanat. In aceto feruefa ctum ceruinum cornu, si eo gingiuæ colluantur, dolorem adimit, & cõ fortat. Infrictum dentes expurgat. Cinis eius elotus & epotus, dysenteri cis, fluxui uentris, & uesicæ doloribus, prodest. Exiccat menstrua, & re gio morbo opitulatur. Melle mixtus cinis uermes ex intestinis expellit.

Cornu cerui splenis doloribus salutare est, singultus item reprimit.

Vrina cerui aurium exulcerationibus medetur.

Extrema caudæ ceruinæ pars uenenata est, nec ulli usui apta.

Pulmo cum gutture infumigatus, & melle tritus, tussim pellit.

Adeps cum aceto sanguinem sistit. Adeps uerò ex ceruæ uulua ad maximos usus asseruatur. Fumus adusti ceruini cornu comitiales re creat, omniaq; uenenata abigit.

Idem cinis oleo rosaceo siue aceto illitus, capitis dolorem sedat, den tes uacillantes hoc colluti firmantur, fluxui narium, capitis, & sangui nis excreationi subuenit.

Cum

Cum uino puluis sumptus regio morbo auxiliatur. Tradit Aristoteles, quòd sinistrum cornu, quasi in eo opis aliquid habeat, abscondat. C

Aqua ceruini cornu bis tèrue in die sumpta, menstrua sedat.

Sanguine aut adipe cerui inunctus, securus est à morsu serpentum, & ueneni læsione. Maximam autem contra uenena labia eius uim habent.

## ELEPHAS.

ELephas, Græcis ἐλέφας Germa. **Elephant**. De Elephãtum natura, sensu, memoria, pugna, captura, manslue-factione, partu, cæterisq;, uide multa apud Plinium lib. 8. capitibus primis undecim. Animal est mansuetissimum, quod facillimè domari potest, tantæ fortitudinis, ut muros fronte sua destruat, & arbores conuellat. Biennium in utero fœtum gerit, tertio tãdem anno excludit unicam prolem, nec amplius parit. Trecentos posse annos uiuere scribunt. Lapsus surgere nequit, continuos enim osseos pedes habet. Dormiens robori firmissimo innititur, quod obseruantes uenatores in imo, ne animaduertat animal, dissecant, ut innitens elephas unà cum arbore prolabatur. Sanguis elephantis, præsertim masculi, fluxum sistit cerebri. Venter febricitantis si excremẽto elephantis suffiatur, maximam opem sentit.

D

## VRSVS.

VRsus, Græcis ἄρκτος, crudele & informe est animal, capite imbecillo, pedibus et lumbis robustissimis, unde erecto interdum corpore dimicare solet.

Fertur hyberno tempore in antro ex ungularum succu se sustentare. De natura & fœtu Vrsorum Plinius lib. 8 cap. 36.

Caro ursi uiscosum humorem generat, concoctionisq; est difficilis, quare medicamentis potius quàm cibis admiscetur.

Fel eius est calidum & siccum, comitialibus & paralyticis prodest.

Fel autem à iecore cum uesica in qua conditur, abscindetur, suspẽdeturq; ut arefiat, sicq; ad biennium asseruari poterit. Oculi eius effossi sinistro alligati humero, quartanã febrim pellũt. Adeps alopecijs illinitur.

Electuarium de felle ursi comitialibus medetur.

## VVLPES.

VVlpeculæ astutia prouerbio locum fecit, Græcis ἀλώπηξ dicitur. Germa. **ein Fuchs** Capillis est & densis & oblongis, cauda magna & densa. Sentiens melem ex antro abesse aluum ante ingressum speluncæ exonerat, aduenienis inde Meles, uiso stercore, relicto antro diffugit, sicq; astu suo uulpecula cauerna, nullam propriam sibi apparans, sed alienam fraude occupans, potitur. Succu exabiete manante confortatur.

Atatur. Famem sentiens instar canis latrat, nullamq; prædam inueniens dorso se ex aëre recreationem capiens, non aliter atq; si mortua esset, imponit, quod uidentes aues cadauer esse credunt, aduolantesq; à uulpecula apprehenduntur. Canum insidias sentiens caudam sub pedibus, ne cursui sit impedimento, recondit. Videns autem se obrui caudam permingit, ex cuius fœtore canes diffugiunt. Adeps eius illitus conuulsionibus est auxilio. Sanguis eius arefactus, & tritus calculo renum & ueſicæ medetur. Linguam dyspnœicis salutarem ferunt. Pellis eius naturæ est calidissimę, unde humidę existentes naturę ijs confortantur. Fit ex hoc Lohoch de pulmone uulpis dictum, quod abstergit, & consolidat ulcera pectoris & pulmonis, præferturq; aljs remedijs & phthisi. Oleum itē uulpinum dictum, quòd ad podagras & reliquas arthritidis species, ac dorsi renumq; dolorem est efficacissimum.

## SCIVRVS. Grecis Σκίουρος.

SCiurus ab umbra caudę suę nomen habet. Germa. **ein Eychhorn**. Notum animal, mustela maius, sed breuius, rubicundi coloris, prętерquam in uentre, qui candet. Mirę in saliendo uelocitatis, ut arbores saltu transuolet. Amnem transiturum, lignum aliquod leue, cui insidet, aquę imponit, caudaq; ueli uice, flante uento, utitur. Nucibus, quas æstatę in cauernas suas
B comportat, ad futuram sibi hyemem prospicit, dulciq; cibo gaudet. Prædicunt tempestatē, obturatisq; qua spiraturus est uentus cauernis, ex alia parte fores aperiunt: quod attestatur Plinius lib. 8. cap. 38.

## CAPREA.

CAprea, Græcis Δορκάς. Ger. **ein Wild geyß/ Rechbock/ Gembs**/ cuius masculinum capreus: sylueſtre est caprarū genus, in rupibus & locis inaccessis agens. Vnde facilè uenatorū insidias euitat. Sin propinquas in colle insidias animaduertat, ex ijsdem se pręcipitans, illæsa in cornua prolabitur. Meminit earum Martialis, cùm inquit:

*Pendentem summa capream de rupe uidebis,*
*Casuram speres, decipit illa canes.*

Hinc diminutiuum est factū capreolus, quasi tener capreus. Vt apud Verg. Præterea duo nec tuta mihi ualle reperti Capreoli.

Excremēta caprearū in uino sumpta, ictericis prosunt. Cū Spicæ nardi foljs mēses cient. Cū aceto impositā fluxū sanguinis sistūt. Vsta & cū aceto mixta, alopecijs illinuntur. Adeps earum podagricis auxiliatur.

## DAMA.

DAma Græcis Ῥοῦξ. Germa. **ein Dämlin**, ex sylueſtrium caprarū est genere. Timidum & imbelle animal: unde Mart. Imbelles Damæ nil nisi præda sumus. Et Ver. Cum canibus timidi uenient ad pocula Da-

mæ. De his Plín. lib. 8. cap. 56. Damę, inquit, manſuęſcunt raro, cũm fe- C
rę dici iure non poſsint. Complura nanq; ſunt nec placida, nec fera, ſed
mediæ inter utrunq; naturæ.

## MELIS.

MElis, Μελίς, à melle nomẽ accepit, cuius eſt auidiſsimũ animal, aluearibus obhoc maximè infeſtum. Alio nomine Taxus et Taxo dicitur. Ger. **ein Dachs.** Viuit in cauernis, dorſo lato, pedibus breuibus, magnitudine uulpis, colore felis, cute denſa, et pilis hiſpidis: mordax & aſperũ animal: dorſo & uertice nigricat, reliqua parte candet. De natura eius lib. 8. cap. 38. inquit Plinius: Melibus hęc eſt natura, & in metu ſolertia, ut ſufflata cute diſtenta, ictus hominum & morſus canum auertant. Adeps eius inter reliquas utilitates renum doloribus auxiliatur. Sanguis in canicularibus diſtillatus ad ʒ ij. uel ʒ ij. ſ. ſumptus peſti eſt auxilio.

## ERINACEVS. ECHINVS.

ERinaceus, quẽ Echinũ uocant Græci, Ger. **ein Igel**/animal ſpinis circũuallatum, quib. telorũ uice aduerſus inſidias utit, ita eas expandẽs & acuẽs, ut attingi nequeat. Cibũ quęſiturus fructus inuentos aculeis ſuis infigit, infixos ad ſpeluncã ſuam defert. De Erinacei natura uide Plin. lib. 8. cap. 37. Caro enim uim habet exiccãdi & ſoluẽdi, uentriculũ confortat, uẽtrem ſoluit, D
urinã ciet, eſtq; utiliſsima ijs quorum natura ad leprã, & puſtulas peſtiferas uergit. Caro ſiue iẽcur eius in ſirupo cũ melle ſumptum, renũ uitijs, aquę quę intercutẽ ſubijt, conuulſionibus, elephãtiaſi, & uiſcerum fluxionibus eſt auxilio.

Hiſtrix. Eſt etiam aliud Echinorum genus, Hiſtrix à Latinis dictum, lõgis aculeis, quos in aduerſos torquet. Cuius meminit Plin. lib. 8. cap. 35. Vulgò Porcus ſpinoſus dicitur, **ein Stachelſaw.** De hoc Calphurnius:

*Venit & hirſuta ſpinoſior hiſtrice barba.*

## ERINACEVS MARINVS.

EChinus marinus orbicularis eſt formę, aculeis circũuallatus, quibus pedũ uice utitur, orbiculari greſſu incedens. Vẽtriculo et utero prodeſt. Teſta eius cruda inaſſata medicamentis adhibetur, quę pſoras abſtergunt. Crematę uerò teſtę cinis putrida hulcera expurgat, & luxuriantem carnem reprimit.

## LEPVS. CVNICVLVS.

LEpus, Græcis Λαγώς, Ger. **ein Haß.** Cuniculus, Græcis Δασύπους. German. **ein Künglin/Caninchen.** Oĩbus noti ſunt. Animalculũ eſt uelociſsimę ac timidiſsimę naturę, auritũ, poſteriores pedes anterioribus lõgiores ſunt, unde facilius collem aſcendit quàm deſcendit.

Apertis

A Apertis oculis somno indulget. Fœcundissimum natura genus Leporum & Cuniculorum, singulis mensibus sobolem procreans.

Sanguis leporis uitia cutis in facie sanat. Alopecijs cinis capitis eius cum aceto medetur. Cerebrum eius inassatum tremoribus ex ualetudine contractis iuuandis editur. Iure carnis eius abluti podagrici opem sentiunt. Sanguis eius illitus uitiliginem lentiginesq; sanat.

Comitialibus iecur arefactum ad ʒ j. datum prodest. Excrementa leporis aceto imbuta, inueterata, & luxuriantia damna illita adiuuant.

Fel leporis oculorum uitia melle commixtum restituit. Caro eius plus omni reliqua melancholici humoris generat. Testiculi leporis uenено resistunt, in aceto sumpti. In mense Martio uiui adusti leporis cinis calculo cum uino potus, fert opem. Genis infantum cerebrum leporis illitum facilem dentitionem parit.

Cuniculi eiusdem propè naturæ sunt cum leporibus, sicut & lepores fœcundissimi.

## LYNX.

LYnx, Germa. ein Luchs/animal est Lupo simile, pelle autem maculosa, uelut Pardi, unde maculosam Vergilius nominat. Visu adeò acuto, ut prouerbio locum fecerit: lingua serpentem refert, eamq; quàm longissimè exerit, collum habet flexile, ungulas grandes, unicum tãtùm
B fœtum edit. Vrinam eius in lapidem Lyncurium indurari falsò creditur, ut in gemmis infrà latius dicetur.

Corpori aspersa uel illita, pruritum sedat.

## LVPVS.

LVpus, Græcis λύκος. Germa. ein Wolff. Animal rapacissimum & fraudulentissimum. Vrina eius secundum Lunæ augmentum & decrementum augetur. Super huius tepidam adhuc urinam lotium reddentia animãtia nunquam concipere traduntur. Famem per aliquot dies sufferre ualet lupus, unaq; postea uice tantum deuorat, ut ad triduum aut ultrà etiam sufficiat. Cor eius arefactum & asseruatum optimum de se odorem præbet. Comitialibus quoq; adustum, & tritum in potu sumptum, medetur.

Lupinum stercus candidum, ut refert Galenus, colicis quidam dandum, aut uino albo aut aqua distemperatum, putabat, nec tantùm in paroxysmis, sed etiam in interuallis, siquidem uacarent phlegmone, & feliciter illi cessit negocium. Verùm illud etiam in eo mirabar, quòd uel appensum illijs uinculo confecto ex lana ouis à lupo laniatæ, aut ex ceruina pelle, euidenter aliquoties iuuissет.

## LVTRA.

LVtra, Græcis ἔνυδρις. Germa. ein Otter. Animalium callidissimum ex fibrorum genere, cuius mentionem facit Plin. lib. 8. cap. 30. Feli per omnia, præterquàm capite, simile, coloris nigricantis, piscinis & aquis unde uictũ sibi quærit, cohabitans. Spiritum ex aëre, quamuis etiam sub aqua aliquandiu se sustentare ualeat, ducit. Hinc fit, quòd aliquando in piscatorum retia ex cupiditate prædæ delapsa, quoniam egredi commodè nequit, neq; donec nodos dilaceret sub aqua spiritum ducere potest, suffocata inuenitur. Cibi est animal adeò auidum, ut maximos piscium aceruos in speluncam suam deferat, quorum putrefactione & fœtore aërem quoq; uicinum inficit.

## MVSTELA.

MVstela, Græcis γαλή. Germa. ein Wisel. Animalium est astutissimum, maximam fœtus sui curam gerens, quos subinde ne inueniantur transfert, in cauernis petrarum degens, longumq; somnum ducens. Hæc cum serpẽte dimicatura ruta se munit. Ex immaturis ficubus, earumq; foliis, emplastra contra Mustelæ morsum, qui subitum dolorem adfert, conficiũtur. Similiter ex cepis & allio. Rutarum odor mustelas pellit. Sanguis eius cũ Arnoglossa illitus, podagricos adiuuat. Cinis cum aqua potus phreneticis fert auxilium, lepramq; curat. D

## MVS.

MVs, Græcis μῦς. Germa. ein Mauß. Horum uaria sunt genera. Chameleontis succus aqua & oleotẽperatus mures allicit, posteaq;, nisi aqua confestim recrementur, perimit. Stercus murium alopecias cum albo sinapi, nasturtio, cepis, & allio mixtum sanat. Mures quoq; interimit pulmentum ex Arsenico citrino, & farina cõfectum: Similiter suffitus ligni arboris Taxi: Helleborum item farina subactum. Contra mures horotum remedia sunt initio huius operis expõsita.

## GLIS.

GLis, Græcis ἐλειός. Germ. ein Ratten. Suspicatur Valerius Cordus glirem esse μυγάλην, Murem araneũ Latini uocant, à μῦς, id est, Mus, & γαλή, id est, Mustela, quòd mediam inter mustelam, & murem formam habeat. Pestiferum est glis animal, uenenum in cauda noxium condens. Vrina eius quamcunq; corporis partem contigerit, eandẽ ad ossa usq; putrefacit, uulnusq; insanabile efficit. Diffugere tradunt glires, si sinistra mulæ ungula domus suffiat. Excrementa glirium cum aceto & Roremarino alopecias sanant: potaTALPA.
uerò calculum discutiunt.

## TALPA.

TAlpa, Græcis ἀσπάλαξ, German. **ein Muldtwurff.** Murium generis est, nigrum ac cæcum animal, sub terra uiuens, cuius cuniculos perrepit, ac subinde terram egerit. Quomodo capiendę sint talpæ suprà, est expositum.

Vsta in cinerem cum oui albumine lepris illinitur. Sanguis eius alopecias capillis explet. Cinis eiusdem fistularum putredines consumit. Qui iecur eius comederit, aut uiuam manu compresserit, eum à febri securũ eodem anno fore credunt.

## RANA.

RAna, Græcis βάτραχος, Germ. **ein Frosch.** In usu sunt uirides, ex quarum etiam genere sunt quas Germani **Laubfrösch** appellant. Reliquæ ranæ, quæ non sunt uirides, uenenum habent. Viuę in testa adustæ alopecias curãt. Fel earum lumbricos pellit. Fel in cinerem ustum febribus mederi ferũt. Succus ranarum ex oleo & sale coctarum prodest collo distortis. Sanguinem cinis earundem sistit. Hulceribus & membrorum iũcturis prodest. Dicto modo coctæ uenenatis uermibus, & lepræ obsistunt. Dentiũ dolorem sedant, si aquatilium ranarum decocto os colluatur.

B

## BVFO.

BVfo, Græcis μύξων, Germa. **ein Krott.** Animal est teterrimum, & plurimum noxium, ranarum similitudine, fœtens. Naturæ est frigidissimæ. Cor circa collum habet, unde nisi confixo collo non moritur. Bini plerunq; cum concentu prodeunt. Elelisphaci esu, à quo tamen interitum sentit, plurimum delectatur. In capite eius lapis inuenitur, cui contra uenena uis adscribitur.

## CROCODILVS, & Scincus.

CRocodilus Aegypti est animal quadrupedes apud Nilum, terra & flumine, ut inquit Plinius, infestum. Magnitudine excedit plerunq; duodeuiginti cubitos. Oua magnitudine parit quanta anserum, quibus eo loco incubat, quo summo actu eo anno egressurus est Nilus. Die in terra, noctu in aqua agit, ἀμφίβιον existẽs. Multa de hoc Plin. lib. 8. ca. 25.

Sunt ex Crocodili genere Scinci Officinarum, quos Crocodilos ter-

restres uocant. Pro ueris tamen Scincis terrestribúsue Crocodilibus sæpe aquaticæ lacertæ uenduntur, quæ noxiæ sunt. C

Vsus Scincorum, quibus utuntur Officinæ, fertur esse contra sumptum uenenum, aliosq; defectus.

Crocodilorum terrestriũ stercus, Galeno teste, abstergendi & deficcandi uim possidet moderatam, quod mulierum luxus precioſum reddidit: à facie siquidem ephelim tollit, uitiliginem item & lichenas.

## SERPENS.

SErpens seu coluber, Græcis ὄφις, est nomen generale ad ea quæ terra absq; pedibus animantia serpunt. Ger. **ein Schlang.** Suntq; multæ earum species, Nicander uiginti duas in Theriacis suis enumerat, cuiusmodi sunt: Vipera, Aspis, Ceraſtes, Hæmorrhois, Sepedon, Dipsas, Chersydros, Amphisbæna, Scytale, Basiliscus, Dryinas, seu Chelydrus uel Hydrus. Draco, Cenchrynes, Ascalabus, Elopes, Libyes, Myagri coronati, Acontiæ, Typhlopes, Moluri.

*Serpentũ species ex Nicãdro.*

Exuuias quotannis deponunt, abstinentia cibi, ut ferunt, corpus primùm attenuantes, postea angustam perrepentes petram. Vernationem & senectam anguium id uocant. D

*Vernatio Senecta anguium.*

Coctæ hæ in oleo mirè aurium dolorem leniunt.

## VIPERA.

VIpera, Græcis ἔχις dicitur, fœmina uerò ἔχιδνα, soboles uiperæ ἐχιδνῦς, sicut Nicander in Theriacis distinguit. Germa. **ein Vater**/ ut uult Ioachimus Camerarius in commentarijs suis de Theriacis. Autor est Nicander, fœminam in coitu mari caput mordicus abscindere, rursus eandem pœnam luere, maturo iam partu uterum perrodente: quod falsum esse Iaochimus Camerarius experientia asserit. Fœmina huius generis ad Theriacam à ueteribus est expetita.

## ASPIS.

ΑΣπις ex serpentum genere, oĩm uenenatorum, Nicandro teste, pernicioſissimus, sinuoso incedens gressu, erecto capite: Longitudo eius est orgyiæ, color squalidus, aliàs uiridis & maculosus, aliàs cinereus, sæpe igneus: oculi rubentes, ceruix squalida & tumida: dentes quatuor. In fronte geminæ carunculæ iuxta supercilia, calli instar prominent. Summa ei cum Ichneumone animali pugna, de qua scribit idem autor.

*Ichneumõ*

## CERASTES.

Ceraſtes genus est serpentis, Latinis Cornutus, à cornibus capitis, Nicandro

Acandrò teste. Viperæ corpore nõ est dissimilis, cornibus interdum quatuor, interdum duobus conspicuus, colore squalidus, longitudine nauis prolixæ. Ab hoc ictos nouem dies superuiuere, idem autor testatur.

## HAEMORRHOVS.

HAemorrhous serpens dictus est, quòd ab eo icti sanguine fluant. Lõgitudine est pedali, colore partim fuluo, partim candido, cornibus in fronte duobus. de quo Nicander in Theriaca.

## DIPSAS.

DIpsas, διψὰς nomẽ accepit, quòd qui ab ea icti sunt, irrestinguibili siti laborẽt. Viperæ est similitudine, sed morsus eius nocentior. Cor enim humanum, ut Nicander ait, morsu prorsus accenditur, ac arentia præ nimia siccitate labia siccantur.

## NATRIX.

NAtrix est serpentis genus, Nicandro Chersydros dictum, quòd uidelicet in terra & paludibus agat. Idem Hydrus dicitur. Germa. ein Wassernater/Wasserschlang. Fœminam uerò huius generis Hydrã uocant. Est etiam nota Lernæ paludis Hydra, de qua fabulantur poëtæ, de qua prouerbium: Lerna malorum: cuius meminit Verg. Aen. 6. Chersydros. Hydrus. Hydra.

B *Et centum geminus Briareus & bellua Lernæ.*

De Natrice Lucanus inquit:

*Et natrix uiolator aquæ.*

## AMPHISBAENA.



AMphisbæna, ἀμφισβαίνα dicta est, quòd geminum incessum habeat, uel utroq; uersum gressum dirigat, ab ἄμφις & βαίνω. Hanc bicipitẽ Nicander tradit, exiguum alias serpentem, uisus hebetis, colore pullo, exiguis uariegatum maculis. Pellem eius strictam arefactamq; securis stilo circumligatam, torpedinem in labore ligni secis auertere, manusq; frigore torpentes calfacere, idem tradit.

## BASILISCVS.

BAsiliscus, βασιλίσκος, hoc est, regulus, rex serpentum, trium palmarum lõgitudine Nicandro describitur, flauus, capite acuminato. Ferunt Gallum in extrema sene ctute ouũ parere, ex quo Basiliscus excludatur. Adeò est uenenatus, ut aspectu suo uirus homini & animãtibus immittat. Nec satis est ab eo ictum mori, sed qui cadauer læsum attigit, ab eodem inficit, ob teterrimum à cadauere interempto à Basilisco exhalantem odorem. Corpus aũt icti hominis accenditur, carnesq; defluunt. Vide Nicandrũ.

# DRACO. Græcis Δράκων.

DE Draconibus & earum fabula est apud Nicandrum in Theriaca. Vigenûm cubitorum Dracones in India & Aethiopia nasci, scribit Plinius lib. 8. cap. 13. Dracones ob calorem orientalem in cauernis plerunq; latent, adeò uenenatæ naturæ, ut aërem quoq; in locis quibus degunt inficiant. Venenum autem nõ, ut quidam tradunt, in dentibus, uerùm in cauda gestat. Colore est niger, sed in uentre subuiridis, tres ordines habet dentium, pinguis, dependẽtibus etiam à mento palearibus, ut à Nicandro describitur.

Ex cerebro Draconis lapis, Draconitas dictus, excinditur, idq; uiuo Dracone, mortuo enim lapis euanescit. Adeps Draconis omnia uenenata pellit.

Sanguis Draconum, quo Medici utũtur, gummi est arboris, ob similitudinem ueri sanguinis sic dictus.

Reliquas Serpentum species, est uidere apud Nicandrum. Has ut cõmuniores tantùm recensui. D

# ARANEVS.

ARaneus siue Aranea. Græcis ἀράχνη. Eum uerò qui muscis insidias & retia tendit, priuatim ἀγρώστην, hoc est uenatorẽ appellant. Animal uenenatum ex ore filum seu telam ducens. Græci etiam φαλάγγια uocant. Germa. Spin. Vide Plin. lib. 11. cap. 24.

Nicander in Theriaca septem Phalangiorum genera numerat. Tela aranei, præsertim candida & pura, constipandi uim habet, item refrigerandi. Recentibus uulneribus imposita, à sanie ea præseruat: maculas adhuc recentes abstergit.

Contra omne araneorum uenenum remedio est cerebrum capi cum pipere in uino dulci sumptum. Idem facit adeps ouium coagulatus ex uino potus. Cerebrum item arietis cum melle. Muscæ contusæ morsui aranei impositæ, uenenum extrahunt, & dolorem leniunt.

# LACERTA.

LAcerta & Lacertus, cuius meminit Vergil. uidem appellans, ex uermium est genere, quatuor pedibus serpens. Germa. ein Heydex. Græcis Σαῦρος. Sibilo serpentem imitatur, cui cauda & lingua est similis, adeò nullius, ut ferunt, memoriæ, ut loci in quo peperit, obliuiscatur. Meminit eius Plin. lib. 8. cap. 39.

Sanguis

Sanguis eius uiſum confortat. Excremẽta maculas oculorum abſtergunt, pruritum ſedant, uiſum adiuuant, nitidam cutem faciunt. Caro eius eſt mortifera.

## SALAMANDRA.



ANimal eſt ſtellatũ, Lacerti figura, nunquam niſi magnis imbribus, ut Plinius lib. 10. cap. 67. ſcribit, proueniens, ſerenitate deficiens, cuius tantus rigor, ut ignem tactum non aliter quàm glacies extinguat, Germa. ein Molch/ Olm/ Moll.

Medicamentis ſcabiei & pſoræ adhibetur. Caro eius in melle ad uarios uſus adſeruatur.

## BOMBYX.

BOmbyx, Græcis βόμβυξ, & βομβύλιος Ariſtoteli. Vermiculus eſt paruus, ſericam ex ore telam educens & glomerans, ad ueſtem fœminarumq; luxum, quæ Bombycina dicitur. Vnde Germa. ein Seidenwürmlin appellatur. Foliſs nutritur mori. Poſt cœptum uerò laborem ab omni deinceps
B cibo abſtinet. Sericum huius animalculi uſtum putrida uulnera purgat. Cum melle uſtum dentium putredini auxiliatur. Vide Plin. lib. 11. ca. 22.

## FORMICA.

FOrmica, Græcis μύρμηξ, inſectum laborioſiſsimum prouidentiſsimumq;, de cuius natura ſcribit Plinius lib. undecimo, cap. 30.

Pelluntur Formicæ ſulphure cum origano trito, & cauernis earum inſperſo. Fugari etiam eas ferunt fumo ſtyracis & Aſæ fœtidæ. Fit ex formicis oleum, quod uocant Oleum formicarum, formicis in oleo ad dies 40. in ſole maceratis, & oleo poſtea colato: quod ad confortandum coitum ualet.

Vritur ex iiſdem aqua ſtillatitia, quam pterygia & maculas faciei purgare ferunt, ſi tres eius guttæ ſub ueſperam oculis inſtillentur. Ex ouis earundem aqua uritur, quam inſtillatam auribus ferunt auditum reſtituere, & tinnitum pellere.

## LVMBRICI.

LVmbrici, Græcis ἕλμινθες. Vermes ſunt terreni. Ger. Regẽwürm/ Erdwürm. Ex his fit oleũ, quod ualet ad infrigidatos neruos cõfortãdos, & ad dolores iuncturarum,

cturarum. Fit autem adiectis olei libris duabus ad libram ſemis uermiū, C & uini ʒ ij. Quæ ſimul bulliunt & colantur.

Dicuntur etiam Lumbrici, uermes in inteſtinis nati, à lubricitate ſic dicti, uel à lumbis, quorum alij ſunt rotundi, alij longi, alij lati.

## ONISCVS.

ONiſcus diminutiuum ab ὄνος, q.d. Aſellus, aliàs multipes, à pedum multitudine dictus. Germ. **ein Eſelgen.** Muris & locis humidis naſcitur, attactumq; ſentiēs, in ſphærulam, grano iuniperi ſimillimus, conuoluitur.

In uino potus regio morbo laborantibus, & cum difficultate mingentibus auxiliatur. Viuus digito impoſitus, phagedænam perimit.

## LIMAX.

LImax, aliàs terreſtris Teſtudo, Græcis κοχλιὰ. Germani **ein Schnegel** uocant: quidam uerò limaces ruffi, quidā uerò nigri conſpiciuntur. Quod ad uſum eorum in Medicina attinet, diſtillata ex ijs in Maio ſeu Octobri menſe aqua, clauum reſectum, ſi inſtilletur, ſanat. Manuum uerrucas purgat. Ferrum in aqua hac extinctum chalybis induere duritiem tradunt.

De Cochleis & Conchis, quia partim ſunt fluuiatiles, partim terreſtres, in piſcium numero agetur. D

## ERVCA.

ERuca, Græcis κάμπη. Dictam putant ab erodẽdo, quòd olera & arborum etiā folia, quibus adnatæ fuerint, penitus erodāt. Germ. **Raupen.** Nemini non notum peſtiferum illud olerum malum, in quæ ſi ſiccum aridumq; fuerit multum cœlum, ſæuit, atq; adeò depaſcitur, ut ſcoparum inſtar nuda olerum filamẽta ſeu nerui appareant. Vidimus hoc anno in Amaræ dulcis dicti fruticis ramis Moguntiæ plurimas ſpitamæ longitudine, & pollice craſſiores, uirides, pedibus quater geminis, quibus ramulis comprehenſis tenaciter adhærebant: cauda breui, crocea: maculis ſub collo nigris: quinis per latera lineis, minimè tamen diſcoloribus, ſed paulum aliquid à uiridi in flauum declinantibus, diſtinctas, corpore alioqui minimè hirſuto, ſed glabro molliq;. Harum, quia multorum cum admiratione conſpexi, meminiſſe placuit. Quomodo olera ab erucis tuta eſſe poſsint, ſuprà expoſuimus.

*Eruearū nouum genus.*

DE

# DE ANIMANTIBVS VOLATILIBVS, HOC EST, DE AVIBVS.

## DE VOLATILIVM carnibus in genere.

OMNIVM uolatilium carnes, utpotè quæ aëriæ sint naturæ, minus nutriunt quàm quadrupedum: facilius tamen & citius concoquuntur: unde etiam ægrotis carnes eorum potissimùm conueniunt: nec tamen omnes, sed Gallinæ potissimũ sylueſtres, pulli Gallinacei, turdi, idq; genus. Nam anatum, anserum, gruum, cygnorum, pauonum, aquatiliumq; auium carnes crassę sunt, ac difficulter concoquuntur: infirmis ergo sunt inutiles.

Quod ergò priuatim ad electionem uolatilium ad cibos attinet, primum locum tenent Gallinæ mediocres, quæ nondum oua excluserunt: hæ siquidem temperatæ sunt, neq; choleram, neq; phlegmata generãtes: bene autem nutriunt & confortant. Sunt itaq; ægrotantibus, & à morbo conualescentibus utilissimæ.

Qui teneriusculi adhuc pulli fuerint, minus commodant: multũ enim phlegmatis generant. Sic etiã quæ seniores sunt, ob siccitatem difficilius concoquuntur. Poterunt tamen adultiores Gallinæ uel Capi, usu ægroti hoc postulante, alijsq; nõ prę sentibus, coctę in mortario tundi, cumq; decocto iure per pannum colari, ac deinde pro placito, & infirmi natura satis commodè apparari.

Galli adulti ab usu ægrotantiũ prorsus abdicantur: similiter anseres, anates, grues, pauones: Difficilis nanq; sunt cõcoctionis, uentriculũ premunt, ac febres, præsertim uerò anatũ caro, inducunt: Columbæ quoq;, palumbes, turtures ægrotantibus aduersantur: sed ex his turtures tamẽ annui aliquatenus assumi poterunt, adultiores minimè.

Hæc in genere de alitum carnibus: de quibus speciatim, non tamen de omnibus, sed de plerisq; tantùm agetur.

## DE OVIS.

OVa, inquit lib. 11. simp. med. Gal. partes animaliũ non sunt, sed proportione respõdent ijs, quæ adnascuntur. Sunt autem facta ad propagationem generis, perpetuitatemq;, ac sunt utilia ceu nutrimenta. Pariunt oua omnia uolatilia, ea uidelicet quæ pennis plumisq; uestiuntur. Nam uespertilio præter uolatum nihil admodum cum auibus commune habet, ac murium instar fœtum ædit. Insecta ex sterco re nasci constat. Ex reliquis etiam animantibus serpentes oua pariunt, è quibus fœtus excludũtur. Sed ouorum, quod ad animantia pertinet, diuersitates percensere non est præsentis instituti, uerùm generatim de ijs,

&

& peculiariter de Gallinarum ouis agere. Sciendum itaq; quoties ouorum fit mentio, propriè Phasianorũ & Gallinarum, ut diſertè Galenus de alimentis lib. 3. tradit, intelligi. C

De ouorum differentia & uſu, hæc ſcribit Simeon Sethi.

Oua inter ſe differunt: tres uerò habent differentias: Primam quidẽ quæ iuxta propriam eorum eſt ſubſtantiam: alteram uerò, quæ eſt ſecũdum tempus, an recentia uidelicet, an uetera: nam recentia meliora ſunt, optimaq; eorum operatio: tertia eorum differentia eſt in ratione modoq; coquendi, quippe ſorbilia uix calida parantur. At quæ ad modicã ſunt conſiſtentiam, dicuntur τρομικτὰ, hoc eſt, tremula uel mollia: quæ autem magis cocta, ἑφθὰ ſunt dicta, hoc eſt, cocta: ac in uniuerſum quidem ὠμογκόλικα. Quæ ergò ſorbilia ſunt, facilè pertranſeunt, & gutturis ſcabritiem leniunt, ſed minus nutriunt. Quæ uerò ἑφθὰ ſunt, difficilius concoquuntur, & tardius deſcendunt, & aſperum craſſũmue nutrimentũ corpori præbent. Peiora etiam ſunt quæ ſub calido cinere aſſantur. Quæ uerò in ſartagine cocta, ideoq; τηγανιτὰ uocata, peſsimum habent nutrimentum, & dum concoquuntur nidorem uellicationémue faciunt, craſſumq;, ſuperabundantem, & malum ſuccum gignunt. Laudantur quidẽ quæ πνικτὰ, id eſt, ſuffocata dicuntur, uelut etiam quæ ἐξεφθὰ, in calida aqua decocta. Quæ autem anſerum ſunt oua, malum ſuccum habent. Dicuntur oua proprietate quadam peculiari εὐφυΐᾳ, hoc eſt, bonum ingenium & naturam facere, iſs qui cum fonte filiarum tauri (hoc eſt, cum melle, ex bobus enim apes progenerantur, ut poëta teſtatur, inquiens: Progenerantur equis ueſpæ, ſed gignit apes bos) & cum butyro eſitauerint, Cum aceto uerò oua cocta deſiccant uentris fluxiones. De ouis Horatius ſic: D

*Longa quibus ouis facies erit, illa memento*
*Vt ſicci melioris, & ut magis alba rotundis*
*Ponere, nanq; marem cohibent calloſa uitellum.*

Quod etiam Arabes teſtantur ſcriptores, lõgiora, minora, tenuioraq; Gallinarum oua reliquis præſtare aſſerentes.

Primatum inter oua tenẽt Gallinarum & perdicum, phaſianorumq; proxima ſunt anatum & anſerum, quæ etſi peius nutrimentum habent, naturam tamen confortant, & ad Venerem incitant.

De ouorum facultatibus hunc in modum Galenus refert:

Ouum eſt ſymmetro temperie frigidius. Vnam autem prauitatem patiuntur, quam adfert uetuſtas, quam facilè effugies, ſi utaris recentibus. Album porrò & tenue illud ouorum, cuius uſus eſt ad ophthalmias, ex numero eſt medicamentorum minimè mordicantium.

*Albumen oui.* Vtendum autem eſt oui albumine non tantũ ad oculos, ſed & ad alia omnia, quæ medicamenta requirunt ſuauiſsima: Vt ſunt uniuerſa ſedis, & pudendorum ulcera contumacia. Miſcetur quoq; idoneè medicamẽtis profluuium ſanguinis ex cerebri inuolucris reprimentibus, quæ nimirum

A mirum citra morsum illinuntur, adstringuntq;. Cæterùm & ipse Vitellus assimilis est naturę, ac proinde miscetur ceratis morsus expertibus. Vitellus.
Verùm quantò plus desiccant, quæ sunt assa oua, tantò minorem mitigandi uim obtinent. Iam uerò crudo toto ouo utimur admisto rosaceo, ad palpebrarum, aurium, mammarum, aliarumq; omnium partium phlegmonas. Ouum totum.

Adhæc in aceto coctum ouum si edatur, uentris fluxiones desiccat. Quòd si etiam eorum quippiam, quæ ad dysenteriam aut cœliacum adfectum conueniunt, adiunxeris, atq; in igne modico, fumiq; experto frixeris; edendumq; ita præbeas, non parum sanè ita laborantes adiueueris. Dysenteria.

Ad ambusta etiam est ouum protinus impositum utile: siue quis seorsum duntaxat albumen molli lana excipiat, siue cum uitello confundens applicet. Mediocriter enim refrigerat, & citra morsum desiccat. Tale quũ sit, & ad Anacollemata uocata, quæ fronti imponuntur, eò utimur, & pilos palpebrarum agglutinamus: admisto nimirum idoneo aliquo, quale est thus, potissimum pingue, ac non inueteratum, & siccum. Ambusta. Anacollemata.

Ouum igitur medicamentis quæ humiditates desiccant, aut elixum, aut assum, aut frictum, tanquam materia miscetur: ijs uerò quæ lentorẽ humorum in pectore pulmoneq; incidunt, sorbile: id quod in aqua eò usq; elixari debet, donec incalescat. Simili modo sumptum, gutturis stomachi, uentris, intestinorum atq; ueticæ asperitatibus medetur. Ouũ quomodo & quibus prosit. Sorbile.

B De anserum ouis tradunt, si cum oleo calida matrici instillentur, intra quatriduum menses ciere. Extra Medicinam quoq; multus est albumen ouí ad colores aliasq; res usus. Vstarum in fornace testarum ouorum candidus cinis corrosiua facultate est præditus.

## AQVA OVORVM.

Albumẽ oui probè tosti in Balneo Mariæ distillabis, ita ne plus aquæ calescat, quàm ut manus feruorem eius pati possit.

Foramen uerò alembici non penitus obturabis, ne malum saporem aqua acquirat. Valet hæc ad pterygia & dolores oculorum: faciei cutem serenat, cicatrices corrigit: manus teneras, si frequenter ea abluantur, ac per se exiccentur, efficit.

Aqua uitelli ouorum eadem ratione, qua de albumine dictum est, distillata, maculas faciei, à balneo illita, extergit.

## OLEVM VITELLORVM OVORVM.

Oleum è uitellis ouorum longè præstantissimum exprimitur hoc pacto: Recipe oua recentia numero quot uolueris, coquito donec penitus indurentur: postea uitellos eorum exime, & comminutos assa in sartagine donec ruffescant, & pinguedinem quandam remittant: deinde offam feruentem indito in sacculum pilis contextum, & exprime, quodq; expressum fuerit oleum repone.

Cutem hoc oleum expurgat, impetiginem, serpiginem, & alia cutis

ultia persanat, capillos regignit, & hulcera maligna, & fistulata curat.

## GALLVS, GALLINA, PVLLI Gallinacei, Capus.

NOtiora sunt quàm ut repræsentari debeant. Gallus, Græcis ἀλεκτρύων, & ἀλέκτωρ, quasi ἀπολέκτως, id est, à lecto reuocans. Gall. Vng Cocq Germa. ein Han. Gallina, Græcis ἀλεκτορὶς. Gall. Vne poulle, ou Gelline. German. ein Hün. Caro gallorum crassior est, quàm gallinarum uel Caporum. Optima autem est caro gallorum & gallinarum, qui nondum Venerem sunt experti. Capi caro reliqua auium est carne præstantior, meliusq; nutrimentum præbet. Tusaq; in mortario gallorum & caporum caro optimum iusculum, grauiore morbo correptis, præbet. De Capo Martialis in Xenijs hoc Disticho ludit:

*Ne nimis exhausto macresceret inguine Gallus,*
*Amisit testes, nunc mihi Gallus erit.*

Pullorum gallinaceorum caro, inquit Simeon Sethi, facilis est concoctionis, & boni succi, & inprimis gallinarũ, quæ ouũ ædere cœperunt.

Secundo autem loco sunt, quæ ad bonum succum, Attagenæ, sed magis nutriunt, & præsertim si præpingues sint. Nam hæ corpus madefaciunt, & ociosos iuuant, coloremq; bonum comparant, & genitale semẽ D & cerebrum quoq; augent: præsertim uerò horum cerebella.

Cerebrum quippe abundè nutrit, & idcirco aiunt, quòd his qui leuiori ingenio ac mente sunt, prodest. Qui uerò Gallinaceam carnem esitauerint, non statim lac acre bibant: quoniã obseruatum est colicos morbos inde fieri. Gallinarum uerò pulli gallinacei facilis sunt concoctionis, & temperatum bonumq; sanguinem gignunt, nec ualde tenuem, nec ualde crassum. Prosunt autem minus se exercentibus & ociosis, & his simul quibus facilè obstruuntur meatus: his insuper qui stomachum calidum habent. Ventrem quoq; cient.

Gallinis oua ferunt supponenda imparia, & intra decem dies exclusa.

### VIRES.

Iusculum gallinaceum capiti est saluberrimum. Cerebrum gallinarum sanguinis aiunt fluxum compescere.

Stercus Gallinaceum, autore Galeno, tritum propinatumq; cum tribus aut quatuor oxycrati, aut oxymelitis cyathis, eos celeriter iuuat qui à comestis fungis anguntur: nimirum per uomitum crassiores humores eliciens.

Dissectam tepidam gallinam morsui serpentum impositam mederi aiunt, iterato tamen aliquoties hoc medicamine. Nigra dissecta gallina tepida capiti imposita, phrenesin sedat.

Cerebrum

A Cerebrum capi in uino ſumptum aluum citam ſiſtit. Ius capi aluum mollit, crudos humores & melancholiam diſcutit, febres adiuuat, ſingultum tremoremq; uentriculi compeſcit. Epilepticis remedium adfert.

Aqua ſtillatitia Gallinę maximo eſt auxilio ijs, qui morbo conſumpti ſunt, ęgris, & lipothymia laborantibus. Eligitur autem Gallina biennis uel triennis, nigra, pinguis, euulſis pennis, nulla feruente aqua adhibita, & omni pinguedine remota, fruſtulatim conciſa, & in uitro ſeu Balneo Mariæ diſtillata. Aqua Capi quadriennis uel quinquennis, nigri, pari ratione qua de Gallina dictum eſt, collecta, languidis ex nimia ægritudine ad ℥ j. ſ. uini nonnihil admixto, ſub meridiem & ueſperam utiliter bibitur. Eadem faciem ſerenat.

## ANSER.

ANſer ueteribus Ganza, ſicut & Germanis: uteſtatur Plinius. Græcis χήν. Gall. *Vne oye*. Ger. **ein Gans**. Anſeres ſunt alij altiles ſeu domeſtici, nemini non noti: alij ſylueſtres, Germanis **Hagelgans**. Flaui & aquei coloris, gruum more per aëra uolitantes, ac uolatum ſuum iuxta uenti dirigentes flatum: ſiquidem flante Aquilone, quaſi futurę tẽpeſtatis preſcij, ad meridiem ſe conuertunt.

Caro anſerina craſſę eſt ſubſtantię, ſuperfluitates & excrementa multa producit, ac difficulter concoquitur. Eſtq; omnibus domeſticis auibus craſsior, calidior, humidiorq;. Alę tamen à reliquo corpore ſunt diuerſę, & meliores.

B

Adeps anſerum alopecias, capillis explet, rimis labiorum illinitur: hulcera dura mollit. Cum ceparum ſucco aurium ſordes expurgat, dolorem q; earum lenit. Vim in ſumma habet molliendi & leniendi, ob dulcedinem. Teſtes anſerum genitale ſemen multum generant. Lingua eorum peculiari proprietate ad ſtranguriam facit.

Stercus anſerinum, teſtimonium dicente Galeno, prę nimia acrimonia eſt inutile, ſicut etiam accipitrum & aquilarum.

## ANAS.

ANas, Grecis νῆττα. Gall. *Vne cane, ou Canard*. Ger. **ein Ent**. Alię ſunt domeſticę, alię ſylueſtres. Mas autem à fœmina diſtinguitur, quòd mas collo & capite conſpicitur uiridi, roſtro lato, alis albo uiridi & nigro permixtis, circulo collum ambiente albo, pedibus rubris latisq;. German. **ein Antuogel**. Fœmina uerò uarietate illa colorum caret, & ſimpliciter **ein Ent** dicitur. Gaudet non niſi locis paluſtribus. Caro earum craſſos & ſuperfluos humores gignit, & melancholicos efficit. Commendatur potiſsimùm pectore & ceruice. Vnde Martialis:

*Tota quidem ponatur anas, sed pectore tantùm,*
*Et ceruice sapit: Cætera redde coquo.*

Quòd ad Medicinam exiguus earum est usus. Ferunt aquam de syluestribus anatibus mense Octobri in Balneo Mariæ stillatam, ad 40. dies, manè & uesperi unius unciæ pondere potam, calculum renum & uesicæ pellere.

## COLVMBA.

COlumbus uel Columba, Græcis περιστερός, uel περιστερά. Germa. ein Daube. Columbarum natura est calidissima. Pullorum Columbarum caro, ut ait Simeon Sethi, calida est & humida, superfluitatisq; multæ, & præcipuè domesticorum, sanguinemq; crassum & calidum præter modum gignit, atq; ideo febres nonnunquam facit: Frigiditate uerò dolentes renes iuuat, semenq; genitale & sanguinem auget. Caput autem & oculos lædit. Aiunt etiam immodicum eius usum lepram gignere.

Veris autem & autumni tempore meliores sunt Columbulæ, quàm quæ per æstatem & hyemem nascuntur.

Sanguis sub dextra earum ala medicamentis adhibetur. Tepens oculis instillatus, dolorem eorum sedat, & pterygia pellit. Tubercula, si incisa primùm fuerint, instillatus idem sanguis sanat. Recens interempta columba, omnibus morsibus utiliter imponitur. D

Stercus Columbinum siccum, ut scribit Galenus, tritum & cribratum, unà cum Nasturtij semine, Napy os uice ad ea quæ rubificari postulãt, sumitur: nempe ad omnes inueteratos adfectus, cuiusmodi sunt: coxendix, hemicrania, scotomata, uertigines, cephalæa, & in lateribus, scapulis, ceruice & lumbis antiqui dolores: nec non nephritides, affectus cœliaci, & podagricæ arthritides, quando in articulis nondum concreti sunt tophi.

Est autem hoc stercus minimè fœtidum, præsertim si sit arefactum. Vim habet exiccãdi. Vrentibus quoq; hulceribus, siue cum aceto, siue cũ lino illinitur. Quòd uerò uulgò putatur Columbas felle carere, falsum est, nam intestino eius fel iunctum inuenitur.

## AQVILA.

AQuila, Græcis ἀετός. German. ein Adler. Gall. Aigle. Armiger Iouis, & auiũ rex. Visu, Plinio autore, adeò acuto, ut aduersus solis radios intueatur. Pullos suos pedibus aduersus Solis fulgorem suspendit, quosq; immotos tenere oculos uiderit, eos uelut genere suo dignos eligit, reliquos reñcit. Nunquam sicut & cæteræ uolucres aduncæ bibit. De natura Aquilarum uide Aelianum lib. 14. de nat. animalium.

Genera

Genera eius traduntur plura: quædam uenationibus adhibentur: aliæ ad delitias aluntur, quas anatarias, ab anatum uenatu nominant. Vide Plinium lib. 10. cap. 3. de Aquilarum generibus. Aëtiten dictam gemmam, quæ nullius æstus iniuria læditur, in nido dum oua excludit habere fertur: ne uidelicet naturali suo calore oua excludenda aquila corrumpat, & induret. Senio confecta ultra nubes euolat, hebetudinem uisus à solis radijs emendans, quo adeò pollet, ut ex alto & à longe præsentem colubrum conspiciat & animaduertat, quem impetu facto comprehendit, deglutitq;.

Naturam scribunt esse aquilæ uelut febricitantibus, & frigidam & calidam. Fel eius cum melle oculis lippientibus illinitur. Cerebrum & fel eiusdem cum melle uisum acuit. Stercus aquilarum, Galeno teste, uehementem habet acrimoniam, inutileq; habetur.

## ACCIPITER.

ACcipiter, Græcis ἱέραξ, Germa. **ein Habich**/ ex rapacium auium est genere, sicut & uultures, ab accipiendo, hoc est, rapiendo nomen habens. Magno est corpore, rostro adunco, mansuefiens facilè, oculis lucidis, aspectu hilari, pedibus crassis, unguibus longis, nullam auem formidans. Potest tamen esse communis etiam appellatio ad omnes prædatorias aues. De generibus accipitrum scripsit diligentissimè Petrus Gillius.

In rosarum oleo coctus accipiter, omnibus cutis uitijs illitus medetur. Excrementa eius idem cum melle præstant. Acrimoniæ sunt immensæ, Galeno teste, ideoq; inutilia.

## MILVVS.

MIluus, Græcis ἰκτῖνος. Germ. **ein Weihe**. Gall. *Milan*, auis rapacissima, pullis Gallinaceis maximè insidians. Aestiuo apparet tempore: hyeme in nido conditur. In paruis audax, in magnis timidus: à Niso enim, quũ triplo sit maior, uincitur. Iecur eius oculorum medicamentis adhibetur. Ferunt ramulum ex nido miluij, collo circumligatum, conuulsioni eius mederi.

## VVLTVR.

VVltur, Græcis γύψ. Ger. **ein Geyr**. Gall. *Vaultour*. Carniuora auis. In hominum cadauera est infestissima, hominemq; morti uicinũ certis inditijs deprehendit, obseruatq;. Expeditos etiam in bellum exercitus præsensione quadam consequitur, præscia quòd ad bellum proficiscuntur, quodq; strages sit futura. Locum futuro bello septem dies antequã pugna committatur, præuidet, in eamq; partem in qua alterutra pars succumbet, respectat. Quamobrem reges olim speculatores solebant præ-

mittere, qui renunciarent ad quámnam partem uultures prospicerent. C

Pennæ uulturis combustæ serpentes ædibus expellunt. Iecur eius tritum unà cum sanguine, comitialibus ad decem dies utiliter bibitur. Fel eius aqua elotum, oculorum maculas exterit.

## FALCO.

FAlco, Græcis φάλκων, Germ. **ein Falck**/ex accipitrum est genere, id nominis habens, quòd ungues falcis modo introrsum reflexos habeat: uel quòd rostro, & alis in rapinam sit falcata. Impetuosi est uolatus, maximas etiam suo impetu aues, ad quorum capturam ab hominibus mansuefit, prosternens. Præda ei à longè, si quando ad capturam educitur, commonstratur, ut maiore in eam uehementia irruat. Pectore est robustissimo, renibus imbecillibus: caput immobili corpore circũuertit. Fel galli albasq; cochleas coctas impetum eius adiuuare aiunt: succum uerò seminis hyoscyami, aut cibum in eo madefactum, eundem infrenare.

## NISVS.

NIsus, Germa. **ein Sperwer**. Gall. *Espreuter*. Quomodo in hanc auem Nisus mutatus sit, Vide apud Seruium super lib. 1. Georg. Ex prædatorijs est auibus, statura quidem reliquis minor, sed fortitudine nulli alij D impar. Miluum multò tamen maiorem in pugna ab hac uinci tradunt.

## GRYPHVS.

GRyphus, uel Gryps, & Gryphes. Germa. **ein Greiff**. Animal est quadrupes, alatum, corporis forma leoni simile, alis uerò & facie aquilæ. De his Solinus. In Asia, inquit, Scythiæ, Gryphes sunt aues ferocissimæ, aurum argentumq; possidentes, ob quarum sæuitiam rarò exteris terram istam ingredi datur: Siquidem homines aduenire conspicientes, uelut ad auaritiam puniendam natæ, dilaniant. Bellum cum ipsis gerunt Arimaspi, ut lapides inde auferre queant. Mentionem quoq; facit earum Plin. *lib.* 33. cap. 4.

Hominibus equisq; sunt infensissimi, eosq; armatos uincunt, uictos quò libuerit ungulis suis pleno uolatu asportant. Ex ungulis eius pocula preciosa fiunt. Ex pennis uerò arcus & sagittæ conficiuntur.

## STRVTIO.

STrutio Plinio Strutiocamelus, lib. 10. cap. 1. Germ. **ein Strauß**. Gall. *Autruche*. De quo Aristoteles: Strutio ob mirabilem formam ex auium genere non reputatur: Partim enim quadrupedibus, partim uolatilibus est simi-

lis.

A lis. Non alas, sed formam quandam alarum, uolatui incõuenientem habet: supercilia quoq; cum annexis habet pilis: inferiore corporis parte pennæ sunt frequentiores: Pedum ungulæ quadrupedum more sunt fissæ: Ternas pedibus singulis ob corporis molem habet ungulas. Alas eundo concutit nonnihilq; attollit, ut celeritate cursus equos etiam præueritat. De hoc Plinius citato antea loco: Strutiocameli Africi uel Aethiopici altitudinem equitis insidentis equo excedunt, celeritate uincunt. Ad hoc demum datis pennis, ut currentem adiuuent, cætero non sunt uolucres, nec à terra tolluntur. Vngulæ ijs ceruinis similes, quibus dimicant, bisulcæ, comprehendendis lapidibus utiles, quos in fuga contra sequentes ingerunt pedibus. Concoquendi sine delectu deuorata, mira natura: adeo ut ferratas etiam calces clauosq; deuorent. Tantæ uerò est stolliditatis, ut cùm collum frutice occultauerit, totum se latere existimet.

Ouaeius tantæ sunt magnitudinis, ut ex dissectis ijs pocula fiant: quæ etiam in arena posita, solo uisu ut excludantur recreat. Pennas eum quotannis omnes ferunt exuere, à frigore tamen ob natiuum calorem minimè lædi.

## PAVO.

B PAuo, Græcis δ ταὼς, ἀπὸ τῆς τάσεως, id est, ab expandendis alis, ut Athenæus est autor. German. ein Pfaw. Nemini non auis hæc regia, & Iunoni sacra est nota, corporis forma omnes alias uincens. Pennas quas in cauda gerit, splendente sole expandit: maximè uerò id facit laudatus Pauo, ut cap. 20. lib. decimo Plinius ait. Mas tertio anno coloris uarietatem induit: Fœmina uerò radiata cauda, & colorum illa uarietate caret. De hoc Martialis:

*Miraris quoties gemmantes explicat alas,*
*Et potes hanc sæuo tradere, dure, coquo?*

Parit à trimatu, ut citato iam libro cap. 59. Plinius refert: Primo anno unum, aut alterum ouũ, sequenti quaterna quinaue: cæteris duodena, non amplius. Intermittens binos dies ternósue, parit, & ter anno, si gallinis incubanda subijciantur. Mares ea desyderio incubantium frangunt: quapropter noctu aut in latebris pariunt, aut in excelso cubantes: & nisi molli strato excepta, franguntur. Mares singuli quinis sufficiunt coniugibus. Cùm singulæ aut binæ fuere, corrumpitur salacitate fœcunditas. Partus excluditur diebus ter nouenis, aut tardius tricesimo. Alexandrum legimus Pauone sic delectatum, ut eius interfectori magnam mulctam irrogaret.

Caro Pauonum, inquit Simeon Sethi, fibrosa est & neruosa, & supervacanea, concoctionis difficilis, & succi mali. Ius pauonis ferunt peculiari proprietate pleuriticos sanare, præsertim si sit pingue.

Adeps pauonis cum succo rutæ, & melle, colicos affectus ex humore C
natos frigido optimè sanat. Eius uerò ossa adusta, & in aceto trita & illi
ta, lepras & uitiligines emendant. Fel eius oculorum fluxionibus & he-
betudini, asperis item supercilijs medetur. Excrementa podagram miti-
gant.

## OLOR.

OLor, Græcis κύκνος, hoc est, Cygnus. German. ein Schwan. Gall. Cygne. Ob canoram eius uocē, alias q; eius dotes, & naturam, à poëtis plurimū celebratur, qui olores etiam inde dicti sunt. Et prouerbium est notū: Anser inter olores. De hoc Martialis:

*Dulcia defecta modulatur carmina lingua*
*Cantator Cygnus funeris ipse sui.*

Ferunt eum iam moriturum dulcem & suauem cantum emittere, ue-
lut epitaphion sibi canentem. Apud Athenæum tamen Alexander Myn
dius morientes se cygnos assecutum esse dicit, eorum tamen cantum non
audiuisse. Auis est naturę, ut tradunt, cholericę.

## GRVS.

GRus, Græcis γέρανος. German. ein Kranch. Gall. Vne Grue. De harum natura Plinius lib. 10. ca. 23. Grues, D
inquit, auolaturæ, ducem quem sequantur eligunt, in ex-
tremo agmine per uices, qui acclament dispositos habent,
& qui gregem uoce contineant. Excubias habent noctur
nis temporibus, lapillum pede sustinentes, qui lassatis somno decidēs in-
diligentiam sono coarguat. Cæteræ dormiunt, capite subter alam condi
to, alternis pedibus insistentes: Dux erecto collo prouidet ac prædicit.
Nonnunq; etiam inuicem dimicant, eoq; tempore facillimè capiuntur.
Hyberno tempore ad septentrionalem plagam ultra Aegyptum auolāt,
ubi cum Pygmeis ipsis est pugna. Tempestatem animaduertentes, ducē
ut festinet acclamant. Cicero scribit, Grues cùm loca calidiora petentes
mare transmittunt, trianguli formam efficere.

Carnes gruum calidæ sunt & siccæ, neruosæq;, ut tradit Simeon Se-
thi: & ideo post dies tres quàm iugulatę fuerint oportet eas esse: Sangui-
nem nanq; gignunt non modicè crassum & melancholicum. Harum ue-
rò ius uocem clarificat, & genitale sperma auget. Sunt qui dicant si me-
dulla, & fel earum cum oleo misceatur, memorię lapsę prodesse. Non-
nulli quoq; felle earum ad oculorum morbos utuntur. Pinguedo earum
quæ inter coquendum supernatat, auribus instillata, surditati mederi fer
tur. Eadem cum aceto scyllitico subacta, lienis duritiē, si in balneo per-
ungatur, soluit. Fel eius cum aqua sambuci naribus instillatum, apople-
xię subuenire ferunt.

CICONIA.

## CICONIA.

CIconia, Græcis πέλαργος. German. ein Storck. Gall. Cygoigne. πέλαργος dicta putatur, quòd alarum pennę partim sint nigræ, partim albę, à πελδν, quod nigrum, & ἀργόν, quod album significat. In Thessalia Ciconiam occidere capitale fuit. Constructos semel nidos quotannis reuisunt, unumq; ex pullorum numero domino ædium pro pensione deñciunt. Gratitudinis præbent exemplum: quantum enim curæ in sobolis curam & educationem conferunt, tantum senio confectis rependitur. Vnde πελαργικὸς νόμος lex ab Aristophane dicitur, qua liberi parentes alere iubentur, & ἀντιπελαργεῖν uerbum inde factum, quod mutuum beneficium & gratitudinem parentibus exhibere significat. Auolaturæ, teste Solino, in loco quodam Asiæ omnes, ne una relinquatur, congregantur, quæq; postrema aduenerit, eam tanquam ignauam dilaniant, sicq; aliò se conferunt. Plin. cap. 23. lib. 10. inquit: Ciconię quo è loco ueniant, aut quò se referant, incompertum adhuc est: è longinquo uenire non dubium est, eodem quo grues modo. Nemo uidet agmen discedentium, cùm discessurum appareat: nec uenire, sed uenisse cernimus. Vtrunq; nocturnis fit temporibus. Lęsa Ciconia origano sibi quęrit opem. Caro eius lippientibus oculis prodest. Veneno aduersatur.

B Excrementa eius in aqua sumpta, comitialibus prodesse credunt. Sed quidam credulus, ut Galenus refert, eo epoto nihil est adiutus.

## PELECAN, ONOCROTALVS.

PElecan uidetur esse auis, quam Græci Onocrotalon, ab asini uidelicet crepitu uel sonitu, quòd nimirum aquis se immergens asini uocem emittat, uocant: Gall. *Butor*. Siquidem Plinij de Onocrotalo, & Aristotelis de Pelecane uerba non dissentiunt. Verba Plinij sunt lib. 10. nat. hist. cap. 47. ubi de Aegypti agit auibus: Olorum, inquit similitudinem Onocrotali habent: nec distare omnino uiderentur, nisi faucibus inesset aliud quoddam uteri genus: huc omnia inexplebile animal congerit, mira ut sit capacitas: mox perfecta rapina sensim inde in os reddita ruminantis modo defert. Eadem de Pelecane refert Aristoteles, de animalium natura. Addunt alij quòd summo pullorum amore teneatur: siquidem succrescentes pulli parentum faciem unguibus fœdè dilacerant, unde parentes excandefacti pullos interimunt, mox pœnitentia ducti triduum eos deflent: tertio die mater pectus suum rostro, & unguibus lacerans pullis incubat, ac sanguine suo uitam ijs reddit, adeò debilitata ut euolare amplius nequeat, sed à pullis alimentum reliquo tempore recipiat.

## PHOENIX.

Phœnix

PHœnix auis est Arabiæ. De hoc Plin. lib. decimo ca. 2. C
Aquilæ, inquit, est magnitudine, auri fulgore circa col
la, cætera purpureus, cœruleis roseam caudam pennis di-
stinguentibus, cristis faciem caputq; plumeo apice hone-
stantibus. Annis uiuere sexcentis sexaginta ferunt: Senescentem uerò ca
sia thurisq; furculis construere nidum: replere odoribus, & superemo-
ri. Ex ossibus deinde & medullis nasci primò ceu uermiculum: inde fie-
ri pullum: Principioq; iusta priori funeri reddere, & totum deferre ni-
dum prope Pancaiam in Solis urbem, & in ara ibi deponere. Sola hæc
sui generis unica tantùm uiuit, quæ ex altera mortua uitam accipit.

## PHASIANVS.

PHasianus, Græcis φασιανός. Vulgò **ein Phasant.** A Phasi fluuio no-
men habet, unde ab Argonautis in Græciam sunt deportati. Vnde
Martialis:

*Argoa primùm sum transportata carina,*
*Antè mihi notum nil nisi Phasis erat.*

Caro eius Gallinarum est carni nutrimento similis, sed dulcior. De
hoc Simeon Sethi: Phasiani probè concoquuntur, & facilè, boniq; succi
sunt, & bonum sanguinem gignunt, & quantum ad nutrimentum, & cō
coctionem, horum caro similis est gallinæ: est enim ijs ualde similis. D

## BVBO.

BVbo, Græcis ὁ βύας. Germa. **ein Vhu.** Gall. *Hibou.* Auis est feralis,
& cantu suo infelix omen plerunq; præsagiens. Vnde Verg.

*Solaq; carminibus ferali carmine Bubo &c.*

Auis est noctuæ similis, sed non minor aquila. Vt Aristoteles refert. In
templis & desertis ædibus se continet. Sanguis eius prodest obstructio-
nibus pectoris, & dyspnœicis. Aiunt cor eius sinistro dormientis mulie-
ris lateri suppositum, omnia eam arcana facere pandere.

## NOCTVA.

NOctua, Græcis γλαυξ. Germa. **ein Eul/oder Kauz.**
Gall. *Hibou, Chathuant.* Nominis id habet, quòd no-
ctu uolet: unde etiam νυκτικόραξ, hoc est, nocturnus coruus
appellatur. Nota auis, facie sima, humana ferè, rostro & un
guibus aduncis acutisq;, oculis cæsijs, Vnde Pallas etiam γλαυκωπὶς apud
poëtas, hoc est, Cæsia uocatur. Carnem eius membris paralyticis ferunt
prodesse. Cerebrum in uino coctum, siue in cibo sumptum, capitis dolo
rem mitigat. Sed hæc remedia magis sunt superstitiosa & curiosa, quàm
usitata, & quæ haberi possint.

## CORVVS.

COruus, Græcis κόραξ. Germ. **ein Rabe.** Gal. *Corbeau.*

Notum

Notum est animal, occisorum cadauera, & animantia mortua insequēs. De huius intelligentia multa sunt apud Plinium lib. 10. cap. 43. Nidificat arboribus altissimis, acerrimè pro pullis, quos non sine periculo est adimere, dimicans. Pullos eius ferunt septem diebus absq; cibo uiuere, deinde primùm à parentibus ali.

## CORNIX.

Cornix, Græcis κορώνη. German. ein Krae. Gall. Corneille. Nota est auis uulgo. Diminutiuū eius est Cornicula. Arist. lib. 5. de hist. animalium, auem ait esse castissimam, & coniugalis amoris seruantissimam, ad uitæ extremum uiduam permanentem. Vnde in nuptijs olim ueteres post Hymenæum Cornicem inuocabant. Cornices etiam accipi solent pro ijs qui se sapientiores, & aliorum duces esse uolunt: Vnde prouerbium: Cornicis oculos configere, quo pro Murena usus est Cicero: quod perinde ualet, quasi dicas, nouo quodam inuento ueterum eruditionem obscurare, efficereq; ut superiores nihil scisse, nihil uidisse uideantur.

*Cornicula*

*Cornicis oculos ſſgere.*

## GRACVLVS, ET MONEDVLA.

Graculus, Græcis κορακίας. Gall. *Vng Gay*. Et Monedula. Græcis κολοιός, sunt eiusdem generis aues. Germa. em Dole/ Tule. Gall. Choüette. Graculum dictum putant quasi garrulum, est enim garrula auis: nonnulli à gracilitate deducunt, quòd parua sit auis. Monedula uerò dicta quasi Monetula: mira enim est huic furandi, & monetam auferendi natura: Vnde Cicero in oratione pro Flacco: Non plus aurum tibi quàm monedulæ committebant. Plin. lib. 10. cap. 29. Immensa, inquit, finitimo Insubrum tractu examina graculorum monedularum, cui soli auifuracitas auri argentiq; præcipuè mira est. Humanam uocem summa dicacitate imitatur. Fastidium annuum, autore Plin. lib. 8. ca. 20. foliis lauri purgant.

## PICA.

Pica, Græcis κίττα. Ger. ein Atzel/ Egerst/ Herze. Auis est loquacissima, partim albo, partim nigro cōspicua colore: linguam reliquis animātibus latiorem habet, qua humanæ uocis est æmula. Quam tamen facilius æmulari putant eas, quæ glandibus uescūtur, & quarū pedibus, ut hominis, quini digiti numerātur. Custos & excubitor locorum est, quibus nidos suos collocat, clamore suo omnia prodens. De hac Martialis:

*Pica loquax certa dominum te uoce saluto,*
*Si me non uideas, esse negabis auem.*

Carnem eius difficulter, nisi detracta cute, coqui tradunt: pullorum carnem comestam, uisum ferunt acuere.

CVCV-

## CVCVLVS.

CVculus, Græcis Κόκκυξ, Germa. **ein Guckguck/Gutzgauch/Gauch.** Gall. *Cocou.* Auis est nota, colore cinereo, in salicibus plerunq; nidificans, uere primùm conspicitur, sub Caniculæ ortum occultatur. Hyeme in nido nudum abscondi tradunt. Sapientem uocat Aelianus auem, quippe cui excludendi facultas non sit, propter frigidam naturam, in Alaudæ & luteolæ nido parit, quòd non ignoret ab his oua suis similia pari solere. Si autem earum auiũ nidos uacuos repererit, in alios diuertit, ubi oua sunt, hisq; sua immiscet: quæ si plura fuerint, ex his quædam perdit, & in eorum locum sua supponit, quæ non ab earum ouis ob similitudinem internosci possint, quæ postea ab Alauda & luteola excluduntur. Addit Plin. lib. 10. cap. 9. Educat ergo subditum adulterato fœta nido. Ille auidus ex natura præripit cibos reliquis pullis, itaq; pinguescit, & nitidus in se nutricem cõuertit: illa gaudet eius specie, miraturq; se ipsam quòd talem pepererit. Suos comparatione eius damnat, ut alienos, absumiq; etiam se inspectante patitur, donec corripit ipsam quoq;, iam uolandi potens. Et lib. 30. cap. 10. de Cuculo sic scribit: Aliud est Cuculo miraculum, quo quisq; loco primùm audiat alitem illam, si dexter pes circunscribatur, ac uestigium id defodiatur, non gigni pulices ubicũq; spargatur.

D

## ARDEA.

ARdea uel Ardeola, Græcis Ἐρωδιός. Germ. **ein Reyer.** Gall. *Heron.* Auis est alta grauisq;, uehementis uolatus, qui si altior fuerit serenitatem denunciat. Victum ex piscibus quærit: nidum in syluis super excelsissimas arbores construit. Bellum est ipsi cum accipitre, cui podicem obuertens pennas eius concacat: quæ infectæ hoc fœtore computrescunt.

## PALVMBVS.

PAlumbus, Palumba, & Palumbes. Græcis Φάτται. Ger. **ein Holtztaub/Hochtaub** Gall. *Ramier.* Ex Columbarum est genere, syluestris uerò. Sunt enim apud Aristotelem lib. 8. quinq; Columbarum species, uidelicet φάψ, φάττα, quas Theodorus una uoce Palumbi, Latini sermonis inopia conuertit. περιστερὰ, id est, Columba. οἰνὰς, id est, Vinago, sic dicta, quòd uindemiæ tẽpore potissimùm appareat: Et τρυγὼν, id est, Turtur, de quo mox dicemus. Auis est pudicitiq; & castitatis obseruantissima, adeò ut si coniugem suam amittat, alteri se amplius non coniungat. Pariunt bis in anno. Fœminam à matutino ad meridiem usq;, marem uerò reliqua diei parte ouis incubare ferunt.

*Columbarũ species*

*Vinago.*

Sanguis palumborum rubentibus oculis prodest. Caro eorum cum aceto

A aceto cocta dysentericis, & cœliacis auxiliatur. Stercus eorũ calculum, & uesicæ passiones adiuuat.

## TVRTVR.

TVrtur, Græcis Τρυγὼν. Germa. **ein Turteltaub.** Gall. *Turterelle.* Ex columbarum est genere, ut in Palumbo dictum est. Locis gaudet amœnissimis, tutissimisq;. Hyeme in cauernis arborum agit: Nido suo folia alij syluestris alligat, quod lupum nouit fugere, ne pulli eius ab eodem deuorẽtur. Occultantur uere, ut testis est Plinius, pennasq; amittũt.

Calidus turturis sanguis tumentibus, dolẽtibusq; auribus instillatur.

Dextræ alæ sanguis oculis instillatus prodest. Stercus eorum maculas faciei exterit.

## PERDIX.

PErdix, Græcis, Latinis, & Gallis. Germa. **ein Rephũn.** Vocant etiam Cacabas, à sono, quem habet, de quo in Philomela apud Ouidium: Cacabat hinc Perdix. Circa terram uolitat, ut currere magis, quàm uolare uideatur. Ferunt noctu posteriobus partibus corporis inuicem coniunctis, auersa facie dormire. De his Plin. lib. 10. cap. 33. Capiuntur, inquit, Perdices pugnacitate libidinis, contra aucupem exeunte in prælium duce totius gregis.

B Capto eo procedit alter, & subinde singuli. Rursus circa conceptum fœminæ capiuntur, contra aucupem fœmina exeunte, ut rixando abigat eum. Nec in animali alio par opus libidinis. Si contra mares steterint fœminæ, aura ab ijs flante prægnantes fiunt. Hiantes autem exerta lingua per id tempus æstuant, concipiuntq; superuolantium afflatu, sæpe uoce tantum audita masculi. Adeoq; uincit libido etiam fœtus caritatem, ut illa furtim, & in occulto incubans, cùm sit fœmina, aucupe accedente marem recanat, reuocetq;, & ultrò præbeat se libidini. Rabie quidem tanta feruntur, ut in capite aucupantium sæpe cæcæ metu sedeant. Si ad nidum cœperit is accurrere, procurrit ad pedes eius fœta, prægrauem, aut delumbem se simulans, subitoq; in procursu, aut breui aliquo uolatu cadit, fracta aut ala, aut pedibus: aut procurrit iterum, iamiam apprænensurum effugiens, spe frustrans, donec in diuersum abducat à nidis. Eadẽ iam pauore libera, et materna reuocante cura, in sulco resupina gleba se, terra pedibus apprænensa, operit. Vita eorum ad 16. annos durare existimatur.

Perdicum caro, ut autor est Simeon Sethi, bene concoquit, boniq; succi est, præsertim si non statim post interitum, sed post unum, aut alterum diem comedatur: sic enim abijcit, quod est durũ. Sistit quidem uentrem, & sanguinẽ tenuem gignit. Et si sanguinem crassum inueniat, extenuat, & præsertim axillæ, quæ reliquo huius uolucris corpore facilioris sunt cõcoctionis. Prosunt uerò ociosis, inexercitatisq;, ac ijs, qui imbecillio-

res sunt, ac inualidi, & qui tenuioris diætæ esse dicuntur, quiq; humido C sunt stomacho. Huius autem medulla, si cum uino bibatur, ictericos sanat. Iecur uerò comitiali morbo laborantibus confert. Fel quoq; suffusionibus oculorum à principio ualde prodest: facit & ad ipsorum hebetudinem. Memoriam adiuuat, si singulis mensibus cum eodem felle tempora perungantur.

## ATTAGEN.

ATtagen ab Attagena, Græcis ὁ ἀτταγήν, uel ἀτταγᾶς Aristophani. Ab Alexandro Myndio apud Athen. lib. 9. Dipnos. describitur hunc in modum: Auis est Perdice paulò maior, cuius dorsum uersicoloribus maculis est distinctum, testæq; figulinæ coloris speciem gerit, nisi quòd magis rufum est. Graui est corpore, & breuibus alis, ut à canibus facilè capiatur. Pulueratione gaudet, & sicuti gallinacei grano utitur. Caro eius ad coquendũ facilis. Valla in Raudensem Italis Francolinum appellari scribit. Frequentissimus in Catalonia, à cuius incolis Franconil uocatur. Aristophanis interpres seruos quibus frequẽtia stigmata faciẽ deformarẽt, à poëtis Attagas, dorsi huius auis similitudine, appellatos fuisse scribit.

Francolinus. Franconil

## COTVRNIX.

COturnix, Græcis ὄρτυξ. Ger. **ein Wachtel**. Gal. *Caille*. Coturnix à uoce, ut Festus ait, nomen accepit. Plurima eius copia ad Delum insulam ex mari uolat, Vnde Delium Ortygiam dictam Athenæus refert. Auis est notissima. Hyemis aduentu agminatim, ut uix unam amplius sit uidere, diffugiunt. Veratro uictitat & pinguescit. Vnde Lucretius lib. 4. D

*Præterea nobis uer atrum est acre uenenum,*
*At capreis adipes, & coturnicibus auget.*

## MERVLA.

MErula, Græcis κόσσυφος. Ger. **ein Amsel**. Gal. *Merle*. Merulæ dictę sunt, ut M. Varro habet, quòd mergę, id est, solitariæ uolitant. Auis est nigra ad rubedinem quadantenus accedẽs. Circa Cyllenen Arcadiæ cãdidas nasci, nec uspiam alibi, autor est lib. 10. cap. 30. Plin. In uicina tantùm, ut idem lib. 10. cap. 24. testatur, abeunt. Aestate cantu se demulcent, hominumq; uocem æmulari studeant: hyeme balbutiunt: circa solstitium sunt mutæ. Lauacris frequẽter gaudẽt. Rostrũ quotãnis in albedinem cõmutatur. Excrementa merularum, quæ oryza uescuntur, contusa, & cum aceto temperata, lepram nigram imposita purgant, cutisq; maculas extergent.

## TVRDVS.

TVrdus, Græcis κίχλη. Ger. **ein Krametuogel**. Gall. *Vne Griue*. Inter lautas epulas niuali hyemis frigore potissimũ uisitur & capitur, cũ uictus gratia ad loca iuniperis cõsita tendit. De hoc Mart.

Inter

*Inter aues turdus, si quis me iudice certet,*
*Inter quadrupedes gloria prima lepus.*

Et Horatius:

*Nil melius turdo, uulua nil dulcius ampla.*

Ventriculum baccis iuniperi refertum habet, qui non, ut in cæteris auibus, euacuatur, sed nobiliores in mensa partes uendicat.

Duplicem huius faciunt differentiam: Marem & fœminam: alterum genus **Zymmern** appellant. Caro eius, ut Galenus asserit, quàm Perdicis & Attagenis est durior.

## MERGVS.

MErgus, Græcis κέβυξ. Gall. *Vng Plonget*. German. **ein Taucher**. Mergus à mergendo, autore Varrone, est dictus, quòd cibum captãs, subinde in aquas se immergat. Vnde etiam Germanicum nomen accepit. In aquis enim piscibus insidians ex eorum captura uictitat.

## PICVS.

B

PIcus, qui Martius cognominatur, nomen habet à Pico filio Saturni, qui in auspicijs suis hac aue utebatur. Martius cognominatus, quòd Marti sacer esset. Vnde Ouid. in Fastis: Martia picus auis &c.

Græcis Δρυοκολάπτης, hoc est, Quercus percussor, quòd robora rostro suo excauet. German. **ein Specht/ Rotspecht**. Gall. *Vng Piuert*. *Vng Pic*. Auis est corpore non adeò magno, collo rubro, rostro longo, & præduro adeò, ut etiam quercus excauet.

## PSITTACVS.

PSittacus, Græcis Ψιττάκη. Germ. **ein Sittich/ Papengey**. Gall. *Vng Petroquet*. In Indiæ ripis est frequentissima, ubi tamen eam comedere religio est. Sacra enim esse putatur, quòd humanam uerborum appellationem ex planata oris expressione imitando consequatur. Colore est uiridi, circulo in collo rubro, lingua lata, rostro adunco, eoq; durissimo, in quod, si quando è petra prolabitur, se excipit, ut Plin. lib. 10. cap. 42. testatur. In uino præcipuè lasciua. De hoc Martialis:

*Psittacus à uobis aliorum nomina discam:*
*Hæc didici per me dicere, Cæsar* AVE.

Ad Venerem est promptissima. A pluuia ferunt aqua eam perimi, cũ omnium alioqui sit aquarum patiens. Summa ei cura caudæ, quam rostro assiduè purgat & expolit.

## VPVPA.

VPupa, Græcis ἔποψ. Germ. Widhopff. Gall. *Huppe & Putput*, à fœtore. Capite est cristato. Nidum suum hominis stercore, luti loco, illinit, ne homines ad pullos suos accedant. Pulli consenuisse parentem uidentes, nec amplius prouolare posse, pennas ei seniores extrahũt, oculosq; & alas herba quadam peculiari, ut reiuuenescat, illinunt. Pennæ eius phrenesin sedare, capiti impositæ, feruntur. Quomodo Tereus rex Athenienſium sit mutatus in Vpupam, Vide apud Ouid. lib. 6. Metamorph.

## STVRNVS.

STurnus, Græcis ψάρος. Germa. ein Staar. Gall. *Estourneau*, auis uulgo nota. Stercus eius, Galeno teste, moderatam desiccandi, & abstergendi facultatem obtinet: Vnde ephelim à facie, uitiliginemq; & lichenas tollit. Quod Crocodilorum quoq; terrestrium stercus præstat: sed moderatius est sturnorum.

## PASSER.

PAsser, Græcis στρουθός. German. ein Spatz. Gall. *Vng Moineau*. Auis est parua, ad parietum foramina nidos faciens, cui propter salacitatem uita est brevissima, ut etiam prouerbio salacitas eius locum fecerit, quo dicitur: Passere salacior. Plinius li. 10. cap. 36. Mares annum tantùm uiuere, fœminas uerò diutius, asserit: Comitialem morbum nonnullis locis creduntur sentire, idq; secundum Aristotelem, quia hyoscyami semine uescuntur. Caro eorum est calida, & ad Venerem incitans. Excrementa eius ad erugandam faciei cutem ualent.

## HIRVNDO.

HIrundo, Græcis χελιδών. Germa. ein Schwalbe. Gall. *Harondelle*. Notissima est auis, ueris nuncia, ad tecta ædium templorumq; nidos construens. Fabulantur poëtę, Prognen Terei regis uxorem in hanc auẽ mutatam, ut est apud Ouid. lib. 6. Metamorph.

In hirundinis uentre lapis inuenitur, Chelidonius dictus. In pullis quoq; earum decrescente luna duos inueniri lapillos ferunt, alterum nigrum, alterum rubeum. Ruffum uitulino aut ceruino corio illigatum, brachioq; suppositum, comitialibus prodesse tradunt. Vide plura suo loco inter lapides. Cinis hirundinum cum adipe & melle hebetudinem oculorum illitu sanat: anginæ item medetur. Nidus hirundinum tritus cribratusq;, & cum melle & adipe temperatus, earundem est uirium, ut experientia est comprobatum.

PHILO.

## PHILOMELA.

PHilomela, aliàs Luscinia. Philomela poëtis dicta, à fabula de Philomela sorore Prognes, quam est uidere apud Ouid. lib. 6. Metam. Græcis ἀηδὼν, ab ἀεί & ἄδω, quasi perpetuò canens. Alijs Acredula, Græcis ἀηδολυγὼν, quam tamen alij aliam faciunt auem. Ex earum auium est genere, ex quibus futura tempestas prædici potest, ut Aratus scribit: ἢ τρίζει ἀηδὼν ἐρημαίη ἀηδολυγών, quod sic Cicero uertit: Et matutinis Acredula uocibus instat. lib. 1. de Diuinatione. Luscinia. Acredula.

Philomela uerò dicta, quòd cantum amet. German. **ein Nachtgall.** Gal. *Rossignol.* Plin. lib. 10. cap. 29. Luscinijs, inquit, diebus ac noctibus continuis quindecim garrulus sine intermissu cantus, densante se frondium germine non in nouissimum digna miratu aue. Primùm tanta uox in tam paruo corpusculo: tam pertinax spiritus. Deinde in una perfecta musicæ scientia modulatus editur sonus: & nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc uariatur inflexo: nunc distinguitur concisò: copulatur intorto: promittitur: reuocatur: infuscatur ex inopinato, interdũ & secum ipsa murmurat: plenus, grauis, acutus, creber, extentus, ubi uisum est uibrans, summus, medius, imus: breuiterq; omnia tam paruulis in faucibus, quæ tot exquisitis tibiarum tormentis ars hominum excogitauit. Singulis sunt cantus, & non idem omnibus, sed suus cuiq;. Certant
B inter se, palamq; animosa contentio est. Victa morte finit sæpe uitam, spiritu prius deficiente quàm cantu. Meditãtur aliæ iuniores, uersusq; quos imitentur, accipiunt. Audit discipula intentione magna, & reddit, uicibusq; reticent. Intelligitur emendatæ correctio, & in docente quædam reprehensio. Plura uide loco iam citato.

## CARDVELIS.

CArduelis à carduis nomẽ habet, quos maximè expetit, ut Aristoteles lib. 8. de hist. animal. testatur: qua etiam ratione Græcis dicitur ἀκανθὶς & θρωνίς. Germa. **ein Distel uogel/ Distelfinck.** Gal. *Chardonneret.* Statura est exigua, pectore flauo, capite rufo. Vulgò nota & amata.

## ALAVDA.

ALauda, Græcis κόρυς, κόρυδος, & κορυδαλὸς, à galea quã in capite gerit: Vnde Latinis etiam Galerita & Cassita dicitur. Germa. **ein Lerch.** Gall. *Alouette.* Vere statim prodeunte in agris conspicitur, cantu & uolatu lætitiam præ se ferente. Nec nisi sursum euolans cantillat. Ac tardius quidem euolat, uelocius uerò deuolat. Caro eius aluum contrahit. Ius uerò aluũ ciet. Galerita. Cassita.

## CHARADRIVS.

Rupica. CHaradrius auis est, cuius meminit Aristoteles lib. 8. de hist. animali- C
cum, ac Theodorus Gaza Rupicam uertit. Est etiam eius mentio in sa
cris Biblijs, Leuit. 11. & Deut. 14. Heliodorus in historiæ Aethiopicæ
lib. 3. eiusdem mentionem facit, ὁ χαραδριὸς, inquiens, τὸς ἰκτεριῶντας ἰᾶται, id
est, Charadrius ictericos sanat. Plato etiam in Gorgia eundem adducit.
Et prouerbium est de hoc: Charadrium imitans. Hancei uirtutem asseri
bunt, quòd icterici in eum respicientes morbo liberentur. Vnde aucupes
auem hanc uendentes occultant, ne gratis alicui commodet.

## CINCLVS.

Cinclus. Lynx. Motacilla CInclus Græcis auis dicitur & lynx, quæ Latinis Motacilla dicitur,
quòd semper caudam moueat: Vnde etiam Græci σεισόπυγίδα, ut Sui
das scribit, appellarunt. German. ein Wassersteltz. Gall. *Battemate* His-
panis Engana passor. Auis est infirma, & quæ per se nidum construere
non possit. Vnde pauperes rusticorum prouerbialiter Cincli uocantur.
Accipitur etiam pro incitamento metaphoricè. Vt apud Theocr.

ἴυγξ ἴλκει τὸν ἄνδρα· τὸ δ' ἔνορ ἐμὸν ποτὲ δ' ὦμα.

## MEROPS.

Apiaster. MErops Græcis, Latinis Apiaster, quòd apibus noceat, ut scribit Ari
stoteles lib. 9. hist. animal. Gall. *Mesange* Germa. ein Grünspecht/
ut quibusdam placet. Hæc auis, ut Aelianus refert, simul atq; uolare didi
cit, parentes alit, ob idq; omnibus alijs auibus pietate præstat. Describi- D
tur à Plin. lib. 10. cap. 33. pallido intus pennarũ colore, supernè cyaneo,
priori subrutilo. Nidificat in specu, sex pedum defossa altitudine.

## VESPERTILIO.

VEspertilio, Græcis νυκτερὶς Germa. ein Fledermauß/ quasi Mus ala-
tus. Gall. *Chauuesoris*. Vespertilio nominis id accepit, quòd uesperi
circũuolitet. Murium naturam & uocem habet: alarum uice membranã
magis quàm pennas possidet. In caminis fornacum, & ubi carnes suspẽ-
duntur suillæ se continet. Solus hic uolucrium animal parit, & lacte nu-
trit, ubera admouens, ut Plin. ait, lib. 10. cap. 61.

## AEGITHVS.

AEgithus & Græcis αἴγιθος, apud Aristot. lib. 9. animal. auis est mini
ma, dissidens cum asino: hic enim se spinis eius affricans, nidos eius
dissipat: quod adeò pauet, ut uoce rudentis audita oua deijciat.

## CAPRIMVLGVS.

CAprimulgus, auis est mõtana, paulò maior quàm Merula, minor ue
rò quàm Cuculus, in caprarum stabula aduolans, earumq; ubera su
gens, unde nomen accepit, qua iniuria uber extinguitur, & capræ cæci-
tas oboritur. Græcis αἰγοθήλας, eodem etymo. Germ. ein Geyßmelcker.
De his Plinius lib. 10. cap. 40.

APODES.

## APODES.

APodes, quòd usu pedum careant, quasi sine pedibus, ut ait Plin. cap. 39. lib. 10. Aliàs Cypselli. Germa. **Rheinschwalben/ Spiren.** Hirundini usq; adeò sunt similes, ut uix discerni ab eadem possint, pedes habent exiguos adeò, ut his carere uideãtur. Nulla his quies nisi in nido: aut enim pendent aut iacent. Cùm resederint fortè, manu facilè capiuntur, ob pedum nanq; breuitatem difficulter à terra attolluntur.

## CVRVCA.

CVruca Græcis ἡ ἐπωλαὶς, uel ἔπωλος. Germ. **ein Graßmuck.** Gall. *Verdon.* Auicula quæ Cuculi oua fouet & excludit.

## FICEDVLA.

FIcedula à ficuum esu nomen habet, sicut & Græcis συκαλὶς, quòd à ficu, ut Varro ait, pinguescat, uel quòd ficuum tempore capiatur. Germa. **ein Schnepff.** De huius natura refert Aristoteles lib. 9. de hist. animalium.

## FVLICA.

FVlica uel Fulix, Græcis κίπφος, Cepphus, & quibusdam Diabolus, quòd furua sit. Viuit in mari uel stagnis, frequentissima ad ripas maris mediterranei ad montem Pessulum. Nonnulli interpretantur **ein Hagelganß/ oder Belhinen/ ein Dauchent/ Schwartztaucher.**

## FRIGILLA.

FRigilla, Græcis σπίζα. sic dicta, quòd frigore cantet & uigeat. Germ. **ein Büchfinck.** Gal. *Beree.* Auis notissima.

## GALLINAGO.

GAllinago, Græcis σκολόπαξ, uel σκαλόπαξ. Auis est Attageni similis pẽnis, magnitudine Gallinulæ, rostro longo, cursu celeri. Hanc Nemesianus poëta his depingit uersibus:

*Cùm nemus omne suo uiridi spoliatur honore,*
*Fultus equi niueis syluas pete protinus altas*
*Exuuijs, præda est facilis & amœna Scolopax,*
*Corpore non Paphijs auibus maiore uidebis.*
*Illa sub aggeribus primis qui proluit humor*
*Pascitur, exiguos sectans obsonia uermes.*
*At non illa oculis, quibus est obtusior, etsi*
*Sint nimium grandes, sed acutis naribus instat,*
*Impresso in terram rostri mucrone, sequaces*
*Vermiculos trahit, & uili dat præmia linguæ.*

## TARDA.

TArda, Græcis ὠτὶς, uel ὄτὶς. Tarda à tardo uolatu est dicta. Nam, ut Xenophon apud Athenæum ait, uolatu adeò breui utitur, ut si quis instet, eam capere possit. Græcis uerò ὠτὶς dicitur à plumis circa aurē demissis, ita ut auriculas referant. Atheneus eandem imitatricem uocat eorum quæ homo facit, atq; hoc modo ab aucupibus capi. Hi enim pharmaco aliquo κομμιζκῷ oculos inungunt, quod dum hæc auis imitari studet, cæca fit, & facilè capitur. Caro eius inter grues & anseres est media.

## REGVLVS.

Trochilus.

REgulus & Regaliolus. Græcis τροχίλος, et πρηστὴς. Gal. *Vngroytelet*. Germ. **ein Künglin/ Zaunkünglinn/ Zaunschlupfferlin.** Auicula est paruula, & clamosa, pullos simul excludens multos.

## QVERQVEDVLA.

QVerquedulæ meminit Varro lib. de re Rust. 3. inter eas aues numerans, quæ non contentæ solùm terra sunt, sed aquam requirūt, uelut Anseres & Anates.

## ORTYGOMETRA.

ORtygometra, Græcis ὀρτυγομήτρα. Auis describitur apud Atheneum turturis magnitudine, cruribus longis, colore inter croceum & uiridem medio. D

## APIS.

APis & quibusdam apes. Græcis Μέλισσα. Vnde Melissophyllon herba dicta est, cuius flore gaudent. Germ. **ein Byne.** De harum genere, cura, solertia, industria, diligētia, cæterisq;, uide lib. 11. nat. hist. Plin. à cap. 5. ad caput 21. Vergilium item in Georgicis, ubi de reparatione apum agens:

*Progenerantur* (inquit) *equis ue spæ, sed gignit apes bos.*

Regem sibi quem uelut ducem sequuntur eligūt, quem operi suo præfectum habent.

Mel ex floribus colligētes, illud pedibus anterioribus ad medios, posteaq; ad iuncturas recondunt, ad domicilia sua hoc pacto apportantes.

De Melle & Cera suprà peculiari capite est actum.

## FVCI.

FVcus, Græcis Κηφὴν. Germa. **ein Hummel.** Ex apum sunt genere, sed sine aculeo, & uelut apes imperfectę. Suntq; ab emeritis apibus inchoati fœtus, reliquarū quasi seruitia. Hos cùm mella cœperint matureſcere, apes abigunt. Meminit eorum Virg.

*Ignauum*,

*Ignauum*, (dicens) *fucos pecus à præsepibus arcent.*
Vide de fucis plura apud Plin. lib. 11. cap. 11.

## VESPA, ET CRABRO.

VEspa, Græcis σφήξ. Germ. **ein Weſpe.** Crabro Græcis ἀνθρήνη, & ἄνθρηνος. German. **Hurnuſſen.** Forma ſimiles ſunt, magnitudine uerò differunt: ſiquidem crabrones minimi digiti plerunq; longitudinem æquant. Vtriſq; aculei aſperi & noxij, quorum ictus tumorem excitat. Veſpæ autem in ſublimi potiſsimùm nidos faciunt, crabrones uerò in cauernis plerunq;, & ſub terra. De his Plin. lib. 11. cap. 21.

Ictui ueſparum terra quæuis recens, præſertim Cimolia, aut quæ ſub uaſis aqueis effoſſa fuerit, medetur. Polium item illitum. Sal præterea cũ aceto & melle. Caprinum etiam lac ueſparum uenenum extrahit.

## SCARABEI.

SCarabeorum plura ſunt genera: Sunt enim quos ceruos uolantes & Lucanos uocant, Germa. **Schröter/** quorum alter mas eſt, cornua habẽs oblonga, & ceruorũ modo ſecta: alter fœmina, breuibus & rotundis cornuibus. Sub ueſperam potiſsimùm circunuolitant. Amputatum huic caput in nonum ſæpe diem trunco corpore uiuit. Sunt item Scarabei equini, Ger. **Roſskefer/** ex ſtercore equino naſcentes, circa quod præſertim conſpiciuntur. Tertium genus eſt, quod ueris initio copioſum plerunq; cernitur alis ferè puniceis, Germa. ſimpliciter **Kefer/** quorũ eſu gallinæ delectantur. Omnibus alæ ſunt duplices, exteriores duriores, & cortici ſimiles, ſub his latentes molles & teneras.

*Cerui uolantis. Lucani.*

## CANTHARIDES.

CAntharides ex Scarabeorũ ſunt genere, inſecta oblõga, parua, & uiridia, ſiue aurei coloris, Germ. **Goldkefer/ Goldwürmlin.** Harũ multus in Medicinis eſt uſus. Optimę ſunt quę in pratis colligũtur. Calidæ ſunt & ſiccæ in primo gradu. Perimũtur aũt aceti uapore ſolo corpore, alis & capite reſectis, ſumpto. Tuberculis corporũ in leproſis impoſitę ferũt opem. Naturæ ſunt calidiſsimæ, unde ad hulcera maturãda aperiendaq; adhibent̃. In pulueres tritæ, ſanguineq; hircino uel maſtiche mixtę, in uino ſumptę, intumẽti corpori ſunt utiliſsimæ. Tritæ cũ aceto leprę utiliter illinũtur. Eodẽ modo capillos capitis producũt. Cũ oleo coctæ hulcera emolliũt & aperiũt. Cũ cerato ungues digitorũ demũt. Verrucas pelliũt. Albas faciei puſtulas, cũ aceto illita ſanãt. Cũ oleo ad mellis ſpiſsitudinẽ coctę, ſcabiẽ, pſoras & nomas diſcutiũt, ſanantq;. Sũptę forte Cãtharides extrema corpori hominis mala inducũt, ueſicãq; exulcerãt.

Contra

Contra quarum potionem remedia est uidere apud Dioſc. li. 6. ca. 1. C
Quomodo uites à Cantharidibus sint defendendę, est initio huius operis expoſitum, ubi de hortorum cura est dictum.

## BVPRESTIS.

Βούπρηστις, Bupreſtis à re nomẽ habet, quòd boues rumpat inter herbas fortè ſumptus. Germa. **ein Qualſter.** Scarabeis ſimile est animal, altis ingrediens pedibus, fœtore peſsimo, adeò ut cimices etiam ſuperet, ac frondes fructusq;, per quos repſerit, inficiat. Arefacti ad eoſdem uſus cum Cantharidibus aſſeruantur. Calfaciunt, aperiunt, ſcabiem, pſoram, uitiliginem, & carcinomata ſanant. In potu fortè ſumptæ ſunt letales. Remedia uerò ſunt iſjs eadem, quæ ad hauſtas Cantharides proſunt. Vt est cernere cap. 3. lib. 6. apud Dioſc.

## CICINDELA.

Cicindula & Cicindela, Grȩcis λαμπυρὶς, & πυρολαμπὶς Ariſtoteli, quòd ignis aut ſcintillæ inſtar noctu fulgeat, Vnde nonnulli noctilucam & nitedulam appellant. German. **S. Joannes fliegen/S. Joannes Kefer.** Sub crepuſculum ueſpertinum, nec ante, nec etiam poſt meſſem, ſed ipſo meſsis tempore, maturo pabulo, circa tempus nimirum Diuo Ioãni Baptiſtæ ſacrum, à quo Germanica appellatio est ipſi indita, haud aliter atq; ignea ſcintilla noctu lucens, ut hinc noctilucam aliqui uocent, D circunuolitat. Elegantibus hanc uerſiculis Antonius Thyleſius Coſentinus depinxit, quos non pigebit ſubnectere, habentq; ſe in hunc modum:

*Tantula nocte uolans uolucris micat aëre tantum,*
*Ardenti ſimilis ſcintillæ, quam puer olim*
*Aequales inter metuebam tangere, ne me*
*Vereret, infirma est ætas cùm neſcia rerum.*
*Quæ quoniam noctu lucet, cognomen adepta est,*
*Aut incenſa nitet quoniam uelut ignea lampas:*
*Cauſa ſit una licet, nomen non est tamen unum.*
*Hæc modò ſumma petens commotis emicat alis,*
*Rurſus & adductis fuluum decus aurea condit,*
*Ardentiq; procul fugiens leuis igne coruſcat.*
*Et quocunq; uolat, ſecum ſua lumina geſtat,*
*Lumina, quæ tenebras arcent, quæ flamina temnunt.*
*Nunc, uelut obſequioſa uidentibus, aduolat, atq;*
*Fit magis atq; propinqua magis, ſcintillat & ante*
*Ora, minuta uelut candentis fruſtula ferri.*
*Verbere quæ aſsiduo fornacibus excutiuntur.*
*Ex quo rapta Ioui Stygio Proſerpina, nanq;*
*Vna fuit comitum: Veterem mutata figuram*
*Quærit adhuc dominæ ueſtigia, & omnia luſtrat.*

MVSCA.

## MVSCA.

MVsca, Græcis Μῦια, Germa. ein **Muck/ Fliege.** Ex putredine sordibusq; æstiuo tempore nascuntur muscæ. Perimũtur autem Pipere uel Arsenico cum lacte trito. Thuris item suffitu, & sambuci aqua. Vstæ cum melle alopecias restituũt. Ex muscis uulgaribus aqua stillata, maculas, & oculorum pterygia, ad quatuor hebdoarum tempus oculis sub uesperam instillata, pellit. Capilli, si sæpius hac madefiant, longitudinis incremẽtum maximum acquirunt. Distillantur autem simpliciter per pannum in olla fictili: siquidem per alembicum distillatæ galeam odore suo inficiunt.

## CVLEX.

CVlex, Græcis Κώνωψ. Germa. **Erdfliegen/ Erdflöhe.** Generatim tamen significat omnes uermiculos paruos, alatos. Contra culices & cimices suffitus fit ex nigella, myrrha, sulphure, bdellio, fœtidis carduis, & uaccæ excrementis. Contra hortorum satorumq; culices fuligo camini, aqua galbani, siue sulphure mixta spargitur.

# DE ANIMANTIBVS
### AQVATILIBVS, HOC EST, DE PISCIBVS.

B

## DE PISCIVM NATVRA.

PISCIVM omnium natura est frigida et humida. Alij tamen alijs sunt meliores, pro aquarum & locorum, quibus degunt, ratione. Qui enim *Boni.* in petris & saxis, fluminibus itẽ puris & limpidis agunt, cæteris sunt meliores, ac succi etiam boni, concoctionisq;: Ac cũ omnium piscium esus in cunctis morbis sit damnatus, horum tamen usus aliquando conceditur, uelut fundulorum, qui saxeis & puris aquis gaudent: similiter Auratarum, Luciorum minorum, barbatulorum, percarum. Proximi bonitate sunt marini. Sed qui in paludibus, & cœno nutriuntur, omnes sunt mali. Ve *Mali.* lut tencha.

Porrò in electione bonorum, seu boni succi piscium, certa quædã spe *Signa bonorum pi scium.* ctantur inditia, Vt uidelicet mollem teneramq; carnem habeant, ut sint squamosi, non glutinosi, non olidi, non nimis pingues: siquidem omnis

pinguedo

pinguedo mala, ut dicitur, piſcium autem peſsima: ut in aëre non ſtatim alterentur, aut corrumpãtur, guſtu ſint ſuaues, cute tenui. Atq; huiuſmodi piſces probè concoquuntur, & bonum gignũt ſanguinem, proſuntq; non exercitatis, ocioſis, imbecillibus, & de morbo ſe reficientibus. G

Piſces etiam, qui in locis degunt uentoſis, non ſunt boni, & ſi marini, his plus.

Marini autem piſces melius quidem concoquũtur, ut ſcribit Simeon Sethi, ſed difficilius redduntur: contrà fluuiatiles difficilius concoquuntur, ſed melius redduntur.

Omnis autem ſanguis, qui ex piſcibus gignitur, eſt tenuior, quàm qui ex terreſtrium animantium carnibus generatur.

Quibus proſint piſces, quibuſq; obſint.

Piſces conferunt his, qui flaua bile abundant, ſcribit Simeon Sethi, pituitoſos uerò lædunt, & qui molliores, laxioréſue habent neruos, & præcipuè hyeme, & qui in frigidis uiuunt regionibus: obſunt item ijs, qui piſcium nutrimento non ſunt adſueti, ſiti enim laborant, præſertim, ſi frigidi ſint, & humidi, magisq;, ſi uentre ſint biliоſo.

Præterea parui piſces, qui in aqua pura, & fluente per terram rubram, arenoſamq; uerſantur, ſunt boni: maiores uerò, & cetoſi ſunt craſsiores, & difficulter concoquuntur, humorem craſſum generantes. Ius, quod ex ſaxatilibus fit piſcibus, uentrem ciet. D

Cœnę deſtinati piſces his uulgò continentur uerſibus:

*Lucius, & perca, & ſaxaulis, & albica, tencha,*
*Sornus, plagitia, & cum carpa, Galbio, truta.*

Lucius. Perca. Lucius, quid, infra dicetur. Perca, Germa. ein Berſig. De quo Auſonius:

*Nec te delitias menſarum perca ſilebo.*

Saxaulis. Albica. Tencha. Sornus. Plagitia. Pecten. Galbio. Truta. Aurata. Saxaulis, piſcis marinus. Germa. ein Zunge. Gall. *Sola.* Albica, itidem marinus. German. Fitting. Tencha, German. ein Tinch/ oder Schleihe. Sornus eſt marinus, minimus, Germa. ein Garnart. Plagitia, aliàs Pecten, Germ. Schollen/ Plateiſe. Carpa uel Carpio, ein Karpff. Galbio, ein Rodtbart. Truta, aliàs Aurata, ut putatur, ein Forel/ & Variola.

Sed præter hos plurimi adhuc alij, & diuerſis locis uarij inueniuntur, quorum aliquot explicabimus poſtea.

De electione etiam piſcium traditur Diſtichon:

*Si piſces molles, ſunt magno corpore, tolles,*
*Si piſces duri, parui, ſunt plus ualituri.*

## DE SALITIS ET ARIDIS PISCIBVS.

Omnes ſaliti & aridi piſces mali ſunt, ac facilè in corpore corrumpũtur: ac totum corpus, ſi frequenter edantur, alterant. Vnde à Phlebotomia à ſalitis piſcibus abſtinendum aiunt, quòd alphos, & ſcabiem generent.

A rent. Simeon Sethi ſalitos piſces calidos & ſiccos refert, craſſosq; humores incidere & extenuare, idq; magis ſi boni ſint ſucci. At qui dura ſunt carne, cùm ſaliti ſunt, maiore ſunt pręditi malitia.

## PECVLIARES PISCIVM PARTES.

Prędeferuntur etiam in piſcibus alię partes alijs, ut Lupi reliquis partibus prędualet cauda: Dignitas primaria debetur eiuſdem iecori. Carpo expetitur capite & lingua: Barbatuli laudatur os. Fundulus tota ualet ſubſtantia. In cancris peculiarem dignitatem habent, quibus ſub cauda oua latent.

## HALEC. SALPA.

Pectines.

B. HAlec, Grędcis Μαῖς. Germ. **Hering**/ in neutro & fœminino genere, ut apud Martialem:

*Cui portat gaudens ancilla paropſide rubra*
*Halecem, ſed quam protinus ipſa uoret.*

Salpa, σάλπη. Germanis **Stockfiſch**/ cuius meminit libro 5. de hiſtoria animalium Ariſtoteles, & Athenęus libro Dipnoſophiſtarum ſeptimo. Piſcis obſcœnus, & qui coqui non poſsit, niſi fuſte aut ferula percuſſus, ut Plinius lib. 9. cap. 18. ſcribit. Germanico fecit prouerbio locū, quo dicitur: Salpa petulantior, aut laſciuior, **Er fantaſiert wie ein Stockfiſch**. De hoc piſce Laurentius Lippius, Oppiani interpres, hoc luſit Diſticho:

*Salpa obſcœnus ego dicor, nec decoquor unquam,*
*Ni ferula cædens uerbera multa dabis.*

Pectinem uocant piſcem, qui Germa. **Plateſſa** dicitur, & **Schollē**. Gall. *Petoncles*. Pecten dictus eſt à ſimilitudine inſtrumenti, quo capilli pectuntur, quòd uidelicet ſpinę per corpus eius diſpoſitę eiuſmodi formam referant. Plagitiam alij uocant.

Noti ſunt omnibus hi piſces: ſiquidem Halec ſale cōditum ad nos copioſiſsimè adfertur: reliqui aridi maxima pariter aduehuntur copia.

Sicut autem omnes piſces ſale conditi & aridi ſunt peſsimi nutrimenti, ita etiam hi prędentes.

Pinguedo Halecis exulceratam cutem pectoris ſanat, & morſis à ſerpente medetur. Plurimūm autem ea utuntur ad corium Sutores.

## PASTINACA MARINA.

PAstinaca marina, Græcis τρυγών, Liguribus Ferrasa, Gallis ad montem Pessuli, *De la glorieuse*. Germani Rochum uocãt, qui in mari nostro gignitur, & aridus adfertur. Piscis est totus cartilagineus & mollis, latitudine ferè duorum cubitorum, os propemodum circa pectus habens, cauda longa & aculeata. Concoctionis est difficilis, alijs esui iucundus, alijs minimè. In mari uerò uenenatus fertur: quod de uulgari Rocho non potest intelligi.

## SALMO.

SAlmo piscis, quo Rhenus & Rhodanus clarent, satis magnus & pinguis, carne rubra, gustu suauis, & statim saturans, Germa. eadem appellatione **ein Salmen** dicitur. Gall. *Saulmon*. Idem muria conditus asseruatur mutato nomine: tum enim **ein Lachs** dicitur, quibus dã Ezox. Meminit huius Plinius lib. 9. cap. 18. eum omnibus marinis piscibus in Aquitania, cùm sit fluuiatilis, præferri. Salmonem porrò ex Farione seu Forella fieri, quum in mare ingressa ex eodem regressa fuerit, existimant, citãtes uersus Ausonij, quos de Farione scripsit, eum medium inter Salarem & Salmonem describens, de quo latius in Forella dicemus. De Salmone hunc in modum Ausonius refert:

*Nec te puniceo rutilantem uiscere Salmo*
*Transierim, latæ cuius uaga uerbera caudæ*
*Gurgite de medio summas referuntur in undas*
*Occultus placido cùm proditur æquore pulsus,*
*Tu loricato squamosus pectore, frontem*
*Lubricus, & dubiæ facturus fercula cœnæ,*
*Tempora longarum fers incorrupte morarum*
*Præsignis maculis capitis, cui prodiga nutat*
*Aluus, opimatoq; fluens abdomine uenter.*

## FORELLA.

Forella

A FOrella nobilis est hodie præ alijs piscis, magnatibus quoq; rarus, Latini ab auri colore Auratam & Oratam uocant. Græcis χρυσόφρυς, quòd caput eius auri colorem æmuletur. Ac eadem ratione Germanis **Goldforn.** Gall. *Truitte*. Aliàs Variola, & Fario Ausonio. De hoc Martialis: Aurata. Orata. Variola. Fario.

*Non omnis laudem preciumq; Aurata meretur.*

Alij Truttam uocant, cuius meminit Aelianus, pugnã ei cum Delphino esse tradens, quæ Oppiano Amia dicitur. Ausonius Farionis mentionem facit in sua Mosella, his uersibus: Trutta.

*Teq; inter geminas species neutrumq; & utrunq;,*
*Qui nec dum Salmo, nec iam Salar, ambiguusq;*
*Amborum medio Fario intercepte sub æuo.*

Ex quibus uersibus colligit autor Dialogi de piscibus, Carolus Figulus, Farionem seu Forellã, & Salarem, & Salmonem eundem esse piscẽ, ac Salarem dici Forellam adhuc tenerã: Farionem uerò iam mediæ ætatis: Salmonem autem iam grandem Forellam, & quæ mare ingressa, alterata forma inde sit regressa. De quo alijs suum iudicium esto. Præterea Thedonem quoq; eundem facit piscem, sed quo argumento, non uideo: siquidem sigillatim Ausonius Thedonis, speciatim quoq; Salaris, & deinde Farionis meminit. De Thedone sic ait: Salar. Thedo.

B *Et nullo spinæ nociturus acumine Thedo.*

De Salare uerò:

*Purpureisq; Salar stellatus tergora guttis.*

## ANGVILLA.

ANguillæ, Gall. *Anguille*. Germ. **ein Aal**/ ab anguiũ similitudine dictæ, octonis, Plinio teste, uiuunt annis, senis quoq; sine aqua spirãte Aquilone, diebus uiuentes. Aquas amant puras, & profundas, Vnde circa Vergilias, quo tempore aquæ maximè sunt turbidæ, potissimũ capiuntur. Noctibus pascuntur, & solę exanimes piscium non fluitant. Per uniuersam eius spinam filum transit nigrum, ueluti uenula, in quo uenenum absconditur, quod antequam coquatur extrahere conuenit. Et cùm omnis cibus non satis coctus noxius sit, hic tamẽ prę alijs omnibus: unde plus quàm reliquorum piscium coctio eius temporis requirit. Tosta uerò quàm cocta nutrimento est commodior, uitiosis scilicet humoribus per ignem sublatis. Porrò cùm omni aliàs tempore anguillæ à medicis reijciantur, tum maximè circa solstitium. Siquidem stomacho, & renibus sunt inimicæ, præsertimq; ijs qui arenulas mingere consueuerunt. Podagricis item obsunt, nec ullis morbis medentur. Pinguedinem uerò eius dolori aurium esse remedio ferunt.

## CANCRI.

Paguri.

CAncri, Græcis καρκῖνοι. Germ. Krebs. Gall. Crabes. Plinius cancrum pro cõmuni uocabulo ad omnia ὀστρακόδερμα, hoc est, teſtaceũ tegumentum habentia, ſumit. Aliàs pro peculiari teſtaceorum genere accipitur Germ. ein Krebs. Sunt autem alij fluuiatiles, non ignoti: ex quorum genere quoq; ſunt Paguri, qui dorſo ſunt aliquanto læuiore, quàm cæteri cancri, forpicibus ita magnis, ut quidquid comprehenderint, uehementer conſtringãt: hi dum coquuntur partim rufeſcunt, partim nigreſcunt: Veneti eos Porros uocant. Eſt etiam cancris aliquid ueneni in filo per medium caudæ tranſeunte latens, quo ante coctionem extracto ſunt innoxij.

Porri.

Alij ſunt Cancri marini, qui deſcribuntur lõgi, ſeſquicubitales interdum, nonnulli etiam rotundi.

De uſu cancrorũ, hæc Simeon Sethi prodidit: Cancri, inquit, ſalſum quendam ſuccum habent, minus tamen quàm ὀστρακόδερμα, hoc eſt, quæ teſta conteguntur: Ventrem nihilominus ſiſtunt, cùm in aqua ſalſum ſuccum in coctione dimittant. Fluuiatiles uerò paguri utiles ſunt exulcerationi pulmonis, ſed ueſicæ nocent. At doctiſsimus Conſtans, qui uocatus eſt Romanus, ait, quòd ſi fluuiatiles cancri in oleo coquantur, oleum inde confici ualde ſalutiferum, quod aurium dolores ex calore natos ſanat, ſi inſtilletur. Succurrit etiam hauſtum ijs qui difficulter ferunt uenenatam potionem, uel uenenatorum morſum: Proditum quoq; eſt, quòd ſi exiccati, tritiq; abſceſsibus induratis imponantur, eos mollire: Tela itẽ corpori infixa extrahunt. D

Fluuiatiles cancros ægrotis, qui calidioris ſunt naturæ, prodeſſe ferunt. Oculi in puluerem triti, & aceto & ſalſa aqua mixti, cutem dealbãt, eiusq; uitia exiccant curantq;. Tuſi ijdem aduerſus laterum puncturas bibuntur: addunt tamen nonnuli lupi piſcis mandibulam tuſam.

Ius coctorum cancrorum prodeſt aſthmaticis, & phthiſicis.

Aduſtorum cancrorum cinis cum melle deſpumato rimis pedum, ac ſedis illinitur.

Stillatitius etiam liquor ex cancris uiuis, in Balneo Mariæ plenilunij tempore uritur. Aquam hanc tabeſcentibus membris manè & ueſperi illitam eſſe auxilio referunt: eandem apoplexiæ bis in die potam ſuccurrere.

Cancrorum elegans eſt deſcriptio apud Homerum in Βατραχομυομαχίᾳ. Sunt autem uerſus eiuſmodi:

ὅς ῥα τότε Βατράχοισιν ἀρωγὸς θυθὺς ἔτετμεν.
ἦλθον δ' ἐξαίφνης νωτακμονες, ἀγκυλοχῆλαι,
λοξοβάται, σκληρόδερμοι, φαλιδόσομοι, ὀστρακόδερμοι
ὀκτάποδες, δικτηρνοι, ἀχειρίες, οἱ δὲ καλοῦνται
καρκινοι.

Quos

Quos sic conuertit Christophorus Aulæus Laureatus Poëta.

*Aduentum nullo, procul accessere, notante,*
*Duritie ferrum terga ipsa imitantia habentes,*
*Vnguibus innixi, ducentes agmina gressu*
*Obliquo, inflexi, muniti cortice, quorum*
*Ora ostrum referunt: sed natura ossibus ipsis*
*Sunt similes, latiq; humeros, splendore nitentes,*
*Blæsi, neruosi digitos: in pectoris imo*
*Lumina condentes: pedibus bis quattuor hærent.*
*Vtraq; nempe biceps manus est: hos prendere captos*
*Est labor: atq; ipso dicuntur nomine* CANCRI.

## SEPIA, ET LOLIGO.

SEpia nostris locis incognita, spina tamen eius satis est nota, qua aurifabri ad annulorum fusuram, Medici item ad dentifricia utuntur, **Fischbeyn** uocantes.

Dicta est sepia à putredine, quæ Græcis Σηπεδὼν dicitur: quòd atro sanguine uelut putrido cruore abundet, qui Atramentum sepiæ dicitur, quod ubi sentit insidias effundit, & turbata aqua se abscondit. Germani uocant **ein Blackfisch**. Gall. *Seche*.

B Dorso eius inest longum, latum, & candidũ os, quo aurifabri & Medici, ut dictum est, utuntur. Plinius huius meminit lib. 9. ca. 29. in marẽ & fœminam distinguẽs. Mentionem quoq; facit huius Oppianus libro Halieuticon 3. sic scribens:

*Quin & natiua fœcunda est Sepia fraude,*
*Est liquor in tumida concretus turbidus alui*
*Qui fiscus piceam superat caligine massam.*
*Conditus hic humor nutritur corpore, præsens*
*Auxilium miseræ: subita formidine capta*
*Atras emittit guttas, & polluit æquor,*
*Obscuratq; uias ponti, tenebrosa cruore*
*Permixto sanies piscantis lumina turbans,*
*Auertit uisum, & prospectum surripit omnem.*
*Hæc facili uisu per tinctas æquoris undas*
*Effugit horrendos pisces, hominemq; sagacem.*
*Loligo atq; alij, qui findunt aëra pisces,*
*Tales inueniunt artes: Non est liquor ater:*
*Illi purpureos potius de corpore fundunt*
*Humores, sed fraude pares astuq; putantur.*

Loligo similis est Sepiæ, nisi quòd aliquantò longior est quàm Sepia, & quòd illa nigrum, hæc rubrum in timore cruorem fundat. Calamarium quidam uocant hodie, uel quòd scriptorij calami similitudinem ha- Loligo. Calamarium.

beat,uel quòd atramentum fundat. Huius eódem loco cum Sepia Plinius meminit.

## LVPVS.

LVpus piſcis à natura Lupi terreſtris nomẽ accepit, quòd in piſces non ſecus atq; lupus in oues graſſetur. Græcis λάβραξ, ἀπὸ τῆ λαβρότητος, id eſt, ab impetu & uoracitate dicitur. Hamo ſiquidem captus uulnera contempto dolore fortiſsimè laxat, & excuſſo hamo protinus refugit: incluſus uerò retibus, imis in uadis ſulcum crebro motu caudæ reiectis arenis facit, atq; ita ſubterlabitur. Germa. **ein Hecht.** Ore lato, dentibus acutis. Piſcis eſt ſanus, & carnis bonæ, unde eſus eius puerperis, cùm reliquorum ſit interdictus, conceditur. Galenus carnes eius plurimum laudat, quòd ſubtiliorem gignant ſanguinem, & perdicis carnibus æquiparentur.

## LVCIVS.

LVcium diuerſum eſſe à Lupo, quem modò deſcripſimus, autoritas oſtendit Auſonij, qui ignobilem & uliginoſis locis degentem deſcribit, ſic inquiens:

*Lucius obſcuras ulua cœnoq; lacunas*
*Obſidet, hic nullos menſarum lectus ad uſus*
*Feruet fumoſis olido nidore popinis.*

Quę uerba ſatis declarant, Lucium non poſſe eundem eſſe cum Lupo piſce, qui maximè inter omnes eſt nobilis.

Lucium ergò putamus eſſe Macrellam uulgò dictam, Ger. **ein Macrell**/per antiphraſin uidelicet, quòd lucem fugiat. Cõfirmat etiam hoc, quòd ferunt Macrellam in aquarum fundis, tanq; fugientem lucem, delitescere, unde noctu cùm face piſcatores adnauigant, quam conſpiciens Macrella, uelut attonita ſtupet & capitur. Editur hic piſcis toſtus potiſſimùm igni, Vnde Germani etiam **Bratfiſch** eum uocitant.

Macrella

## BARBATVS.

BArbatus piſcis & Barbo dictus eſt, quòd ex utraq; oris parte pinnas uelut barbam habeat. Germa. eodem nomine **ein Barb.** Græcis τρίγλα dicitur, quod nomen etiamnum retinet in Græcia. Sic dictus, quòd, ut Oppianus ſcribit:

τριγόνοισι ἐπώνυμοι ἐσὶ γονεῦσι.

Hoc eſt: Accipiũt Triglæ trino cognomina partu. Nam Ariſtoteles lib. 5. de natura animalium, ter eas in anno parere affirmat. Alij uerò Triglas dictas

Triglæ.

A dictas uolunt, quòd triformi Dianæ sint dicatæ. De hoc Ausonius quoq; scribit:

*Tuq; per obliqui fauces uexate Sarani,*
*Qua bis terna fremunt scopulosis ostia pilis,*
*Cùm defluxisti famæ maioris in amnem*
*Liberior, laxos exerces Barbe natatus,*
*Tu melior peiore æuo: tibi contigit omni*
*Spirantum ex numero non illaudata senectus.*

Cicero & Plin. Mullum uocãt hunc ipsum piscẽ: In paradoxis siquidẽ Cicero Mullũ Barbatũ appellat. Plin. itidẽ piscem esse Mullũ ait, qui inferius labrũ gemina barba insignitũ habeat. Ausonius uerò Mullũ seorsim à Barbo recẽset, eius cum Perca collationẽ faciens, cùm sic inquit:

*Nec te delitias mensarum Perca silebo,*
*Amnigenos inter pisces dignande marinis*
*Solus puniceis facilis contendere Mullis:*
*Nanq; & gustus iners, solidoq; in corpore partes*
*Segmentis coëunt, sed dissociantur aristis.*

Vnde uidet Plinij & Ciceronis Mullũ eundẽ esse cum Ausonij & nostro Barbato. Ausonij uerò Mullus fortasse is erit piscis, quẽ Ger. **Mönne** uocamus. Assiduo Mulli esu aciẽ oculorũ hebetari scribunt. Crudus & dissectus impositus, araneorum & scorpionum ictibus medetur.

B

## PERCA.

PErca, πέρκη, Ger. **ein Bersig**. Gall. *Perche*. Dictum putant piscem per antiphrasin, quòd nemini parcat, siquidẽ iratus pisces alios pinnis suis uulnerat. Sunt duo eius genera: Mas & fœmina. Discrimẽ est in pinnis, quas mas habet rubras, fœmina minimè. Cute uestitur aspera, & dura, quæ desquamari nequeat. Huic naturalem cum Lucio ferũt amicitiã: Luciũ enim læsum ab alio pisce difficulter sanari, proinde quærere Percã, qui uidens eum læsum tangit, lenitq; uulnus eius, & sic sanatur. Piscis est carnis duræ. Meminit eius Ausonius in Mosella, inquiens:

*Nec te delitias mensarum Perca silebo.* Vide reliquos uersus in Barbato.

## TENCHA.

TEncham & Tincam uocãt piscem illum lutosum, in luto & cœno uiuentẽ, quem Germa. **ein Schleien** nominant, qui nisi diligẽter à sordibus & immunditie purgatus fuerit, est noxius. Ausonio dicitur Vulgi solatium, quòd pauperioribus tantùm apponatur, Cùm inquit: Tencha. Tinca.

*Quis non & uirides uulgi solatia, Tincas Norit?*

Totus excrementitius & lutosus.

## CARPO.

CArpo notus piscis, squamosus totus, magnitudinis mediocris, decẽ interdũ librarum: Carne molli & phlegmatica. Germ. **ein Karpff**. Carpam uocat Erasmus: aliqui Carpionem.

## MVRENA.

MVrena, Græcis μύραινα, uel σμύραινα. Germa. ein Bricken: alia colore subnigro luteis maculis est distincto, alia albo, nigris maculis uario, oris rictu non aliter quàm anseres largissimo: foraminibusq; his careret quibus Lampetra est prædita: nullasq; habet nec branchias, neq; pinnas.

Integra flexuoso corporis impulsu natat: in arido etiam similiter atq; serpentes serpit. Dentibus malefica est, atq; carniuora. Vnde Vedius Pollio eques Romanus, ut scribit Plinius lib. 9. ca. 23. inuenit in hoc animali documenta sæuitiæ, uiuarijs earum immergens damnata mancipia.

Flutæ. πλωτὰι. Optimæ ex hoc genere sunt: quæ Flutæ, Græcis πλωτὰι, quasi nauigabiles dicuntur, quòd in summa aqua fluitantes mergi non possint. Antoniam Drusi sic in delitijs Murenam habuisse legimus, ut gemmatas inaures ei addiderit. Crassus cognomento Diues, Murenam altilẽ adeo adamauit, ut fato functam aliquando luxerit, & tumulo indiderit. Atq; cùm à L. Domitio admodum obid rideretur, respondit: Mirum quidem esse, quòd extinctum piscem lachrymis prosequeretur, sed multò quidem admirabilius, quòd ipse tres à se elatas uxores non lugeret. Tres enim uxores extulerat Domitius, quas ueneno, ut dotibus potiretur, sustulisse dicebatur.

Murena fluuiatilis omnino Lampetræ est similis. Aceto in rabiem agi, scribit Plinius. Rarius ad nostra loca, nec nisi ad magnatum palatũ adferuntur, muria ex aceto conditæ. D

Carnes earum non minus quàm anguillarum nutriunt, sed difficillimè concoquuntur, propter duritiem innatam, & tenacem humorem. Lactes earum multum commendantur, quibus Heliogabalum aulam omnem, & rusticos aliquandiu pauisse, refert Aelius Lampridius. Meminit etiam Murenæ Cicero lib. 7. epist. fam.

## LAMPETRA.

LAmpetra & Lambipetra, quasi lambens petras. Germa. ein Lamprette. Gall. *Lamproyie*. Græci Galeon uocant, hoc est, Mustellam: quòd uidelicet sicut Mustela animal serpentes persequitur, ita hic piscis uenenatum piscem, quem Pastinacam marinam uocant. Est autem piscis longus, tenuis & lubricus, sine pinnis, murenæ similis, colore nigricans, branchijs detectis instar foraminum, quæ septem utrinq; habet. Versus Ausonij sunt eiusmodi:

*Quæq; per Illyricum, per stagna binominis Histri,*
*Spumarum indicijs caperis Mustella natantum,*
*In nostrum subuecta fretum, ne lata Mosellæ*
*Flumina tam celebri defraudarentur alumno.*
*Quis te naturæ pinxit color? atra supernè*
*Puncta notant tergum, quà lutea circuit Iris.*

Lubrica

*Lubrica cœruleus perducit tergora fucus,*
*Corporis ad medium partim pingueſcit: at illinc*
*Vſq; ſub extremam ſqualet cutis arida caudam.*

## HVSO.

HVſo piſcis eſt Danubij, Germa. **Hauſen**: cuius membrana ex aluo ſumpta utuntur ad gelanda iura piſcium, quam Græci Ichthyocollam, Latini Gluten piſcium, Germa. **Hauſenblaſen** uocant: ex iiſdem etiam excoquitur translucidum & flauum glutinum, quod **Fiſchleim/ & Mandtleim**/quòd eo in ore madefacto chartæ glutinentur, appellant.

## DELPHIN.

DElphines piſces ſunt marini ingentis magnitudinis, ſicut & Balenę, & Ceti. Lingua ipſis eſt hominis, contra naturam aquatilium mobilis, breuis, lata, haud differens ſuillæ. Pro uoce eſt ipſis gemitus humano ſimilis, dorſum repandum, roſtrum ſimum.

Qua de cauſa Simonis nomen omnes miro modo agnoſcunt, maluntq; ita appellari. Hominum & cantus amantiſsimum animal. De quo uide multa apud Plinium lib. 9. cap. 8. Latini Porcum marinum uo
B cant, Germa. **ein Meerſchwein**. *Simo.* *Porcus marinus.*

## CETVS.

CEtus & Cete neutro genere pluraliter eſt communis appellatio ad omnes piſces maiores uiuiparos, hoc eſt, qui non ouum ſicut reliqui, ſed animal gignunt. Monſtroſæ prorſus magnitudinis piſces, ut inſulas & montes æquare uideantur. Germa. communi nomine **Wallfiſch** dicuntur.

Et ſpeciatim accipitur pro piſce marino maximo in mari Atlantico, quem in coitu ſemen aiunt effundere, quod aquæ ſupernatet, unde alba & pinguis colligatur materia, quæ Pharmacopolis Sperma ceti dicitur. *Sperma Ceti.*

## BALENA. ORCA.

BAlena, Gall. *Balene*. Belua eſt marina, cuius meminit Plinius libro 9. cap. 6. quam alij Cetum faciunt, alij Priſticem, ἀπὸ τοῦ πρίζειν, hoc eſt, à ſecando, quòd fluctus natatu ſuo ſecet. Ora habent Balenæ in frontibus: ideoq; ſumma aqua natantes in ſublime nimbos efflant. *Priſtis.*

Infeſtiſsima eſt Balenis Orca belua, nulla alia forma conſpicua, ut ibidem Plinius tradit, quàm quòd ſit carnis immenſæ, dentibus truculentis. *Orca.*

DE

# DE TESTACEORVM generibus.

TEstaceorum genera plurima sunt, & requirunt aliquem in locis multum uersatum maritimis: nemo enim aliàs eorum discrimina satis explicare poterit. Proinde cùm non sit meum de his singulis exactè scribere, generatim & obiter, quæ de his constant leguntur q;, depromam.

Sunt autem Testaceorum generis: Cancri, de quibus antea est dictũ: Cochleæ, Testudines, Cõchæ, Purpuræ, Buccinæ, Mituli, Tellinæ Hiatuli, de quibus singulis, ut discrimen aliquod inter ea habeatur, paucis dicemus.



## COCHLEAE.

COchleæ, Græcis, κοχλίαι. Germa. Schnecken. Gal. Limaſſ. Aliæ sunt marinæ, aliæ fluuiatiles, aliæ terrestres. Continua tegumtur testa una, ex qua se exerunt, binaq; ceu cornua, ut inquit Plinius lib. 9. ca. 32. protendunt contrahuntq;, carentes oculis: ideoq; cornibus prætentant iter. Domiportam uocant poëtæ Cochleam & Testudinem. Ferunt eiusmodi Fabulam: Cùm Iupiter omnia animantia ad conuiuium uocasset, sola hæc animantia non apparuerunt: quæsiuit ergò quid causæ esset cur & ipsæ nõ prætò fuissent: quæ, domus cara, inquiũt, domus optima. Iratus ergò Iupiter eas in domum damnauit, ut quocunq; progrederentur domum secũ ferrent. Cochleę marinę & terrestres coctę & cõdimentis apparatę, quibusdam

A busdam locis eduntur. Fluuiatiles ὠμύδας Aristoteles uocat, & hæ uirus habent, ideoq; non eduntur. Alias στρόμβον Græci appellant, Latini Turbinem, quòd turbinata earum sit forma. Gall. *Limaſſ de mer*. Plinius scribit Hirpinum instituisse uiuaria cochlearum, cochleasq; altiles ad eam magnitudinem perductas, ut singularum calices octoginta quadrantes caperent.

Sunt autem omnium harum uariæ differentię. Carne sunt, Galeno teste, dura, & concoctu difficili.

## TESTVDO.

TEstudo, Græcis χελώνη, Ger. **ein Schildtkrott**. Gall. *Tortoue*, quòd uidelicet umbonem seu scutum ferat, quo est munita. Sunt huius quoq; generis aliæ terrestres, aliæ fluuiatiles, aliæ marinæ. Plinius lib. 9. cap. 10. autor est, mare Indicum testudines tantæ magnitudinis mittere, ut singularum superficies habitabiles casas integant: atq; inter insulas rubri maris præcipuè his nauigent cymbis. Quomodo eædem capiantur, loco citato iam est uidere.

## CONCHAE, ET RELIQUA TESTACEA.

B



COnchæ Germanis communi nomine **Muscheln** appellantur: & sunt diuersæ à Cochleis: siquidem Conchæ duas leniter concauas testas habent, quibus conduntur, quas aperire & claudere possunt: quanquam interdum etiam inueniuntur, quæ unica tegantur testa.

Ad Concharum præterea genera referūtur μύακες, hoc est, Mytuli, seu Musculi, τέλλινα, Tellinæ, & χήμαι, hoc est, Hiatuli, quorum mentionem facit Dioscorides. Itē Vnguis odoratus, quem Officinæ Blattam Bizantiam uocant, Græcis ὄνυξ dicitur, ut Galeno lib. 11. simpl. med.

Mytuli. Musculi. Tellinæ. Hiatuli. Vnguis odoratus. Blatta Bizantia.

Sunt ex testaceorū quoq; genere purpuræ, Græcis πορφύραι, quibus purpura olim tingebatur: quorum plures itidem sunt species: Ostreæ uidelicet, Ger. **Ostern**. Vnde apud poëtas Ostrum passim pro purpura accipitur.

Purpuræ. Ostreæ.

Nec

Buccinæ. Nec non Buccinæ Conchis annumerantur, quæ purpuris aliquo modo C
do sunt similes, quarum tamen plures quoq; sunt species, ex quibus etiam
Mater Perlarũ. est quam Officinæ Matrem Perlarum nominant. Germa. **Perlen mũtter.**

Notæ sunt conchæ, quas Iacobitę ex Hispanijs ferunt, Ger. **S. Jacobs Muscheln** dictæ.

Ostendunt etiam Officinæ Testæ speciem, quam Vmbilicum uocant marinum, quam putant esse Cochlon Aristotelis, quod describitur ipsi Testaceum animal, à Limace diuersum, Theophrastus Vmbilicum uertit.

Sed ne in re difficili & nodosa diutius immorer, alijs quibus plenior horum est notitia, scribendi occasionem relinquam.

VIRES QVORVNDAM TESTACEORVM.

Cochleæ marinæ aluum cient: fluuiatiles sunt uenenatæ: quæ uepribus adhęrent, uentrem turbant, uomitum cient.

Crematæ omnis generis testaceorum testæ, urendi ui sunt prædităę, lepram, uitiliginem & dentes purgant.

Cochlearum carnes cum testis crematæ, & tritę cum melle, cicatrices, & faciei uitia, albugines & caliginem emendant.

Crudę cum tegumentis impositæ, aquam intercutem feruntur exugere, podagrę dolores lenire, sentes & aculeos corpori impactos extrahere. Neruorum lęsionibus carnes earum cum thure & myrrha imponun- D
tur. Cum aceto tritę sanguinem è naribus manantem sistunt. Cum uino & myrrha sumptę, coli & uesicę cruciatus sedant.

Purpura usta exiccat, dentes expurgat gingiuę, exulcerationes cohibet, excrescentias in carne cohibet, ulcera ad cicatricem perducit.

Buccinę earundem cum purpura sunt uirium, prętereaquàm quòd calidioris sunt naturę. Sale oppletę in crudo fictili adustę, ad dentifricia ualent. Vstionibus illinuntur.

Vnguis odoratus suffimenti preciosissimum genus prestat, quo mulieres ad deuitandos uuluę strangulatus & morbum comitialem suffiuntur.

In potu sumptus laxat. Puluis eius in aceto sumptus, splenem mollit, uitiososq; humores discutit.

## DE ALIIS PLVRIBVS piscibus.

Piscium innumera sunt genera, & uarijs locis uaria & diuersa, ut non facilè sit sigillatim cũctos describere. Plurimos prętereiam descriptos est uidere apud Plinium, Aristotelem, Theophrastum, Oppianum, qui uenustissimo carmine de his scripsit. Satis nobis est præcipuos tantùm & communiores, quorum appellationes sunt in usu, explicuisse. Est notus uulgò pisciculus, qui inter omnes ferè primatum tenet, limpidis & saxatilibus

A xatilibus locis gaudens, quem Fudulum uocãt, & Grundulum, Germani ein **Grundel**. *Fundulus. Grũdulus.*

Soleam quidam Saxaulem uocant, Varro Lingulacam. German. **ein Zung**. Gall. *Sole*. Piſcis planus, carne molli, & concoctu facillima. *Solea. Saxaulis. Lingulaca.*

Torpedo, Græcis Νάρκη, quòd torporem tangentibus inducat. Gall. *Gramplus, & Torpin*. Ex cartilagineorum eſt genere, carne molli & iucunda, & concoctu, ut Galenus ait, non difficili. Comeditur Venetijs & Ianuæ. *Torpedo.*

Vrtica etiam à Plinio numeratur inter Ζωόφυτα, hoc eſt, quæ nec animalium, nec fruticum naturam, ſed ex utroq; temperatam habent. Totus eſt carneus, nullaq; teſta clauditur. Tactus eius ut terrenæ urticæ dolorem immittit. Liguribus & Maſsilienſibus adhuc Vrtica dicitur. *Vrtica.*

Oculatum nominant piſcem, quem Germa. **ein Neunaug**/quaſi Nonophthalmum. *Oculata. Nonophthalmos.*

Capito piſciculus eſt, qui inter fundulos capitur, interq; eoſdem uenditur. Germa. **ein Keuling**. Gall. *Teſtart*. *Capito.*

Alburnum credimus eſſe piſciculum minutum & abiectum, quẽ Germa. **Alblen**/& **Zwibelfiſchlin**/item **Weiſſfiſchlin** nominant, à candore nomen habentem. Gall. *Able*. Meminit eius Auſonius, cùm inquit: *Alburnus.*

*Et Alburnos prædam puerilibus hamis.*

Praſmus, uulgò Rubiculus. Germa. **Preſem**/& **Rodtäuglin**. Græ- *Praſmus. Rubiculus.*

B cis Ἐρυθρόφθαλμος dicitur, à colore oculorum rubro id nominis habens.

Alauſa & Aloſa, aliàs Alſa & Alſo, Germa. **Alſen**/**Elſen**. Gal. *Alooſe*. Piſcis, qui, ut cõfeſtim ex aqua extractus fuerit, moritur: adparet ſub aduentum ueris: In menſe autem Maio, auditis tonitruis, in mare ſe recipiunt, adeoq; tonitruis terrentur, ut exanimati ſæpe multi in ripis Rheni & Moſellæ inueniantur. Auſonius de hac ſcribit in hunc modum: *Alauſæ. Alſæ.*

*Stridentesq; focis obſonia plebis Alauſas.*

Frequentiſsimus eſt in Aquitania.

Sturio, uel Sturius, Germa. **ein Stör**. *Sturius.*

Gobius, Græcis Κωβιός. Germa. **ein Göb**. Gall. *ung Gouuion*. Deſcribitur Auſonio duorum nũquam excedens palmorum altitudinem, teres, ouipara, barba circa labra conſpicuus: Verſus Auſonij ſic ſe habent: *Gobius.*

*Tu quoq; flumineas inter memorande cohortes*
*Gobio, non maior geminis ſine pollice palmis,*
*Præpinguis, teres, ouipara congeſtior aluo,*
*Propexiq; iubas imitatus Gobio Barbi.*

Aliqui Creſionem uocant, Germa. **ein Creß**.

Peculiare præterea, nec illaudatum genus piſcium eſt, in amnibus & aquis Lani degens, carnoſum, molle, & rotundum ferè, Barbatulorum penè guſtu, duorum triũmue palmorum magnitudine, quod Germani **Naſen**/quaſi naſutum nominant. *Naſutus.*

Minutuli item cum fundulis piſciculi, ſpinis in dorſo acutiſsimis, & C
Aculeati. in uentre rubentes, capiuntur, quos Germa. Stachelfiſch/quaſi aculeatos, & Ohrlitzen appellant.

## REMORA. ECHINEIS.

NEqueo ſilentio præterire ſtupendum naturæ miraculum, de quo autores tradunt, in piſciculo minimo, quem ἐχενηίδα Græci, Latini Remoram eodem uocant etymo: in quo natura non minus atq; in Magnete alijsq; ſuum quoque myſterium, & miraculum exhibere uoluit.

Piſciculus hic eſt minutiſsimus, ſed qui portenta etiam maris & terræ ſua natura ſuperet.

Nauem enim quantumnis magnam, remis uelisq; concitatam nonalio modo quàm adhærendo tantùm ſiſtit, & remoratur. De hoc Plinius lib. 9. cap. 25. Echineis eſt paruus admodum piſcis adſuetus petris: hoc carinis adhærente naues tardius ire creduntur, inde nomine impoſito. Quam ob cauſam amatorijs quoque ueneficijs infamis eſt, ac iudiciorum, ac litium mora. Quæ crimina una laude penſat: fluxus grauidarum utero ſiſtens, partusq; continens ad puerperium; in cibos tamen non admittitur.

Pedes eum habere arbitratur Ariſtoteles, ita poſita pennarum ſimilitudine. Mutianus muricem eſſe, latiorem purpura, neque aſpero, neque rotundo ore, neque in angulos prodeunte roſtro, ſed ſimplice con- D cha utroq; latere ſeſe colligente. Quibus inhærentibus plenam uentis ſtetiſſe nauem portantem nuncios à Periandro, ut caſtrarentur nobiles pueri. Præterea hanc eſſe uim eius aſſeruati in ſale, ut aurum quod decideritin altiſsimos puteos, admotus extrahat.

Libro quoque 32. nat hiſt. cap. 1. Echeneis, inquit, piſciculus, ruant uenti licet, ſæuiant procellæ, imperat furori, uiresq; tantas compeſcit, & cogit ſtare nauigia, quod non uincula ulla, non anchoræ pondere irreuocabili factæ. Infrenat impetus, & domat mundi rabiem, nullo ſuo labore, non retinendo, aut alio modo quàm adhærendo. Hæc tantilla eſt ſatis contra tot impetus, ut uetet ire nauigia. Sed armatæ claſſes imponunt ſibi turrium propugnacula, ut è mari quoque pugnetur uelut è muris. Heu uanitas, inquit, humana, cùm roſtro illa ære ferroq; ad ictus armata ſemipedalis inhibere poſsit, ac tenere deuincta piſciculus. Fertur Actiaco marte tenuiſſe imperatoriam nauem Antonij properantis circuire & exhortari ſuos donec tranſiret in aliam, ideoq; Cæſariana claſsis impetu maiore protinus uenit. Tenuit & noſtra memoria Caij principis ab Aſtura Antium nauigantis: Vt res eſt etiam auſpicalis piſciculus: ſiquidem nouiſsimè cùm in urbem reuerſus ille Imperator, ſuis telis eſt confoſſus.

Nec longa fuit illius moræ admiratio: ſtatim intellecta cauſa, cùm è tota

A tota classe quinq; remis non proficeret, & exilientibus protinus, qui id quærerent, circa nauim inuenerunt adhærentem gubernaculo, ostenderuntq; Caio indignanti hoc fuisse, quod se reuocaret, quadringentorūq; remigum obsequio contra se intercederet. Constabat peculiariter miratum, quomodo adhærens tenuisset: nec idem polleret in nauigium receptus. Qui tunc posteaq; uidere, limaci eum magnæ similem esse dicunt. De hoc Laurentius Lippius, Oppiani interpres, his lusit uersibus:

*Pellebant uelis, pellebant remige nauem*
*Ventus erat, cœptum sum remoratus iter.*
*Solus ego Actiacam potui retinere carinam,*
*Et potui Cai rostra tenere ducis.*
*Semipedalis ego: quis hæc corpuscula credat*
*In cursu tantas detinuisse rates?*

Non immeritò tantas in tantillo pisciculo uires aliquis miretur. Magneti quidem sua in ferrum est facultas. Adamantem coram toxico ferunt madere: Turchoin appetente periculo aut findi, aut omnino ruinā aut maculam aliquam concipere. Sed longè alia naturæ uenit admiratio in nostra Echeneide. Lapidibus siquidem & metallis naturalis, pro materiei uaria conflatione, cœlestiumq; corporum in ea elaboratione, quadantenus causa assignari potest: partim etiam naturæ secretis est relinquenda. Basiliscum serpentem adeò uenenatum esse scribunt, ut uisu et B iam in hominem uirus transfundat. Torpedo piscis non tangenti piscatori per hamum & uirgam torporem, unde nomen etiam accepit, sicut et Græcis νάρκη dicitur, immittit, ac totum deinde corpus occupat. In quibus ueneno ea uis tribuitur. Sed quid de hoc pisciculo adferemus in medium? quam eius uiribus, & potentiæ adscribemus rationem? Hic, sicut & reliqui pisces, in aquis agit: Non alibi nisi in aquis uires suas exercet. Nulla adest magnitudinis in eo uiolentia, minutulus ipse naui se adiungit. Nulla uis contra ipsum satis est: nullus impetus loco mouere nauem potest. Nisi pisciculus hic naui adhærere inuentus esset, naturæ fortasse loci peculiari, qui uel limosus, uel alio modo difficilis esset, adscribi illud posset. Verùm cur non aliæ similiter naues fixæ manent? Cur hæc tantùm cui pisciculus is se adiunxit? Cur inuento hoc & amoto, plenis mox uelis nauis procedit, nec impedimentum amplius sentit? Fatendum est rationem hic naturalem adferri nullam posse.

Et quis non uidet in eodem fatale quoddam inditium & præsagium: quasi futuri mali præscium periculum imminens cupientem auertere? Tenuit Legatos Periandri de castrandis pueris nobilibus: tanquam indignum iudicante natura, homini id quod conseruationi ipsius donatum esset, auferri: ac idcirco nauem inhibuit, & à cursu reuocauit. Sed securum & improuidum hominum genus uelut rem nihili flocci pendit.

Tenuit nauem Caij Cæsaris, non multò pòst Romæ interfecti: Con-

dolens miſero Cæſaris exitio ipſa natura, cupiſt ab ipſo malum auerte- C
re, atq; à curſu infausto & infelici reuocare.

Formam & naturam eiuſdem uerſibus elegantiſsimis Oppianus poë
ta Græcus ἁλιευτικῶν libro primo deſcripſit, quos quia & elegantes ſunt,
& pulcherrimè piſciculum hunc depingunt, non pigebit proferre:

Καὶ μὲν δὴ πελάγεσιν ὁμῶς ἐχενηΐς ἰτέρπη
ἣ δή τοι, ταχαὶ μὲν ἰδεῖν, μῆκος δ' ἰσόπηχυς
χροιὴν δ' ἀθαλόεσσα, φυὴ δ' ἐὸν ἐγχελύεσσιν
Εἶδ' ἑτέη· ὀξὺ δ' ἐοὶ κεφαλῆς σῶμα νέρθε νένευκε
Καμπύλον ἀγκίστρῳ περικηκέϊ εἴκελον ἀχμὴν
Θῶμα δ' ὀλιδηρῆς ἐχεπευκέος εἰφρόσυνόν τε
Ναυτίλοι· ἀμφὶ δὲ μὴν δή τις ἐνὶ φρεσὶ πιστώσαιτο
Εἰσαΐων ἀεὶ μὲν ἀπειρήτων νόον ἀνδρῶν
Δύσμαχος, ἀλλὰ θέλουσι καὶ ἀπρεκέεσσι πίθεσθαι
Νῆα ἰταινομένην ἀνέμου ζαχρηέος ὁρμῇ
Λαίφεσι πεπταμένοισιν ἅλος δ' ἀπὸ μέτρα θέουσαν
ἰχθὺς ἀμφιχανών, ὀλίγον σῶμα νέρθεν ἐρύκει.
Πᾶσαν γὰρ πρόπιον βεβιημένον, οὐδέ τι τέμνει
Κῦμα, καὶ ἰεμένην, ἧχί δ' ἔμπεδος ἐστήρικται,
ἅσσ' ἂν ἀκλύσοισιν ἐεργομένη λιμένεσσι.
Καὶ ῥ' ἤμὲν λίνα πάντα πόρῃ προτόνοισι μέμυκε
ῥωχθοῦσι δὲ κάλωες, ἐπημύει δὲ κραταιὴ
ῥιπῇ ἐπειγομένη· πρυμνὴν δ' ἐπὶ πᾶσα χάλινα
ἰθύντηρ ἀνίησιν, ἐπιστέρχων δόλιον ἅλμης.
ἅσσ' ὅτ' οἰήκων ἐμπίζεται, ὅτ' ἀνέμοισι
Γείθεται, ὀρθοῖσιν ἐλαύνεται, ἀλλὰ παγεῖσα
Μίμνει· τὴν δὲ ἐθέλουσα, καὶ εὐσυμφόρῳ πειθομένη
ἰχθύς· ὅτι δ' ἀνοΐῃ σῶμα ῥιζωθεῖσα.
Ναῦται δὲ προμέτοισιν ἀείσελα θεσπία θαλάσσης
Δερκόμενοι, κῆθάμβος ἴσον λύουσιν ὀνείρῳ,
ὡς δ' ὅτ' ἐνὶ ξυλόχοισιν ἀνὴρ λαοσσόος ἀγρευτὴρ
Θηρητῆρ ἔλαφον δ' εὖ σκιμφὸς ἄκρον ὀϊστῷ
Κῶλον ὑπὸ πτερόεντι βαλὼν ἐπέδησεν ἐρωῇ,
ἣ δ' ἐκ ἑοῦ ἐούσης πόρ ἀναγκαίης ὀδύνῃσιν
ἀμφιπαγεῖσ' ἀέκουσα μένει θρασὺν ἀγρευτῆρα,
Τόσσην νηὶ πέδην πορὲ θέλξαι ἄϋλος ἰχθύς.

Quos Laurentius Lippius, Oppiani interpres,
hunc in modum conuertit:

*Eſt etiam ſalſis undis Echeneis amica,*
*Quæ latis membris, & nigro fuſca colore*
*Non cubitum excedit, totos porrecta per artus,*
*Aſpectu anguillæ ſimilis: ſub uortice ſummo*
*Stat rictus, curuum circum deductus in orbem.*
*Cui non diſſimilem forma mucrone coruſco*
*Eſſe hamum credas. ſic os portendit acutum.*
*Attoniti nautæ parui miracula piſcis*
*Spectârunt maiora fide: quis crederet unquam*
*Mortalis? proprias ſi fama attingeret aures.*
*Ignaræ gentes rerum caligine merſæ*
*Indomitam ſeruant mentem ſub pectore duro.*

D

Non

A *Non uerum admittunt, nec dictis iurè quiescunt.*
*Expansis uelis compulsam flamine uenti*
*Sulcantem fluctus & cærula uada profundi*
*Apprensam magno nauem non sistit hiatu,*
*Viribus adnitens pendet de naue supinus.*
*Non fluctus scindit nauis, sed firma tenetur,*
*Non aliter quàm si portu deuincta quiescat.*
*Et stridunt spiris uela exagitata rudentum.*
*Concussi reboant funes, antennaq; nutat,*
*Et strepitu properata fremit de puppe, Magister*
*Compellit nauem, cunctasq; relaxat habenas.*
*Nec detenta ratis laxo temone mouetur:*
*Nec paret uentis, nec mota impellitur unda.*
*Sed compulsa manet, motum cursumq; reuincta*
*Sistit, & abiecti piscis retinetur ab ore.*
*Non aliter radix terra defixa sub alta est.*
*Nautæ formidant turbati uincula Ponti.*
*Rem miram, & somno similem de puppe uidentes.*
*Ac ueluti in sylua ceruam de rupe fugacem*
*Spectat uenator cautus, celeremq; sagittam*
B *Dirigit in pectus, quæ cruri infixa moratur*
*Cursum, tunc multo plagæ confecta dolore*
*Cerua inuita manet, uenantis uulnera diri*
*Ostendens: nauem tali sub compede sistit,*
*Consona miraclo sortitus nomina piscis.*

Cùm tanta igitur de Echeneide extent testimonia, uisa est mihi digna, quæ sua laude non fraudaretur, quæ etsi exigua per me illi tribui potest, quantulumcunq; tamen illud est, dare ei uolui, non meam propriam, sed ab alijs acceptam donans. Colant mirenturq; alij pro suo quicquid libi tum ipsis fuerit arbitrio, mihi in hoc nostro pisciculo Deum cõditorem suspicere, & admirari placet, & in hoc peculiare Dei mysterium contem plari. Sed ne in Remorę natura et laudibus explicãdis, egò diutius quàm argumentum postulat, immorer, cùm diu scribentem remorata sit, detenta ab ea naui uela cõtraham, alijsq; altius naturam in hoc pisciculo demirandi occasionem relinquam.

FINIS PISCIVM.

# PRVDENTIA ET VIRTVTI-

## BVS CONSPICVO VIRO, DOMINO IOANNI CROAVIO, Nobilium Vueyssensium præfecto, Adamus Lonicerus

δν πράξαιμι.

FELICES *Dominos, & felices Respub. ad quorum gubernacula uiri prudentia, & literis clari sedent. Felices ergò non immeritò uidentur genere, & maiorum imaginibus conspicui, equestris ordinis Vueyssenses, qui te præ cæteris in sua ditione sibi præfectum, ut ex tuo nutu & præscripto subditi ipsorum regerentur, elegerunt, constituerunt q̃z. Nam cui non est tuus erga literas, earumq̃z cultores animus, & reuerentia singularis perspecta? Cui tua in iudicando prudentia non est cognita? ob quam nobili & strenuo eius ordinis, & generis Dn. Hendricho Vueyssensi, non exiguo honore & dignitate haberis, qui tuis consilijs in obedientia, tranquillitate, & beneuolentia subditos suos regit. Quæ dum mihi, qui sæpenumerò tuam beneuolentiã, & animum erga me singularem expertus sum, occurrerẽt, diu multumq̃z quo pacto aliquod grati animi symbolũ tuæ prudentiæ relinquerẽ: maximè cùm iam abessẽ, ut rarius literæ te meæ adire possent: cogitaui. Sed quid tua persona dignũ à me offerri potest? Candore itaq̃z tuo potissimùm fretus, quantumuis aliquid uile à me tuam ueniret ad prudentiam, gratum fore idipsum mihi persuasi. Cùm igitur multi alij & eruditione & fama præstantissimi, de Metallis, Lapidibus, Gemmis, succisq̃z concretis scripserint, ac in ijsdem uersari, D mei quoq̃z esset studij, ego ut hac in parte mihi inseruirem, paucis quæ uidebantur de horum descriptionibus, speciebus, & uirtutibus esse præcipua, quanto potui studio & labore, excerpsi: nec in id, ut lucem aliquando uiderent, uerùm ut inter priuatas meas Musas laterent. Sed cùm importuno ferè quorundam impulsu factum sit, ut hæc ipsa sint diuulgata, patronus mihi aliquis, in cuius tutela essent, fuit eligendus. Tua ergò in me beneficia te mihi obtulerunt. Próinde hæc qualiacunq̃z tuo patrocinio offero, ut te tutore & defensore liberè per hominum ora uersari queant. Hoc itaq̃z mumusculum, qualecunq̃z est, boni fac consulas, meq̃z tibi tuisq̃z promptum & deuinctum pariter habeto. Vale. Cal. Aug. Anno incarnationis 1551.*

DE

# DE MIXTIS PERFECTIS: HOC EST, DE METALLIS ET LAPIDIBUS, alijsq; his cognatis Fossilibus.

ACTENVS de arboribus, plantis, animantibusq; terrestribus, aquatilibus, & uolatilibus, eorumq; cõmodis, & Medicinis est dictum: In sequentibus iam terræ subeundo penetralia, quæ in eadem abscondita lateant, quibusq; sint facultatibus prædita, depromẽtur. Ac postremo etiam loco seorsim de succis uocatis concretis, hoc est, gummi, resinis, pice, bitumine, agetur. Vt hac ratione omnia quæ ad hominis usum, uel ad corpus alendum, uel ad conseruandum sustentandumq; condita sunt, uelut uno fasce contineantur. Principiò igitur mixta perfecta, hoc est, metalla & lapides enumerabimus, quæq; de ijsdem apud scriptores memoriæ produntur: sed paucis. Non enim est nostri instituti perfectam & absolutam de rebus metallicis disputationem texere: cùm de his multi eruditi, earumq; rerum gnari uiri, abundè scripserint. Nec contemnendum de ijsdem libellum: ut reliquos qui absolutè ea tractarunt, iam silentio prætercam: ædidit Albertus Magnus. Et nota sunt quæ præclarè & absolutè de ijsdem conscripsit Georgius Agricola, plurimùm de bonis literis meritus. Iam uerò summatim tantum, & breuiter eorum causas, generationem, formam, & uires commemorabimus. De lapidibus uerò & gemmis, plurima sunt apud Plin. lib. 37. qui

prioribus etiam libris metallica describit. Quem secutus Macer, ex eodē C
pleraq; carmine excerpsit: Macri nanq; titulo liber is circumfertur. Nec
Dioscoridem præterimus, qui peculiari libro, quinto uidelicet, Metalli-
ca, & lapides absoluit. Qui autores cùm satisfacere harum rerum auido
possint: non tamen propterea hic prætereunda & reliquenda esse eadē
uidentur. Proinde quæ de his apud eosdem comperta habemus, hic etiā
uelut complementi uice subnectemus, & primùm in genere quid sint mi
xta perfecta, quæ eorum causa, quid metalla, lapides, quæ eorum gene-
ratio, quæ uirtutum in ijsdem causæ, quæ item uariorum de uirtutibus
eorundem sententiæ, & opiniones fuerint, dicemus.

## QVID MIXTVM PERFECTVM, ET quæ eius diuisio.

Mixta perfecta uocant Philosophi, ut Aristoteles lib. 3. Metheorolo-
gicorum, quæcunq; intra terram è concluſa accensaq; exhalatione uapo-
rosa fumosaq; gignuntur. Vt sunt Metalla, & omnes lapides, & quęcūq;
intra terram fodiuntur. Sunt itaq; hæc duplicia: Alia uidelicet μεταλλευτὰ
seu metallica: Alia uerò ὀρυκτὰ, hoc est, fossilia.

## QVAE DICANTVR METALLICA, VNDE dicta, quot sint, quæ eorum causæ, & quæ Metallicis annumerentur.

Metallica quæ. Vnde dicta. Metallica dicuntur quæcunq; intra terræ uiscera, & uenas inquirun- D
tur. Vulgò dicta Mineralia. Dicta autē sunt, uel à μεταλλᾶν, id est, à disqui-
rendo, quòd uidelicet intra uenas terræ metalla disquirātur. Vel à μετὰ, &
ἄλλο, quòd nimirum aliud post aliud inueniatur. Numerantur autem Me
tallorum genera septem, quæ singulis etiam planetis, tancp̄ peculiaribus
Quot sint dominis, à quibus naturam habeant, asscribuntur. Suntq; hæc: Aurum,
quod Soli tribuunt: Argentum, quod Lunæ: Argentum uiuum, quod
Mercurio: Alij tamen Electrum ponunt. Aes, quod Veneri: Stannum,
quod Ioui: Plumbum, quod Saturno: Ferrum, quod Marti. Cuius rei
non difficilè est rationem reddere, quam composito iam silentio præter-
mitto.

Causa materialis. Materia metallorum est humidum unctuosum, subtile, commixtum
firmiter terrestri subtili. Quod hinc manifestum est: Omne enim liquabi
le aqueæ est naturæ, eadem itaq; erit etiam in metallis, quæ liquari pos-
sunt. Hoc autem humidum non simpliciter esse aqueum constat: quia sic
à calore consumeretur, & exiccaretur: sicut in lignis humidis, alijsq; re-
bus, item aqua, quæ calore exiccantur, fieri uidemus. Secus uerò fit in
Metallis.

Est itaq; humidum in metallis unctuosum. Præterea idipsum humidū
unctuosum perfectè, ut sit cum terrestri subtili mixtum oportet. Quod
hinc patet: quia metalla liquefacta, ea ipsa quibus infunduntur non hu-
mectant, nec ita diffunduntur, sicut alia humida unctuosa simpliciter, ut
Oleum,

A Oleum, Vinum, &c. Metalla uerò liquefacta ſecundum aliquid conſtãt, & ſecundum aliquid defluunt.

Atq; ex his manifeſtum eſt cur lapis non liquetur, ſed potius comminuatur. Quia lapis eſt terreæ magis ſubſtantiæ, ut mox dicetur, nec humidum eiuſmodi unctuoſum habet, ſicut metalla: Qua de cauſa humidũ quod in lapide eſt, ab igne ſtatim conſumitur, quo conſumpto lapis comminuitur, & in calcem redigitur. Ac eadem eſt ratio, cur lapis non perinde atq; Metalla ſit ductilis. *Lapis cur non liquetur.*

Nec repugnat materiæ metallorum aliorum philoſophorum ſententia, qui omnium metallorum materiam eſſe dicunt Sulphur & argentum uiuum. Horum ſiquidem materia eſt eiuſmodi, qualem modò diximus. Sulphuris enim eſt ſubſtantia terrea, & aëria, ſiue unctuoſa: Argenti uerò uiui eſt aquea, ſubtilis, terrea admixta, ſubſtantia. Proinde pro diuerſa eorum commixtione uariantur Metalla. *Sulphur & argentum uiuũ quomodo ſint materia metallorum.*

Ex ſulphure nanq; rubeo, puro, mundo, & argento uiuo puro, & mũdo fit aurum. *Metallorum generatio.*

Sic argentum fit è Sulphure albo, mundo, & non adurente, & Mercurio albo mundo.

Electrum fit ex materia auri & argenti commixtis.

Cuprum è ſulphure rubro, & Mercurio non prorſus immundo.

Stannum ex argẽto uiuo puro, claro, & ſulphure craſſo & immũdo.

B Plumbum ex argento uiuo impuro, craſſo, lutulento, & ſulphure impuro.

Ferrum è ſulphure ſpiſſo, impuro, & adurente, & ex argẽto uiuo modico, ponderoſo, immundo, & lutulento.

Cauſa efficiens eſt calidum digerens & conuertens terreum & aqueum, & permiſcens ea. *Cauſa efficiens.*

De uariis opinionibus de forma metallorum, item de eorum tranſmutatione, congelatione, liquefactione, coloribus, ſaporibus, cremabilitate, & uaria eorum generatione, lege Albertum Magnum in libro ſecundo & tertio de rebus Metallicis, & Georgium Agricolam, qui elegantiſſimè de iiſdem ſcripſit.

Metallis ea quoq; annumerare placuit, quę neq; metalla omnino, neq; lapides prorſus ſunt, ſed mediam quandam inter hæc naturam habent, quæ ex terra fodiuntur, Vt ſunt Sal, Nitrum, Alumen, Arſenicum, Gypſum, Atramentum, idq; genus alia, quæ poſt metalla ſpeciatim ſuo ordine, ante lapides enumerabimus.

Præterea ſub Metallis etiam comprehendimus, quæ ex iiſdem fiunt, ut ſunt: Cadmia, Spodium, Pompholyx.

## DE FOSSILIBVS, HOC EST, OMNIS GENERIS lapidibus & Gemmis: & primũm de cauſis lapidum.

Cauſa omnium foſſilium, uelut lapidum, inquit Ariſtot. eſt exhalatio ſicca

ſicca & uaporoſa: propter ſiccitatem enim in unum conſtringitur co- C
agmẽtaturq; exhalatio. Exhalatio autem illa aut eſt terrea, aut eſt aquea.
In omni uerò lapide terrea eſt materia admixta. Adueniens deinde frigus materiam condenſat & congelat. At humidum quod eſt in lapide minimè eſt unctuoſum, ac propterea etiam non liquatur lapis, ſicut accidit Metallis, ſed in ignem poſitus fit friabilis. Humidum nãq; quod eſt in lapide, quia unctuoſum non eſt, facilè exiccatur: quo exiccato terrea lapidis materia, cũm nullo amplius humido glutinetur, friatur, inq; calcẽ comminuitur. Quòd uerò omni, ut diximus, lapidi terreum quid inſit, manifeſtum eſt: Siquidem lapides perſpicui, uelut Criſtallus & Berillus, iniecti in aquam, non mergerentur, ſed perinde atq; glacies ſupernatarent. Sed omnia uidemus lapidum genera, tã obſcura quàm lucida aquis mergi, nſi ſit ſpongioſum aliquod, ueluti pumex, aut per aduſtionẽ ſpongioſum, aut poroſum factum.

## QVID LAPIS ET METALLVM DIFFERANT, quæ obſcurorum, quæ item perſpicuorum lapidum cauſa.

Ex quibus manifeſtum eſt, quid inter metallum & lapidem ſit diſcriminis: Quòd nimirum Metalla humidum habeant unctuoſum, fortiter cum terreſtri ſubtili mixtum. Lapis uerò minimè, ſed humidum magis aqueum. Deinde quòd Metalla liquantur: lapides uerò non, ſed friantur B
comminuunturq;.

*Lapidum obſcurorũ cauſa.* Lapides porrò obſcuriores ſeu minus perſpicui, ex terrea craſsioreq; quadam, humido tenaci perfuſa ſubſtantia conſtant.

*Lapidum perſpicuorũ cauſa.* Perſpicui uerò ex aqua, cui ſubtilis quædam terrea, nec obſcura materies eſt mixta. Velut Berillus & Criſtallus.

## QVAE CAVSA DVRITIEI MAIORIS & minoris in lapidibus.

Cauſa duritiei lapidum eſt ſiccitas: quę duplici fit ratione: Aut enim fit ea ſiccitas ratione caloris, qui humidum ex materia terrea abſumpſit, terrea materia ſic indurata. Aut fit ratione frigoris, quod humidum perſpicuum ad ſui naturam conuertendo, & materiam comprimendo, in lapidem indurauit & compegit: Velut eſt in lapidibus perſpicuis, qua de cauſa etiam ſunt duriſsimi, & ignem, etiam inter ſe colliſi, emittunt. In cæteris uerò lapidibus de terrę materia factis cauſa duritiei maioris non eſt alia, quàm ariditas, ex calido magis minũsue forti nata, & ex humido facilè uel difficulter à materia ſeparabili. Atq; hac ratione Creta, aliq; mol- *Creta.*
liores lapides, humidum ualde habent euaporabile, & calore excellenti ultra coagulationis menſuram ſunt combuſti, iamq; in calcem redigi inceperunt: Vnde etiam albi ſunt, & tincturam relinquunt albam.

*Silices.* Silices uerò ſunt duriſsimi, eò quòd ipſorum humidum non eſt facilè ſeparabile & euaporabile, ſed ariditate terreſtri, ſiue frigore in ipſis indu ratum, ac pori ipſorum conſtricti ſunt. Simili ratione eſt de aliis omnis

generis

A generis lapidibus, plus minúsue duris iudicandum. Calor enim humidũ exiccat, & molles friabilesq; lapides efficit: Cõtrà frigus indurat & obstruit, grauioresq; & dẽsiores facit. Sic etiam arte lapides fieri uidemus, uelut lateres, qui in fornacibus ex luto tenaci calore ignis aduruntur, & duritiem induunt.

## DE VARIA LAPIDVM IN VARIIS locis generatione.

Constat peculiariter locis quibusdam lapides gigni, uelut amnibus etiam quibusdam, & ripis peculiaris est natura, ut quæ in ipsa incidunt conuertantur in lapidum naturam. Cuius aliquod exempla ex Alberto Magno cõmemorabimus. Fontem tradit esse in Gothia, qui omnia quę in ipsum demissa fuerint, in lapidẽ cõuertat. Pro cuius rei ueritate inquirẽda, Fridericum Imperatorem chirothecã annulo suo signatã immersisse, quæ cũ dimidia sui parte per dies aliquot fonti immersa fuisset, extracta postea, inferiore parte qua aquæ indita fuit, in lapidẽ conuersa, superiore naturã & formam corij retinẽte, est uisa. Ferũt guttas quæ ex eiusdẽ fontis impetu ad marginẽ eius sparguntur, in lapides itidem guttarum quãtitate cõuerti. Præterea in mõtibus altissimis, qui perpetuis sunt tecti niuibus, Cristallos generari uidemus. Sũt etiã quædã aquæ, ex quibus lapides generãtur, si in ripas suas sparganť: sin in alium fundantur locum, minimè. In montibus Pirenæis loca quædã sunt, in quibus aquæ pluuiales in lapides cõuertuntur. Simili ratione ligna in nonnullis aquis iacentia lapidũ naturæ adeò sunt uicina, ut parũ quiddam in aëre exiccata lapidum formam assumant. Cuius rei signum est lapis qui Corallium dicitur, qui haud dubiè de lignis & plãtis generatur, ac extractus ex mari in lapidem mox indurescit. Ripæ nonnullorum fluminum lapides gignũt, aliæ tamen breuiori, aliæ longiori tempore. Montes autem frequenter lapidei inueniuntur. Proinde quod ad locum attinet, non potest certis ńjs locus definiri, siquidem non uno, nec certo aliquo loco, sed nullo non fere lapides fit inuenire. De his igitur satis sit dictum.

## QVAE CAVSAE VIRTVTVM IN LAPIDIBVS preciosis, seu gemmis, item metallis.

Virtutum porrò uariarũ in lapidibus preciosis seu gemmis, prima, sicut & aliarum rerũ, causa est Deus opt. max. Hinc medias adhibere causas nihil uetat, uelut cœlum, quod pro uariorum aspectuum ratione, materiæq; uaria præparatione, diuersas in subiecta corpora uires transfundit, easq; aut utiles, ut quæ uires conseruant, uegetant, roborãt, aut uenenũ pellunt: Aut inutiles, ut quibus contrariæ sunt uires. Ad hæc alię toti corpori, alię parti eius prosunt. Vt Hyacinthus, Granatus, Margaritę, Aurũ, confortant cor, & sedes uirtutũ. Corallium & Achates stomacho, & uentri opitulantur, & à noxijs causis prohibent: Alię noxium ad se attrahũt, postea cõmutãt. Vt Amethistus umbilico admotus, uini uaporẽ cũ primis allicit. Quę in alijs quoq; rebus specialis uirtus deprehendit:

Velut

Velut Scammonium bilem refellit, aliud medicamentū alij humori pur- C
gando deseruit: Aliæ quod noxium est deturbant, ac tandem propellūt,
Veluti Smaragdus, Cyaneus, idq; genus alij: Aliæ præsentem esse cau-
sam aduersam certo inditio commonstrant. Vt electro & Adamanti co-
ram toxico madere contingit. Sic Turchois aut findi, aut omnino ruinā,
aut maculam aliquam appetente periculo afferre dicitur.

## VARIAE OPINIONES DE GEMMARVM uirtutibus.

De his autem gemmarum uirtutibus uarię uariorum fuerunt opinio-
nes. Alij enim gemmis uitam adeoq; animam esse crediderunt. Alij, ut
Alexander ille Græcus, proprietates earum elementis, ex quibus consti-
tuuntur, adscribunt. Hermes uerò Trismegistus cœlum gemmis occul-
tas facultates & uires indere tradit, idq; hoc argumento confirmat: quòd
negatum sit elementis, ut parua mole maxima subitò præstare queant.
Sic oculis Gratiarum præditas ferunt Topazium, Carbunculum, Ada-
mantem, eò quòd gestantibus solùm cœlicas uirtutes, & potentias tribu
ant. Corallium, Carchedonium, Chrysolithumq; à Ioue & Venere uirtu
tes accepisse tradunt, quòd aduersus atram bilem, & melancholiā uim
habeant maximam. Mercurio ob facundiam & uires contra uenena
Achaten sacram perhibent.

Hoc etiam addendum, Gemmas non æquali ratione corpora quæuis D
afficere: Vel efficacius enim, uel segnius, pro corporum cœlestium orbi-
umq;, à quibus uim mutuantur, affiatu & temperamento gemmas opera
ri contingit.

His itaq; generalibus de metallis & lapidibus præmissis, iam ad spe-
cialem eorum enarrationem accingemur, ac ab Auro ordiemur.

## AVRVM.

OMne metallum generatur ex Mercurio & Sulphure, ut dictum est. Aurum itaq;, Græcis χρυσός, fit ex sulphure rubeo, puro, mun-
do, & argento uiuo puro, & mundo. Et quia purissima est auri substātia, incorruptibilius est omnibus alijs metallis, nec ullo etiam igni con-
sumitur, sed magis purgatur. Nec solùm è mon
tium & terræ uenis eruitur, sed etiam in fontibus & littoribus quibusdā inuenitur. Sunt enim quidam fontes auriferi, & amnium quorundā are-
nas aurum in se continere cōstat. In Asia Scythiæ, ut Solinus refert, Gry
phes aurum & argentum possident, ac homines aduenientes, uelut ad aua
ritiam puniendam nātæ, dilaniant.

### VIRES.

Naturę est calidæ & humidæ. Cōfert tremori cordis, Visum recreat.

Tritum

A Tritum aduersus lepram sumitur. Cũ Hieraglodio bina uice in hebdoada metuentibus lepræ infectionem datur. In cibo comitialibus exhibetur. Vinum, in quo candẽs aurum est restinctum, splenis doloribus medetur. Cum aqua boraginis, aut puluere ossis de corde cerui, & saccharo prodest lipothymia laborantibus. Melancholicis plurimum cõfert, præsertim ijs, qui secum soli loquuntur. Omnem in corpore putredinẽ prohibet. Putefactæ item auro corporis partes absq; periculo omni & putrefactione sanantur. Hæc paucis de auro, eiusq; uiribus, dicta sint. Plenam eius tractationẽ & purgationem, qui nosse uolet, legat scriptores eius rei Metallicos, qui ex professo hæc tractarunt. Hic enim simplices tantùm descriptiones, & Medicinas enumeramus.

## ARGENTVM.

B

ARgentum, Græcis ἄργυρος, fit ex argento uiuo albo, & mundo, à quo etiam coloratur: & ex sulphure albo, mundo, & nõ adurente. Et hinc necessariò est albũ & fulgens: Calor siquidem sulphuris bene mũdati dealbat, & subtile reddit, adeoq; exiccat: qua de causa etiam maximè sonorũ est, & tinniens, ac durum siccumq; inuenitur. Sub uenis argenti inuenitur mollis quædam materia uelut densum aliquod pulmentum, quod inditium est, argenti uiui maximam in ijs locis, ubi argentum generatur, esse abundantiam, ac in generatione argenti sorditiem omnem, quæ deinde uelut fæx quædam remanet, expurgari. Inuenitur etiam interdum argẽtum tenax, & flexile siccumq;, cuius rei non alia est causa, quàm quòd aliquid adhuc humidi phlegmatici extrinsecus adhæreat.

### VIRES.

Argento natura est frigida: humiditatem habet temperatam. Valet itaq; membris spiritualibus, & præcipuè ad cordis tremorem. Cor confortat, sanguinem bonum gignit. Putridã uulnerum carnem consumit. Vulnera item glutinat. Cum oleo tartari scabiem malam curat.

Recrementum argenti, quod Græci ἔλκυσμα uocãt, item ἔγκαυμα, Germa. Silberschlacken/uim habet adstringendi, & extrahẽdi: Valet itaq; ad emplastra, quæ Phæas uocant: Medicamentis item cicatricem inducentibus additur. ἔλκυσμα.

## SPVMA ARGENTI.

Lithargyrium. SPuma argenti, Græcis λιθάργυρος. Officin. Lithargyrium. Ger. Silber Schaum/& Gledt. Est nihil aliud quàm plumbum nigrũ, quod purgationis gratia argẽto additur, cum sordibus argenti in spumã concretum. Estq; duplex: Alterum colore aureo, quod Græcis χρυσῖτις dicitur, Offic. Lithargyrium auri: Germa. Goldglet. Alterum colore argẽti, quod ἀργυρῖτις Græcis, Offic. Lithargyrium argenti, Germa. Silberglet appellatur. De eius lotione & purgatione, uide Dioscoridẽ lib. 5.

VIRES.

Vis ei adstringendi, molliendi, explendi caua, excrescentias in carne reprimendi, ad cicatricem ducendi, refrigerandi, & constipandi. Elota ad oculorum collyria, & cicatricum fœditates tollendas, faciemq; erugãdam, & maculas cutis purgandas prodest. Puluis eius cum oleo nucum scabiem ex malis humoribus prouenientem sanat. Cum sale & aceto cicatrices, & cutis asperitatem emendat. Cum oleo nucum, aceto, bolo armeno, & aqua rosacea, ad clysteres puluis eius additꝰ. Exulcerationibus occultarum partiũ inspergitur. Cum anserina adipe, cerussa & aqua rosacea serenitatem faciei inducit. Fœtorem & sudorem alarum reprimit. In potu uentrem constipat, & urinam cohibet. Scabiei quæ ex cholericis humoribus ortum habet, medetur. Cum oleo rosaceo contra tumorem uirgæ masculæ illinitur. Omnium optima, teste Dioscoride, flaua, quæ Chrysitis. Chrysitis appelletur, quæ si desit, altera lauabitur, ut candorem accipiat. D

## ELECTRVM.

ELectrum, Græcis ἤλεκτρον. Duplex est electrum: Alterum artificiale, alterum naturale. Artificiale fit ex argento & nitro commixtis. Ger. Conterfey. Naturale uerò est, quod ex auri & argenti commixtione cõstat, & hoc inter metalla numeratur: quod tribus partibus auri, & una argenti constat. Item quod quintam partem argenti habet. Veteres idipsum omni metallo dixerunt esse melius. Ferunt uinũ ueneno mixtum, in uas ex eiusmodi electro factum infusum, stridorem emittere, non aliter atq; nitrum infuso aceto.

Præterea Electri etiam nomine Succinum Græci appellant, ut infrà de Succino dicetur.

VIRES.

Facultatum auri & argenti, cùm ex utrisq; sit compositum, esse particeps, est uerisimile.

## AES.

Orichalcum. Aurichalcum. Cuprum. AEs, Græcis χαλκός, & ὀρείχαλκος, quod & Latini Orichalcum, & Aurichalcum exprimunt, ab ὄρος, id est, mons, quòd in montibus fodiatur. Cuprum item hodie Latinis dicitur. Germ. Kupffer. Impropriè uerò nonnulli æris uocabulo omnis metalli rudem adhuc materiã uocant. Imitari in hoc uolentes Germanicam appellationem, qua Germani rudẽ metallo.

A metallorum materiam **Ertz** nominant. Multò etiam magis incõuenien ter æris uocabulum generale ad omnia metalla quidam faciunt. Officinæ uocant Aes ustum. Germa. **Kupfferſteyn/Gebrañt Ertz**. Fit autẽ æs ſiue cuprum è ſulphure rubro, & Mercurio non prorſus immundo. Aes uſtũ

Eſt tamẽ hoc diſcriminis inter æs, ſeu orichalcum & cuprum, quòd cuprum dicitur rudis adhuc, & non perfectè elaborata materia, ad rubedinẽ plurimum accedens, quod Germa. peculiariter **Kupffer** uocãt. Aes uerò ſeu orichalcum eſt cuprum perfectè elaboratum, & aurei coloris prorſus æmulum. Ger. **Meſſing**/quæ alteratio fit per puluerem lapidis Calaminaris dicti, item admixtione ſtanni, quod maiorem ipſi candorẽ indit. Argento uerò purgationi eius impoſito, auri prorſus fit æmulũ, ut facilè ignaros decipiat. In uirorem uerò conuertitur, ſi ſale aſperſum lotio pueri aut aceto ſuperponatur.

VIRES.

Aes uſtum, ſiue Cuprum, Dioſc. teſte, adſtringit, exiccat, reprimit, extenuat, attrahit. Vlcera purgat, & ad cicatricẽ perducit. Vitia oculorũ emendat. Excreſcẽtias carnis cum oxycroceo, aut emplaſtro apoſtolico, conſumit: nomas cohibet: uomitus ciet cum hydromelite aut melle ſumptum uel illitum. Cum melle & ſmegmate fiſtulas ſanat. Melancholiam purgat: unde emplaſtris ſplenis melancholiã educentibus admiſcetur. Aes uſtũ.

Aeris recrementum ſeu repurgatio, quam Scoriam uocant, eandem B cum ære uim poſsidet, ſed imbecilliorem. Lauatur autem æs, & etiam recrementũ eius, ſicut Cadmia, quater in die aqua mutata, donec nullæ amplius ſordes appareant. Aeris recrementũ

Flos æris eſt ueluti ſpuma eius, & tenuiſsima liquefacti æris ſubſtãtia, quæ in repentina frigidæ aquæ infuſione expuitur, ſeu exilit, milij grani magnitudine, colore purpureo. Græcis dicitur χαλκῦ ἄνθος, hoc eſt, æris flos, qua uoce multi decepti, perperam idem eſſe exiſtimarunt cum compoſita eiuſdem nominis dictione, quam Chalcanthum appellant Græci, Latini uerò Aeris æruginem. Vis ei adſtringendi, & excreſcentias carnis cohibendi: Caliginantibus item oculis prodeſt, uehementer tamen mordet. Hodie nullus eius eſt in Medicinis uſus. Flos æris.

Squama æris, German. **Kupfferſchlag**. Eſt æris illud recrementum, quod ictu malleorũ deſilit: eſtq; alia craſsior, quæ Ger. **Kupfferſchlag** dicitur: Altera uerò farinæ in modũ tenuis, quam Plinius Stomoma uocat, Germa. **Keſſelbraun/Kupfferbraun**. Stomoma tamen aliàs ſignificat optimum ferri genus, quod Chalybs aliàs nominatur, cuius ſquamę Stomomatis ſquamæ appellantur. Vim habet ſquama æris adſtrictoriã, extenuantem, reprimentem, & erodentem: Nomas compeſcit, & ulcera ad cicatricem perducit. De ærugine æris ſigillatim poſt metalla dicetur. Squama æris. Stomoma

## STANNVM.

STannum quod aliqui plumbum uocant candidũ, Græcis Κασσίτερος, ex argento uiuo fit puro, claro, & ſulphure craſſo, & immundo. Balbu-

tientẽ, dicit Albertus Magnus, habere cõpositionem, cuius causa sit mor C
tificatio argẽti uiui ex aliquo uapore dissoluto, uel alia lotura aquæ acutæ, quæ disiungit partẽ eius. Et conuenit cum plũbo, quia neutrum rubiginem cõtrahit, sed potius squalorem & sorditiem quãdam, plus tamen plumbum, cꝫ stannum: cuius rei causa est, quòd nõ humorem aliquẽ habent calidũ, aqueum, uel acutum paucũ, qui terreum, qui in ipsis est corrũpat, inq; rubiginẽ conuertat. Præterea in hoc quoq; cõuenit cũ plumbo, quòd neutrũ est sonorum, multum per se ipsum: Cuius rei causa est mollitiꝭ, & humor. Stannũ tamen plumbo magis est sonorũ. Adhæc etiam stannum fusum citò putrescit: plumbum uerò sub dio & in terra crescit: quod hac ratione accidit, quia malè est stannũ mixtum, ac proinde cũ ab igne debilitatur, aq; generationis suæ loco remouetur, citius etiam aliꝭ metallis putrescit & corrũpitur: Plumbũ uerò, quia crassæ est substãtiæ, multumq; terrestris humoris habet, facilè humores crassos ad se attrahit, & in suam substantiam conuertit, sicq; incrementum sumit.

## PLVMBVM.

PLumbum, Græcis μόλυβδος. Fit ex argento uiuo impuro, crasso, lutulento, & sulphure modico, impuro. Quæ causa sit hebetudinis eius, & cur sub dio & in terra crescat, in stanno diximus. Plumbo autem reliqua metalla, uelut aurum & argentum purgantur: non tamen per se, sed D
per accidens: siquidem calor ignis per se purificat, purum cum puro cõgregando, & impurum segregando. Cùm itaq; argentum sit humidum, ignis uerò siccus, calor ignis, nisi aliquo eidem uniretur, ab argento recederet: plumbum itaq;, quasi elixando argentum digerit, & depurat. Grauitas autem plumbi est ex lutosa, & humida eius substantia.

### VIRES.

Plumbum naturæ est frigidę, & constrictiuæ, unde contra libidinem Venereorum, & nocturnas pollutiones ualet, laminis eius lumbis circa renes suppositis. Ne tamen frigiditate sua nimia renes lędat, lamina perforanda est, ut spiritus exitum habeant.

Elotum plumbum

Lauatur plumbum hunc in modum, ut docet Dioscorides. In mortarium plumbeum aquam iniicito, & pistillo plumbeo, donec aqua nigrescat, & limi modo crassescat, tundito. Linteolo deinde colato, aquam, ut facilius, quod est resolutũ, incerni possit, superinfundẽs. Hocq; iterũ dũ sufficere tibi uidebitur facito: ubi cõsederit, priore aqua effusa nouã addito, & sicut Cadmiam, donec nulla appareat amplius nigritia, lauato: postea in pastillos redigito. Plures lauandi modos, docet Dioscorides.

Vim habet elotum plumbum refrigerandi, adstringendi, inducendi, molliendi, caua explendi. Oculorum fluxiones sistit. Vlcerum excrescẽtias cohibet. Sanguinem sistit. Prodest ad ulcera sedis, condylomata & hæmorrhoidas ex rosaceo. Cicatricem difficulter admittentibus est utile. In totum effectus præbet spodij, nisi quòd non obducit crustas.

Vritur

A Vritur etiam plumbum, quod fit hoc pacto: Tenuissimas plumbi laminas nouo fictili, interspersо sulphure, imponito, idq; donec totum fictile expleueris: igni postea succendito: & flagrãte iam plumbo, ferrea rude, donec in cinerem perfectè redigatur, nihilq; è plumbo non ustũ hæserit, uersato: hinc obstructis naribus, ne noxius plumbi halitus sentiatur, eximito. Hunc modum ut optimum probat Dioscorides, apud quẽ plures est uidere. Vstum sic plumbum lauatur ut Cadmia, & ad usus reponitur. Vires habet cum eloto plumbo pares, sed efficaciores. *Vstum plumbum.*

Scoria plumbi, hoc est, recrementum, Germa. **Bleyschlacken.**

Est autem Scoria, ut semel dicamus, generale uocabulũ ad omnis metalli recrementum. Vt Scoria argenti est **Silberschlacken**/ Scoria ferri, **Eisenschlacken.** Valet ad eadem ad quæ plumbum ustum, efficacius tamen adstringit. Optimum est densum, fractu contumax, cerussam planè repræsentans, nihil plumbosi habens, ad luteum colorem uergens, splendorem uitri præ se ferens. *Scoria plumbi. Scoria quid.*

Cerussa, Græcis ψιμύθιον, German. **Bleyweiß.** Fit ex plumbo, hunc in modum: Lamina plumbea super uasis aut fictilis aceto acerrimo repleti spiraculum ponitur, uapore itaq; aceti lamina corrumpitur, & substantia plumbi in puluerem conuertitur, qui colore albo cõspicitur. Est itaq; cerussa nihil aliud, quàm plumbum aceti acerrimi uaporibus in pollinem album resolutum. *Cerussa.*

B Frigida est & sicca in secundo gradu.

Vires ei sunt refrigerandi, occludendi, emolliendi, explendi, & extenuandi. Excrescentias in carne leniter reprimit, & ad cicatricem perducit. Miscetur ceratis & emplastris, quæ liparæ uocantur. In potu uerò est letalis.

Vritur eadem pari efficacia, donec rufescat, & Sandyx dicitur, quam intellexisse uolunt Vergilium in eclogis, dicentem: *Sandyx pascentes uestiet agnos*: quod tamen de herba plerique accipiunt. Lauatur præterea Cadmiæ modo. *Sandyx.*

## FERRVM.



FErrum, Græcis σίδηρος. Fit ex argento uiuo modico, ponderoso, immundo, & lutulento: & sulphure spisso, impuro, & adurente. Ac proinde etiam nõ liquatur sicut reliqua metalla, sed mollificatur tantùm. Crassa enim & terrestris substantia in eo multa partim eius defluxionem prohibet. Omnium itaq; metallorum est durissimum, & instrumentis fabrilibus aptum.

Ex ferri specie est etiam Chalybs, quod Germani **Stahel** uocant, ueteribus Stomoma dictum, quòd ex hoc cultellorum & gladiorum acies, quas στόμωσας, hoc est, ora uocant, fiant. Est autem Chalybs subtilior & *Chalybs. Stomoma.*

aquosior ferri pars, per distillationem extracta: ideoq; durior est, & cõ- C
pactior, propter ignis uidelicet & partium subtilitatem, quæ per ustionẽ duriores fiunt. Propter maiorem etiam siccitatem, & terrestris humoris separationem est candidius, & facilè etiam dissilit.

VIRES.

Quod ad uires attinet, splenì, et stomachi imbecillitati cõfert, aqua uidelicet, in qua cãdens ferrũ aut chalybs extinctus fuerit, hausta. Vinũ uel aqua in qua candens ferrum sit restinctum, cœliacis, dysentericis, lienosis, cholera affectis, & stomacho dissolutis potu auxiliatur.

*Rubigo ferri.* *Ferrugo.* Rubigo ferri seu ferrugo, Græcis ἰὸς σιδήρου. Germa. **Eisenrost**/nemini non est incognita. Vim habet restringendi. Sistit fœminarum profluuia, admota. Potu cõceptũ prohibet. Ex aceto illita ignibus sacris, & papularum eruptionibus prodest. Ad scabritias itẽ genarum, reduuias, pterygia & condylomata ualet. Gingiuas firmat. Alopecias capillis explet.

*Scoria ferri.* Scoria ferri, seu recrementum eius, Germa. **Eisenschlacken**/sunt sordes ferri, quæ inter cudendum repurgãtur. Viribus cum rubigine est ijsdem, minus tamen efficacibus. Ex aceto mulso pota prodest ijs, qui aconitum sumpserunt.

## CADMIA.

EX dictis iam Metallis colliguntur Cadmia, Spodium & Pompholyx, quare de his etiam aliquid dicemus.

Cadmia corruptè Chnia, & Cniaca, duorum est generum: Altera fos- D
silis seu natiua: altera factitia.

*Thutia.* Cadmia factitia Officinis dicitur Thutia, quo nomine Serapion Spodiũ metallicum, et Pompholyga appellat. Gignit ea ex ære in fornacibus candẽte, fuligine flatu egesta, & lateribus camerisq; fornacum inhærẽte. Huius fermè sunt sex species: Vna Botryitis nomine, quam reliquis Dioscorides præfert, densa, modicè grauis, in leuitatẽ magis declinans, racemosa facie, colore spodij, quæ fracta cinerulẽta & æruginosa est. Proxima foris cœrulea, intus cãdida, internatis uenarum discursibus, onychitę lapidi similis. Tertia Placodes dicit, hoc est, crustosa, segmentis quibusdã quasi zonis cincta, unde etiã Zonites appellat. Quarta Ostracites, gracilis & nigra magna ex parte, facie testacea terrenaq;, in ima nascẽs fornace. Quinta est puluerulẽta leuissimaq;, colore plerũq; ex candido in æreum aut cœruleũ modicè degenerans. Sexta subfusca, minus efficax, quæ Capnitis dicitur, qp uidelicet fumi aut fuliginis instar sit leuis, quæ in ore fornacis ubi flãmæ eluctantur, gignitur. Priores uerò species in ipsa fornace gignuntur. Fit etiam Cadmia factitia in argenti fornacibus, candidior, & minus ponderosa, sed quàm æraria longè uiribus inferior.

*Calaminaris lapis.* Cadmia natiua, seu fossilis itidem est duplex: Altera Officinis Lapis calaminaris dicitur, Germa. **Galmey**. Ponderosa, scabra, & uersicolor: Altera aspectu racemosa, mixtis ueluti cubis cõstans, foris colore spadiceo, intus uerò argenteo, cuius meminit Galenus, reliquis Cadmię speciebus eandem præferens.

Lauatur.

A Lauatur Cadmia in mortario trita, effusa subinde aqua, dum sordidum nil emergat, dein cocta in pastillos reponitur. *Lotura Cadmiæ.*

VIRES.

Vires Cadmiæ sunt adstringere, caua explere, sordes expurgare, exiccare, corporis meatus infercire, excrescentia in carne coërcere, crustas inducere, ulcera cacoëthe ad cicatricem perducere: Botryitis & Onychitis priuatim oculorum medicamentis sunt utiles: reliquæ ad emplastra & farinas quæ cicatricibus inducendis insperguntur.

## POMPHOLYX, ET SPODIVM.

POmpholyx, quasi dicas bulla. Officinis, Nihili album. Germ. **Weiß nicht.** Est eiusdem generis cum Spodio, à quo non nisi sola specie, ut Dioscorides ait, differt: genere enim sunt idē. Spodium uerò est illud ipsum, quod Officinæ Nihili nominãt grisium, Germ. **Graw nicht.** Ac errãt Officinę, quę ex Arabum traditione Spodium putãt esse ebur ustũ, seu cannam, hoc est, arundinem ustam, quæ ipsi pro Spodio exhibent, & usurpant, Spodium & Nihili grisium diuersa faciẽtes exhibentesq;. Cùm satis apertè Dioscorides & Galenus doceãt, genere Spodium & Pompholyga esse idem, specie uerò tantùm differre. Ebur uerò ustum cũ metallorum genere, ex quo sunt Spodium & Pompholyx, nihil cõmune habere potest. Quis enim non uidet diuersa genere esse os, seu ebur ustum, *Nihili album.* *Nihili grisium.*

B & ærariam fauillam? Distinguuntur ergò Spodium & Pompholyx hoc modo: Spodium Latinè idem quod cinis est, extincta metallorum fauilla nigricans, quæ propter pondus suum decidit, & circa fornacem, & eius pauimentum colligitur. Pompholyx uerò similiter est extincta metallorum fauilla, sed candida, pinguis, tenuissima, & leuissima, quæ summis fornacum caminis adhæret, inq; corpus magnum accrescit, quę cùm crescit principiò, surgentibus in aqua bullis est similis, unde nomen accepit. Quòd uerò ad Spodium Arabum attinet, quod ebur ustum faciunt, non est uerum Spodium, ut antea dictum est, sed in locum eius substitutũ, estq; magis antispodium, hoc est, in ueri Spodij locum suppositum. Antispodia autem sunt frondes arborũ, & chartæ quædã exustæ, quarũ in ueri spodij defectu potest esse usus. Quomodo Pompholyx conficiatur, & quomodo item lauetur, Vide apud Dioscoridem, & alios qui de metallis scripserunt. *Spodium Arabum.* *Antispodium.*

VIRES.

Vires Pompholygis sunt adstringere, refrigerare, explere, purgare, obstruere, & aliquantum exiccare.

## ARGENTVM VIVVM.

ARgentum uiuum, Græcis ὑδράργυρος, quasi aqueũ argentũ, quòd sit fluxile adeoq; mobile. Officinis Mercurius. Germa. **Queckſilber.** Materia est omnium metallorum, ad quorũ substantiam, sicut & sulphur, requiritur. *Mercurius.*

Est autem duplex: Alterum naturale: alterum uerò factitium, quod ex Cinnabari in sartaginem seu ollam ferream impositò, et patina supposita fictili, & argilla superlita crematur. Tantarum tradunt esse uirium, ut lapidum centenis libris sestertium eius resistat, & attollat. In uitro autem, quia omnia ui sua penetrat, optimè asseruatur. C

VIRES.

Frigidæ est & humidæ naturæ. Vtuntur eo ad membrorum plerique dolores, & ad scabiem capitis, & pediculos, sed non absq; magno utentium damno: siquidem neruos summo damno afficit, ac etiamsi ad tempus dolores mitiget, maximo tamen postea cruciatu membra lacerat. Qua de causa non facilè medicamentis nisi in summè extremis refugijs adhibebitur. Fumus eius membris est pestilentissimus: paralysin inducit, & rationem perturbat. Intra corpus noxium est. Contra sumptum uerò Mercurium, lac caprinum bibatur, corpusq; moueatur: Vel uinũ cum sinapi, absinthio, uel hyssopo decoctum sumatur. In summa, quacunq; ratione eius usus esse poterit, siue uiui, siue perempti, uidetur fugiendum. In alijs uerò rebus suam commoditatem non exiguam habet: siquidem in deaurandis metallis aurifabri hoc carere nequeunt. Ac manifestum est, quòd qui crebrò argentum inaurant, ex frequenti eius usu in neruorum læsionem incurrunt. D

## SVLPHVR.

SVlphur, Græcis θεῖον. Est duplicis differentiæ: Alterum quod Viuum uocant, Græcis ἄπυρον, quod ignẽ nondum est expertum. Alterum quod citrinum seu fusum cognominant, quod igne liquefactum est, & in cilyndros fusum. Non igitur differunt nisi per accidens. Constat autem ex substantia partim aëria, cuius rei argumentũ est, quòd facilè inflammatur & accenditur: item ex aquea, quoniam facilè à calore igneo liquatur: præterea ex substantia terrestri, unde facilè comminuitur. Fœtor uerò qui ex accensione eius oritur, argumento est terrestrem eius substantiam esse indigestam prorsus. Interdum etiam ad rubedinem uel nigredinem magis declinans sulphur inuenitur, quod fit ratione uincentis in ipso, & adurentis caloris.

VIRES.

Calidum est adeoq; siccum in quartum usq; gradum. Vires eius sunt attenuare, discutere, attrahere, & exiccare. In ouo sumptum, tussi, suspirijs, & purulẽta excreantibus, teste Dioscoride, prodest: Aduersus pestilentis quoq; aëris infectionem est remedio. Suffitus eius mortuos fœtus extrahit, & matricem purgat. Tritum cum aceto cutis immunditiem abstergit. Cum resina terebinthina psoram, lichenas & lepras, sanat. Cum baccis lauri, & axungia recente porcina, scabiem certò sanat.

Venena.

A Venatorum morsibus cum terebinthina, uel melle, uel oleo ueteri, aut etiam lotio, medetur. Cum nitro & aqua podagricis illinitur. Suffitus eius lethargicos excitat: grauitatem auditus sanat: erumpentem sanguinem sistit. Cum uino aut melle contusis auribus illinitur.

Sulphureæ balneæ, neruos emolliunt, & calfaciunt, dolores sedant. Ventriculum tamen effœminant, & subuertunt, omnia cutis uitia exterunt. Prosunt itaq; alphis, leucis, impetigini, ulceribus antiquis, articulorum defluxui, lieni indurato, iecori, utero, resolutionibus, coxēdicibus, & scabiei. *Sulphureæ balneæ.*

## SAL.

SAl, Græcis ἅλς. Aliud est fossile, aliud uerò est factitium. Fossile sal plures habet species: siquidem aliud est crystalli instar perlucidum, quod Sal gemmæ uocatur, in Vngaria copiosè proueniens: aliud nigrum, quod Sal radicum uocant: aliud Naphthicum nigrum ex naphtha quæ in ipso est: Præterea Sal Armoniacum dictum, à petris uidelicet Armenię, ubi colligitur, ad candorem etiam accedens, quod Salmiax uulgò uocant. Sal factitium coquitur ex aqua marina, & passim etiam in Germaniæ locis ex amnibus & fontibus salsis. Omne autem sal unius est naturæ, terrestris uidelicet. *Sal fossile. Sal gemmæ. Sal nigrū. Sal radicum. Sal naphthicum. Sal Armoniacum.*

B

### VIRES.

Calidum est & siccum in quarto gradu. Est autem propter terrestrem naturam stipticum: propter siccitatem uerò est exiccatiuum, & conseruatiuum à putredine, constrictiuumq;: Propter caliditatem uerò & siccitatem est absterſiuum: est præterea penetratiuum propter acumen insapore. Quod uerò crystallinum est, peculiariter crassorum humorum est consumptiuum. Vires itaq; salis sunt, constipare, exiccare, conseruare à putredine, abstergere, penetrare, & consumere. Vnde crassos humores discutit: sordidam hulcerum carnem consumit. Cum oleo pruritum & lepram tollit. Cum aceto, melle & oleo, ana ʒ. s. aduersus anginam collo illinitur, & partim deglutitur. In clysteres additur: siquidem absterſiuū est. Cum oleo, aceto, & melle cutem purgat & extergit.

Contra scabiem, fluxus gingiuarum, & nomas unguentum ex sale, farina hordeacea, & melle conficitur. Cum melle & oleo illitum hulcera ardentia mollit & soluit. In oleo minutim tritum sal, & articulis affrictum, mirificè iuuat eos, qui à podagra & arthritide liberi esse cupiunt, nisi ficca præter modum fuerint temperie prædíti: Est autem hoc illitu manè & uesperi per omne uitæ spacium utendum.

Cum oleo tritum, & gutturi cum penna immissum, collapsam uuulā subleuat. Excrescentias in oculis consumit, & pterygia cum succo chelidoniæ instillatum tollit. In aqua fontana resolutum, uermes aurium perimit.

Faciet

Faciei maculas in aqua rosacea dissolutum, & cum camphora mixtũ, C
inq; sole exiccatum, ac oleo sambuci postea temperatum, extergit.

Spuma salis, ut Dioscorides docet, est lanugo quædam seu ramentũ spumosi maris, in exilibus petris inuentum. Facultates cum sale similes obtinet. Officinis hodie in nullo est usu.

## NITRVM.

NItrum ex salis est genere, nonnihil obscurius quàm Sal gemmę, perlucidum tamen, & laminæ in modum proueniens: Optimum describit Dioscorides, leue, roseo aut cãdido colore, in foramina dehiscẽs, ueluti esset spongiosum. Nitrum uerò quod hodie coquitur ex terra, Sal petræ dictum. Germa. **Salpeter** / à descriptione Nitri ueterũ abest. Veterum siquidem nitrum prunis impositum, bullas primùm paucas emittit, quibus cessantibus ipsum nitrum remanet, salis modo igni tostũ, nec ab eo accendi consumiue potest. Quod autem nunc passim fit nitrum igni iniectum, uel admotum flammam statim concipit, & in aërem euanescit.

*Sal petræ.*

VIRES.

Calidum est & siccum in secundo gradu. Viresq; habet incidendi, purgandi, & erodendi. Nostrum uerò tenuium est ualde partium: siquidem gustatum linguam cum maxima tenuitate pungit, & saliuam copiosam educit. D

Additur medicamentis psoricis, & corrosiuis. Cum aceto scabiei illinitur. Cutem erodit. Torminibus aluiq; doloribus medetur. Furfures capitis purgat, & pediculos pellit. Vermes aurium necat, earumq; sordes expurgat.

## ALVMEN.

ALumen est amaritudo quædam terræ, ex crasso & terrestri humido concretum. Estq; in triplici differentia: Nimirum longum seu scissile, quod ad argenti colorem accedit, & in scindẽdo est plumosum, atq; hoc est optimum. Non autem est illud quod Alumen aliàs plumosum dicitur, ut falsò aliqui existimant. Siquidem alumen omne in aqua resoluitur, & igne exuritur: quod uerò plumosum dicitur, neq; dissoluitur, neq; crematur, & est lapis is qui Amiantus aliàs dicitur, uelut in Amianto interlapides dicetur. Scissile autem præsens genus aluminis, quod reliquis præfertur, est ueluti flos quidam natiui gleboси aluminis. Alterum quod est siccum & rotundum, ut mollis lapis, quod gleboсum uocãt: splendore & albedine à priore nonnihil recedẽs, minusq; efficax, quod hodie habemus, sed factitium. Tertium est siccum & petroсum, ad citrinitatẽ declinans. Optimum est scissile, & efficacissimum.

1. *Longum seu scißile.*

2. *Rotundũ.*

3. *Citrinum.*

VIRES.

Calidum est & siccum in tertio gradu. Vis ei constipandi & consumendi,

A mendi, quod in gustu adstrictio, & salsedo indicat. Tritum cum lumbricis carcinomati illinitur. Cum ellychnio insertum fistulas sanat. Hebetudini oculorum auxiliatur, & maculas eorum exterit. Putridam uulnerũ carnem purgat. In aceto dissolutum gingiuarum putredini collutione medetur. Pediculos & immunditiem capitis, in aqua dissolutum pellit.

Dolori item dentium, pruritui, scabiei, carcinomati, labiorumq; tumori auxiliatur. Aluminosæ balneæ prosunt hydropicis, sanguinem reiicientibus, uentriculo uomiturienti, hæmorrhoidibus immodicè profluentibus, inordinatis mulierum purgationibus, abortientibus, & iis qui immodico sudore resoluuntur, & ad tibiarum uarices. Aurium dolori cum succo polygoni medetur. Sanguinis fluxus exiccat & cohibet. Excrescentias carnis consumit. Cũm expressis uuis fœtentem oris halitum emendat. Malignis hulceribus prodest. Cum sale gemmæ adustionibus auxiliatur. *Balneæ aluminosæ.*

## CALX.

CAlx duplex est: Viua & extincta. Vritur autem in fornacibus ex lapidibus. Calcem uiuam Græci uocant ἄσβεστον. Et est calx usta, nulla adhuc aqua restincta. Vbi uerò aqua superfusa accensa, & extincta fuerit, calx extincta dicitur. Locis autem maritimis ex buccinorum uritur testis, estq; eius ad ædificia, & structuras, sicut nostræ calcis quæ ex lapi-
B dibus uritur, usus. Locis mediterraneis ex lapide fit albo, & uiliore quodam marmoris genere. Vritur præterea ex testis ouorum hunc in modum: Testas ouorum in recentem ollam inijce, eamq; in clibanum quo lateres coquuntur imponito, cumq; formã calcis assumet eximito. Ea præcipuè ualet ad hulcera, aut uulnera inueterata illita.

### VIRES.

Calida est & sicca in secundo gradu. Cum oleo & axungia sordida uulnera ad cicatricem perducit. Cum aqua rosacea & fumi terræ pso-ram abstergit, & cutem purgat. Conficitur unguentum album ad apostemata, & uulnera inueterata ex calce, hunc in modum: Recipe Cerussę unc. unam, Calcis unc. semis, misce cum cera & fiat unguentum. Inextincta calx cum lixiuio decocta & sicca imposita, apostemata dura aperit. Cum oleo & sero lactis pustulas, sordida hulcera, & apostemata sanat. Superfluã carnem cõsumit. Adustionibus quoq; extincta calx medetur.

Conficitur præterea ex calce Smegmã optimum, hoc pacto: Recipe modij calcis quartam partem, cineris sarmentorum uitium tantundem, cineris Saponariæ libram semis, misceantur, ac in uas aliquod imposítis, superfundantur sex aut septem urnæ aquæ, relinquanturq; ad triduũ indies agitata: postea aquam eminentem purã effundito, prius tamen penna eam probans: si enim plumæ intincto calamo detrahantur, satis temperata est materia: sin minus, diutius aquam superinfusam relinques. *Smegmatis confectio.*

Demptam

Demptam postea puram aquam quatuor urnarum mensura aheno C
infundito, quinq; seui libris additis, duodecimq; horas igni, donec densa
ri uideris coquito, ac dimidiatam adhuc aquæ urnam cum libra una sa-
lis affundito, cumq; ad semihoræ spaciū cocta fuerint, ab igne remouens
in tabulas pro tuo arbitrio digerito.

## CHALCANTHVM.

*Atramentum sutorium. Atramentum. Vitriolū.*

CHalcanthum, χάλκανθον Græci, Latini uocant Atramentum sutoriū, & simpliciter atramentum, quòd nimirū sutores olim coria hoc tingebant. Pharmacopolis Vitriolum dicitur. German. **Kupfferwasser/ Victrill.** Dioscorides tres facit eius specie differentias, genere tamen easdem. Primùm, quod in stirias concrescit, quod stillatitium uocat. Alterum, quod in glebas est concretum, Vnde Græcis Pecton, id est, gelatū uocatur, quam Vitriolum Romanum hodie uocant. Tertium, quod coquitur, & coctile uocatur, inualidissimum, & inutile, quod hodie passim habetur, fitq; ex sale, sulphure & lapidibus.

*Vitriolū Romanū.*

Est autem ex colore itidem triplex: uiride uidelicet, cœruleum, & album. Optimum est cœruleum, graue, concretum, translucens, cuiusmodi est stillatitium, quod Græci λυγχωτὸν uocant. Constant uerò atramenta ex terra & aqua.

### VIRES.

Atramentum sutorium seu Chalcanthum uires habet adstringēdi, cal D faciendi, & crustas inducendi. Drachmæ pondere sumptum, aut cum melle linctum latas uentris tineas necat. Vomitus ciet. Ex aqua prodest aduersum hausta fungorum uenena. Aqua dilutū, & in uellere naribus instillatum, caput purgat. Puluis eius narium & aurium hulcera sanat: aurium dolorem sedat, & uermes earum perimit. Cum uitro & melle glibribus escam mortiferam præbet. Cum aqua coriandri psoræ & sacro igni illinitur. Tritū fistulis inspergitur. Naribus inditū sanguinem sistit.

## AERVGO.

*Aes uiride*

AErugo, Græcis ἰός, est nihil aliud, quàm rubigo æris. Pharmacopolis Aes uiride. Germa. **Kupffergrün/ Grünspan/ Spangrün.** Est autem duplex: Rasilis, quæ est in usu, & à Dioscoride describitur. Altera natiua, quæ in ærarijs fodinis gignitur, & uermiculorum in modum concrescit, unde Græcis σκώληξ est dicta.

Aerugo rasilis fit hunc in modum: Lamina æris super acetum acerrimum, aut urinam pueri masculi ponitur, & post decimum diem uirorē acquirit, qui postea abraditur. Vel uas æneum super foramen uasis aceto acerrimo repleti inuersum ponitur, ac ubiq;, ne spiritus penetrēt, obstruitur, ac post decimum diem ęrugo contracta abraditur. Natiuę ęruginis nullus est usus hodie, est alioqui optima, & prestantissima. Eligitur quę plurimum uiret, & in os sumpta urit.

VIRES.

VIRES.

Naturæ est calidæ & acris: Adstringit, calfacit, extenuat. Vulnera ab inflammatione tuetur: Cum oleo & cera ulcera ad cicatricem perducit: Calles & sordida ulcera purgat. Cum melle callum fistularũ erodit, collyrij modo cum melle in eas adactum. Ad gingiuarum excrescẽtias, & extuberationem prodest: post illitionem uerò locus spongia ex aqua calida est fouendus. Cum ære & nitro ex resina terebinthina tẽperata lepras pellit.

## CHRYSOCOLLA.

CHrysocolla Latinè idem ualet quod Gluten auri, nomine inde impositio, quòd hoc aurifabri aurum olim ferruminarent. Germa. **Schiffergrün**. Optima est quæ colorẽ porri refert, quæq; pura fuerit. Reprobatur uerò quæ terrea aut calculosa fuerit. *Gluten auri.*

VIRES.

Valet ad cicatrices purgandas: Carnem excrescentem reprimit: adstringit, purgat, calfacit, & modicè corpus mordendo exest. Medicamẽtis uomitum cientibus, & letalibus annumeratur. Hodie uerò ignotus est eius in Medicinis usus.

## MOLYBDAENA.

Μολυβδαίνη, Latinis Plũbago. Duplex est Dioscoridi: Altera factitia, quæ fit cùm aurum siue argẽtum plumbo purgatur, ac nihil est aliud quàm eorum fæx, quę in fundo residet. Germ. **Test** dicitur. Altera uerò est naturalis seu fossilis, priori similis, German. **Zwitter**/ & **Bleyschweyff** dicta. Optima est flaua, argenteã spumã referens, modicè splẽdens, cùm teritur rufa, quæ cocta cum oleo iecoris formam repræsentet.

Vires habet cum spuma argenti aut recremento ferri pares. Miscetur commodè medicamentis quæ liparas uocãt, & emplastris minimè mordentibus. Ad glutinantia uerò, & abstergentia est inutilis.

## ARSENICVM.

Ἀρσενικόν Græcis, Latinis Auripigmentum. German **Auripigment**/ **Operment**. Cõstat ex materia subtili & simili cum sulphure, à quo distinguunt, quòd sulphur rubedinem facilè assumat, difficulter uerò albedinem: Arsenicum autem facilè quidem albedinem, difficulter aũt rubedinem induat. Est aũt duplex: Alterum rubrum, sciscile in laminas, purum & lucidum, quod est optimum ex Selenitidis seu specularis lapidis genere, de quo in fine infrà dicetur. Alterum uerò album, concretum, & lapidosum, quod secundum locum tenet. *Auripigmentum.*

VIRES.

Calidum est & siccum in gradu quarto. Vires Arsenico sunt adstringendi, & erodendi. Crustas cum uehementi morsu, & acrimonia excitat. Vngui impositum cum Serapino æquali portione, & oleo nucum, absq; damno & dolore eum decidere facit: sed mox locus is recenti lixi-

C

ulo est abluendus. Fumus eius contra dyspnœam ore excipitur. Sed ne noxium eius uirus pulmonem inficiat, Theriacam optimam dimidiatæ auellanæ nucis quantitate mox sumere conueniet. In albumine oui ʒ.j. pondere deuorata, tussim longam grauemq; pellit: theriacæ tamen esu mox adhibito.

Depilatorium unguentum.

Depilatorium fit ex eo efficacissimum unguentum, admixta Arsenici uncia semis ad calcis unciam unam, & in aqua dissolutis coctisq; ad sufficientem modum: quod deprehendes, si intincto calamo plumæ sponte detrahantur. Radices capillorum penitus hoc unguentum euellit. Altero uerò aut tertio die pura aqua locus probè est abluendus, ne cutis simul, & caro corrodantur. Contra psoram Arsenici pars tertia, smegmatis partes duæ commodissimè illinuntur. Sed iterare hoc medicamentū aliquoties, ac mox pura aqua eluere, conueniet.

## ANTIMONIVM.

Stibium.

ANtimonium Pharmacopolis, Græcis στίβιον, στίβι, & στμμι, German. Spiesglas. Vena est terræ plumbo similis, sciscilis: Prunis iniectum sulphuris modo liquefit, ac tetrum odorem exhalat: sed diutius crematum in plumbum alteratur. Optimū quod splendidissimum, cōfractu crustosum, nihil terræ aut sordium habens immixtum, friabile. D

VIRES.

Frigidum est & siccū in gradu tertio: Vim habet constipandi, adstringendi, refrigerandi, excrescentias carnis cohibendi. Vlcera ad cicatricem ducit. Sordes & ulcera oculorum purgat. Marisci utiliter inspergitur. Putridam uulnerum, & hulcerum carnem consumit, Vnde carcinomati est auxilio. Cum unguento apostolico naribus insertum excrescentem in ijs carnem aufert. Lippos & tumentes oculos cum myrobalano citrino & Tutia pari portione cum aqua rosacea sanat. Cum fœniculi aqua semel in hebdoada circa oculos illitum, manantem narium sanguinem sistit. Cum succo Lanariæ sordidam uulnerum carnem consumit: Vulnera explet & purgat. In clysteres cum Dauci Cretici succo pro Marisci purgandis additur: ac si in exteriore parte fuerint, puluis eius inspergitur: sin in interiore, calamo idem immittitur.

## VITRVM.

VItrum nemini non notum, conficitur ex plumbo, & subtili terra, ut eius rei periti norunt, quibus cōfectionem relinquemus, uires eius iam explicaturi.

VIRES.

Calidum est in primo, siccū in tertio gradu. Naturam cum argento uiuo

A uiuo non dissimilem habet. Ferrum omniaq; metalla mollit, & liquefacit: habet enim digerendi naturam, unde carnibus in olla appositum, earum coctionem maturat. Furfures capitis pellit. Tritum & ustum in albo tenui uino potum calculo uesicæ, & renum medetur. Cum oleo iuniperorum alopecias capillis explet. Vnguentis ad scabiem, & impetiginē admiscetur. Intra corticem circa radices arboris, in quibus corui aut graculi nidos construxerunt, tritum insperſum uitrum, oua eorum ne excludantur cohibere ferunt.

## OCHRA.

OChra, Germa. **Ogger/oder Beerggeel**. Est terra seu gleba lutea, Optima est Dioscoridi lutea tota, leuissima, nō lapidosa, friabilis: Attica. Vires ei sunt adstringendi, erodendi, & dissipandi. Collectiones & turbercula dissipat, excrescentias carnis reprimit. Caua cum cerato explet. Articulorum tophos minuit.

## SANDARACHA.

SAndaracha Arabibus dicitur Auripigmētum rubeum. Officin. uerò Gummi Iuniperi, sed falsò. Arsenico seu Auripigmēto admodum est similis, & affinis, inq; ijsdem locis ambo inueniūtur: Colore autē rubeo ab eo distinguitur. Probatur quæ rufa, friabilis, pura, cinnabaris colore, sulphur redolens. *Auripigmentum rubeum. Gummi Iuniperi.*

B

### VIRES.

Cum resina alopecijs medetur. Scabros ungues cū pice tollit. Ex oleo phthiriasi prodest. Tubercula cum adipe discutit. Cum rosaceo ad narium & oris hulcera, cæterasq; papularum eruptiones, & condylomata est utilis. Cum mulso purulenta excreantibus datur. Cum resina aduersus ueterem tussim suffitur. Cum melle lincta uocem expeditam efficit. Cum resina in catapotio suspirioſis est auxilio.

## GYPSVM.

GYpsum, Germa. **Gyps**. Optimum est, quod Aphroselino seu specu lari lapidi est simile. Germa. **Spiegelsteyn**/ quod ustum subtilius fit & mundius. Formatur Gypsum in plures formas: aliud siquidem in longos rectosq; pectines fingitur: aliud uerò in laminas, quod modò descripsimus, alijs lapis specularis dictū: aliud in glebas magnas cōcrescit.

### VIRES.

Frigidum est & siccum, uiscosumq;. Vim habet adstringendi, & obstruendi, Dioscoride teste. Sanguinis eruptiones, & sudores cohibet. Potum uerò strangulat.

## ARGILLA.

ARgilla, Germ. **Lett**/ est uiscosa & lenta terra, uarijs figulorum operibus apta. Temperata cum aceto, fronti, & temporibus illita, fluxum sanguinis narium arcet.

## TERRA.

TErræ plurimæ sunt species: Sunt enim terra Eretria, Samia, Chia, Selenusia, quarum meminit Dioscorides, sed quæ ad nos hodie non afferuntur. Terra uerò Cimolia, quam Latini Cretam uocamus, copiosè aduehitur. Sigillata seu Hispanica loco Lemniæ est iam in usu. Bolus itē Armenius nihil est aliud, quàm rubra terra ex Armenia, quæ hodieq; adfertur. Quod uerò in genere ad terram quantum ad feracitatem attinet, melior est nigra: hæc siquidem reliqua est pinguior & fertilior. Sed quātum ad Medicinam: Omnis terra naturam habet refrigerandi, & meatus obducendi, & occludendi: Siccum enim & frigidum est eius temperamentum. Vnde inflammationibus refrigerandis, uesparū item, & crabronum ictibus utiliter imponitur.

## TERRA CIMOLIA, CRETA.

TErra Cimolia Dioscoridi dicitur, quæ aliàs Cimolia etiā Creta appellatur: suntq; duo eius genera: altera ad purpureum colorem inclinat: altera uerò est candida, quam hodie Cretā Latini uocant, Germani **Creiden**/& **Cnit**/quæ ex Anglia copiosè hodie aduehitur. *Creta.*

Quod ad uires: Vtraq; aceto diluta parotidas, & alia tubercula discutit. Ambusta igni si statim Cimolia oblinantur, pustulas non sentiunt. Testium duritias, & totius corporis collectiones cohibet. Igni sacro imponitur. Ac in summa, ut Dioscorides tradit, plurimū in Medicina utraq; commendatur, si incorrupta, & non spuria sumpta fuerit.

## TERRA SIGILLATA.

TErra sigillata, quæ habetur in Pharmacopolijs, putatur nonnullis esse Terra Lemnia Dioscoridis, quæ ueteribus Sphragis, hoc est, Sigillum dicebatur, ut idem est autor. Sed minimè est uera ueterum terra Lemnia, quam Officinæ Lemniam habent, sed alia quædam peregrina terræ species, quam suas quoq; uires habere compertum est. Vocant aliàs terram Hispanicam. *Terra Lemnia. Sphragis.* *Terra Hispanica.*

### VIRES.

Temperaturæ est frigidæ & siccæ. Venenis aduersatur: siquidē post terræ huius potum sumptum uenenum, per superna confestim expellitur. Morsui uenenatorum medetur. Vim sistendi sanguinis maximam habet. Adustionibus imposita præstans est remedium.

Temporibus cum albumine oui impositā sanguinem narium sistit. Cum rosaceo oleo, aceto, & albumine oui uentriculo illitum, nimium alui profluuium cohibet. Vlcera cacoēthe & sordida exiccat, & sanat.

Recentia uulnera cū forti aceto subacta glutinat, & inueterata curat.

Dysentericis cum aceto, uel aqua pura aut mulsa, per clysteres infunditur.

## BOLVS ARMENVS. Bolus

BOlus Armenus, rubrica est seu rubea terra ex Armenia. Optimus est rubens, nec multis distinctus coloribus, croci coloris æmulus. Rubricæ est species, sicut etiam Rubrica fabrilis, quæ uulgò Rötelsteyn dicitur: Et Rubrica Sinopica, à Sinopi Pōti urbe, quæ hodie nobis est ignota, & nullo usu.

VIRES.

Frigidus est in primo, siccus in secundo gradu. Aduersus malignas pustulas, & hulcera pestilentialia cum Endiuiæ aqua utiliter bibitur, & corpori illinitur. Ad uulnera chirurgis in maximo est usu. Sanguinem excreantibus, & phthisicis commodissimè bibitur. Nimios menses cohibet: Febribus quæ pestis tempore oriuntur est salutaris. Cum aqua acetosæ aduersus pestis contagium potus prodest. Dysentericis, splenèticis, iocinorosis, & uentriculi debilitate laborantibus confert.

## LATER.

LAter lapis est ex cemento seu terra argillosa ustus, Germ. Ziegelsteyn/ Gebacken steyn. Vstus probè later aperiendi uim habet. Vnguentis aduersus prurítum, hulcera & podagram miscetur. Dura apostemata, & hulcera emplastris admixtus soluit.

## CINIS.

CInis ex omnis generis rebus aduritur, quapropter etiam hoc loco eius mentionem facere placuit. Hic uerò de cinere lignorum potissimùm dicemus. Aquam per cinerem colatam lixiuium Latini uocant.

VIRES.

Cineri uis est purgandi, exiccandi, & arefaciendi. Sarmentorum uitium cinis, urendi uim habet, Dioscor. teste. Cum axungia uel oleo fractis neruis, articulorum collisionibus, & neruorum nodis illinitur. Cum nitro & aceto excrescentias carnis in scroto reprimit. Ex aceto serpentiū, & canum morsibus illinitur. Incrustantibus medicamentis miscetur. Lixiuium ex eodem cum aceto, sale & melle, ualet contra præcipitationes, & fungorum uenena. Lixiuium de cinere quercus ad medicamēta asthmatica additur. Omne in summa lixiuiū est abstersiuum, & purgatiuum.

# DE LAPIDIBVS PRECIOSIS.

## ADAMAS.

ADAMAS gemma est durissima, coloris cꝫ Crystallus obscurioris in Arabia & Cypro nascens, tantæ duritiei, ut non igne, non ferro, sed solo hirci sanguine dometur: maximè uerò si aliquot ante dies petroselino, sisere montano & uino nutriatur.

Sex eius numerantur genera: Indicus, Arabicus, Cenchron, Macedonicus, Cyprius, & Siderites. De quibus Plinius naturalis historiæ li. 37. cap. 4.

Cyprius Indico nonnihil mollior est, & obscurior: magnitudine inuenitur nucis auellanę. Generosissimus iudicabitur is qui Crystallo paulò obscurior, ferrum candens nitore refert, cœruleoꝫ; interfuso splendore ita refulget, ut solarem quendam radium transmittere uideatur.

Magneti appositus, attrahendi uim ipsi aufert. Auro, argento, uel chalybi inclusus præcipuam uim habet. Contra rabiem, feras, iurgia, bella,

A bella,uenena, phantaſiam, malignumq; ſpiritum ſiniſtro alligatus brachio,prodeſt.Hoc lapide aliæ gẽmæ,uelut Sapphirus, Smaragdus,perforantur.

## ACHATES.

ACHatis uariæ ſunt ſpecies: nonnullæ ſunt nigræ, uenis diſtinctæ albis: aliæ Corallio ſimiles. Tertium eſt genus, quod in Creta naſcitur,uenis nigris flauisq;. Sunt & Indicæ,coloris uarij,ſanguineis interſtinctæ maculis. Probatiſsimę tamen ſunt perſpicuæ, quæq; leoninæ pelli ſunt ſimiles.Pyrrhum regem Achaten,in qua nouem Muſæ & Apollo cytharam tenens ſpectaretur,non arte,ſed ſponte naturæ ita diſcurrẽtibus maculis,ut Muſis quoq; ſingulis ſua redderentur inſignia, habuiſſe, cap.1.lib.37.autor eſt Plinius.

Scorpionis & araneorum morſui medetur. Trita uulneri impoſita, aut in potu ſumpta,ſerpentis morſum ſanat. Manibus uel collo ſi geratur,ſapientes ac comes efficit. Capiti dormientis ſuppoſitus,uarias in ſomno formas obijcit. Vide de huius ſpeciebus & uirtutibus plura apud Plin.lib.37.cap.10.

## CARBVNCVLVS, BALAgius, Rubinus, Granatus.

B CArbunculus à colore ſic dictus,coloris eſt ignei,locum primum potiſsimumq; inter gemmas igneas ardentesq; obtinens: huius duodecim,à locis quibus inuenitur,numerantur ſpecies, nimirum Garamantici,Indici,Aethiopici, Alabandici,idq; genus. Sunt autem quatuor Carbunculi genera: Primum eſt eorum qui reuera Carbunculi dicuntur: hinc Balagius: tertio Rubinus: quarto Granatus.Carbunculorum ſelectorum rurſus ſunt differentiæ: nonnulli pinnato fulgore pellucent: alij rurſus alba præcincti ſunt uenula,reliquis non inferiores. Poſtremò eſt & Carbunculus,qui Sandraſtos, & Garamantites dicitur, aureas ueluti ſtellatas intrò guttas continens, ut hyades repreſentare uideatur: hocq; Carbunculorum genus reliquis præfertur.

Singulis autem ijs,quibus reliquæ gemmæ, Carbunculi ſunt prædiți uirtutibus.

Balagius Carbunculis proximus, colore eſt rubro, & prælucido, ſublanguido quodam nonnihil fulgore ſuperfuſo. Pares cum Carbunculo,inferiores tamen aliquanto uires habet. *Balagius.*

Rubinus maximè probatur, ſi per tenebras in ſpeciem ſcintillæ micare uideatur,ſubſtantiaq; ſit ſimpliciſsima.Maximas contra infectum aërem,ſomniaq; terrentia uires obtinet. *Rubinus.*

Granati obſcuriores minusq; grato ſunt colore, uelut ſi umbra aut nubecula quędam Rubino offundatur, Melancholię aduerſatur, & cor reficit. *Granatus.*

Quælibet uerò harum, ut magis minúsue ad uerum Carbũculum accedit, ita nobilior est uel ignobilior. Omnes tamen uitro rubore infecto adulterantur. C

## CARCHEDONIVS.

CArchedonium cap. 7. lib. 37. è Carbunculorũ generibus, refert Plinius, colore est inter Berillum & Hyacinthum medio, leuicula quadam, & subardente accedente purpura: Carbunculis itaq; uisuntur nigriores, sed igne uel sole acrius quàm cæteri excitantur, umbrante tecto uisuntur purpurei, sub cœlo flammei, contra radios solis scintillare etiã uidentur: ceras etiam his signantibus, quamuis in opaco, liquescere idem est autor: in masculis stella relucet, fulgentq; acrius: fœminæ uerò lãguidius.

Vires ei adscribuntur contra cacodæmonas, tristitiam ac timorem. Victoriam gestantibus parit, festucas calfactus trahit.

## SARDONYX.

SArdonyches à colore nomen habent, siquidẽ, teste Plinio lib. 37. cap. 6. haud secus ac ungue hominis carnibus impositio relucent, suntq; uaria earum genera: optimæ autem censentur, quæ colore constant ueluti carnibus ungue hominis impositio, utroq; translucido & languido colore, candidasq; uel purpureas zonas ex ordine, citra alterius rei mixturã, recipiunt, albicantibus circulis immista leni purpura, cœlestis arcus anhelationem quandam referentes. Reijciuntur autẽ melleæ, & fæculentę, similiter in quibus circulus aliquis se diffundit, non autem recipit, creditur ex Sardij, Sardæ & Onychis coitu, quarum etiã colorem ac substantiam refert, fieri. Vires eius sunt contra Venerem animiq; fastum, nec nõ contra noxios onycharum effectus. D

## SARDIVS.

SArdius, qui optimus, colore rubro, sed subobscuro uisit, reliqui quò longius à dicta forma abscedunt, hòc sunt ignobiliores. Timorem pellit, audaces efficit, à uenenis ac maleficijs gestantem seruat, sanguinem narium sedat, animum exhilarat, ingenium acuit. Contra onycharum similiter damnum ualet, unde etiam Sardonychas, quòd Sardium complectantur, innocuas tradunt.

## TOPAZIVS.

TÒpazius, autore Plin. lib. 37. cap. 8. gemmarum est amplissima, solaq; limam admittit, & usu atteritur: Genera eius duo: Altera prasois, hoc est, porracea: altera Chrysopteris dicta, ad filicis herbæ uirorẽ se inclinans. Feruenti iniectus aquæ innoxium eius feruorem reddit.

Solis

A Solis radijs dextra manu oppositus, igneam de se flammam emittit. Venereos motus restinguit. Vulnerum fluxum admotus sistit. Iracundiam cohibet. Stultitiam & delirium ferūt ipsum pellere: Subitaneam item mortem auertere, & phrenitidi obnoxijs amuletum esse. Pro Lunæ autem augmento decrementoq; uires uariat: Vnde Lunaticis esse auxilio memoratur.

## TVRCHOIS.

TVrchois Gemma est, in Turcia nascens, Germa. ein Türckis. Cuius duo sunt genera: Hispanica & Indica: præstat tamen Indica: altera ceu uilior minore habetur precio. Colore est cœruleo seu ueneto, ex uiridi uelut cum lacteo superinfuso relucente: Substantia utriq; crassa, obscurior tamen, & crassior Hispanicæ.

Vires eius sunt, uisum & cor confortare, & ab omnibus noxijs externis casibus custodire: Hilaritatem ac prosperitatem gestanti efficit.

## SMARAGDVS.

SMaragdus uiridis est lucidaq; gemma, adeò ut uicinum etiam aërem uirore suo inficiat, & mutet. Huius species Plinius lib. 37. cap. 5. numerat duodecim. Primi ac nobilissimi sunt Scythici, proximi sunt Bactriani, longè tamen inferiores: tertio Aegyptij habentur loco. Reliquæ B genera in metallicis ærarijs inueniuntur, tenentq; principatum inter ea Aegyptij. Haud exiguos etiam in Britannia inueniri Smaragdos, autor est Albertus Magnus. Optimus est is cui tantus uiror, puritas & splendor fuerit, ut oculos expleat, uicinumq; aërem ita inficiat, ut neq; Solis etiam splendori cedat. Annulo inclusus à comitiali morbo præseruat, memoriam custodit, Visum recreat, opes auget. Veneris & impudicitiæ est impatientissimus. Ramentum eius octo granorum pondere sumptū, aduersus uenenum, & capillorum defluxiones est præsentissimum remedium.

Armenius lapis Smaragdi nomine à quibusdam Pharmacopolis falsò ostenditur. Est autem is lapis substantiæ æruginosæ, pares cum ærugine uires habens.

## SAPPHIRVS.

SApphirus Gemma est Orientalis & Indica, lucidi cœruleiq; coloris, uelut cœlum serenum. Optimus qui nubes habet obscuras, ad rubedinem declinantes. Nonnunq; tamen albis nubeculis fulgens conspicitur. Gestatus hilares, religiosos, pacificosq; reddit. Cor confortat: Venereos motus compescit. Contra iracundiam, inuidiam, fraudes, tristitiam, plurimum ualet. Corpus auget. Cordis oculorumq; uires reficit, eorumq; excrescentias & pustulas inhibet. Venenis, intestinisq; exulcerationibus in potu resistit.

VNIO.

## VNIO.

VNio, aliàs Margarita, Germa. Perlin. Inueniuntur Margaritæ in conchis maris, præsertim Indici. In Britannia præterea & Flandria magna earum est copia. De harum generatione est apud Plin. in naturali historia. Sunt autem pro sua ætate ac magnitudine maiores, pro ratione uerò cõcepti, puritate uel obscuritate, generosiores uel ignobiliores. Præferuntur quæ candidissimæ, lucidissimæ, rotundissimæ, leuissimæ, minimiq; ponderis, maximè uerò si natura perforatæ sint.

Spiritum uitalem confortant. Cordis tremorem capitisq; uertiginem pellunt. Miscẽtur saccharo, quod uulgò Manum Christi cum perlis uocant, aduersus animi defectionem. Oculis insertæ, omnes eorum sordes expurgant. Valent aduersus sanguinis fluxum, & dysentericis opitulantur. Menstrua cohibent. Dentes purgant.

## CORALLIVM.

COrallia in mari nascũtur Africo, suntq; lapideus quidam frutex. Triplex eorum differentia: Quædam sunt rubra, quæ sunt uulgatiora: nõnulla candida, quæ preciosiora: aliqua nigra, sed rariora. Probatissima sunt, quæ æquali ubiq; ratione uel rubicundissima, uel maximè alba fuerint, fruticis forma, facileq; terenti cedentia. D

Ex collo rubea corallia ligata comitialibus prosunt. Sanguinem excreantibus, et dysentericis sunt salutaria. Lippientibus oculis illinuntur: ijsq; quibus muscæ obuolare oculis crebrò uidentur, manè illita sunt auxilio. Trita cum aqua pluuia pota splenem exiccant, alui & uentriculi dolores sedant. Cum cerúino cornu, & aqua pluuia mixta, uarijs corporis morbis, ac præcipuè uermibus, medentur. Tonitribus & tempestatibus resistunt: Vnde ueteres contusa agris insperserunt, arboribusq;, ne à tempestate læderentur, alligarunt. Sanguinis fluxum sistunt. Excrescentias carnis cohibent. Oculos confortant. Hulcerum cicatrices pellunt. Intestinorum splenisq; apostematibus opem ferunt. Contusa cauis dentibus inserta, absq; dolore eos extrahunt. Gingiuis sunt remedio. Collo alligata à spectris, & phantasmatis malignis custodiunt.

## MAGNES.

MAgnes ab inuentore nomen habet. Lapis est ferruginei coloris, in Indico Mari copiosissimus. Naturam peculiarem attrahendi ferrum habet, quoq; uehementius ferrum attrahit, hòc est præstantior. Tanta eius in mari Indico est copia, ut cum maximo periculo rostratæ naues in eo nauigent. Earundem cum Adamante est uirium. Potui iniectus aluum laxat, crassosq; humores soluit. Semidrachmæ pondere cum mel-

le

Alehydropicis bibitur. De huius generibus differentijsq;, Pli. li. 36. ca. 16.

## LAPIS LAZVLI.

LApis lazuli, aliàs Cyaneus & cœruleus dictus, Germa. Laſurſtein. Subſtantia Iaſpidi haud eſt abſimilis, colore cœruleo, aureis interſtinctus maculis, glaber & ſubtilis. De hac gemma, aliorumq; ſuper hac & Plinij lectione lib. 37. ca. 9. errore, ſcripſit Franciſcus Inſulanus, in libello, in quo quatuordecim gemmas apocalypſeos explicat: oſtēditq; eſſe errorē in Plinij uerbis, legendumq; hoc pacto: Reddetur & per ſe cyanos nomine, accommodato paulò ante Iaſpidi colore cœruleo, ut ſentētia uerborum hęc ſit: Gemmam Cyanon nomine dictam, cœruleo Iaſpidis colore lucere. Loquitur enim Plinius hoc loco nō de arenoſo ſeu metallico cyaneo, cuius meminit lib. 33. Nōnulli ſtellatum lapidem uocant, quòd uidelicet lumini expoſitus ſtellarum modo ſcintillet. Optimus eſt qui cœruleū colorem cū maximè exprimit. Quod ad uires attinet, cōpertum eſt eius pollinē ablutum, dum nullū alienū ſaporem referat, melācholicis plurimū prodeſſe: ſiquidē melancholicum humorē per inferna ducit. A collo ſuſpenſum pueris nocturnos pauores arcere ferūt. Oculorū aciem acuit. Abortum collo alligatus prohibere traditur. Appetente tamen partu eſt ſemouendus. *Stellatus lapis.*

## HYACINTHVS.

B HYacinthus ab hyacinthi floris colore nomen accepit. Gemma eſt colore fuluo conſpicua, differtq; ab Amethiſto, ut teſtatur Plin. quòd quæ in hoc emicat uiola, in illo dilutior conſpicitur, ut leui quadam, ſed ſubobſcura purpura ab Amethyſto deſciſcere Hyacinthus uideatur.

Genera eius ſunt tria: Rubrum, fuluum, ſeu citrinum, & cœruleū ſeu uenetum: quod poſtremum reliquis præfertur, ac aëris mutationem idipſum ſentire tradunt: ſereno uidelicet cœlo lucidius & ſpecioſius apparens: nubilo uerò obſcurius & triſtius. Optimus eſt qui nec obſcurior, nec clarior fuerit, & igni admotus aliquantum purpuraſcit. Naturæ eſt frigidæ. Vnde corpora denſat, ſomnum conciliat, cor confortat, & tuetur. Geſtatus à peſtis contagio adſerit: qua de cauſa amuleti uice à colli ſiniſtra parte ſuſpenditur. Diuitias augere creditur: animi item alacritatem efficere, & à fulguribus defendere.

## IASPIS.

IAſpis uiridis lucidaq; eſt Gemma: Optima quæ ex uiridi purpureum quid cōplectitur, alba præcingente linea. De huius ſpeciebus & dignitate eſt apud Plin. lib. 37. cap. 8. circa finē, & cap. 9. ubi octo eius enumerat ſpecies. Prima dicitur Grammatias, uel Polygrammos, quæ reliquis præſtat. Secūda Cypria. Tertia Perſica. Quarta Thermodontiaca. Quinda Cappadox. Sexta Phrygia. Septima Thracia. Octaua Chalcidica. Harū præſtātiſsima, quæ purpureo eſt colore mixta: Secūdo habet loco cui roſeus eſt color: Tertio quæ Smaragdū refert: Quarto quæ matutinū autumnale

autumnale ſerenum imitatur cœlū. Vltra has aliæ adhuc quatuor ab autoribus laſpidis enumerãtur ſpecies: Eſt enim laſpachites: hinc alius in quo appareat homo ſcutum habens in collo, & cuſpidem in manu, ſub pedibus uerò ſerpentem, contra omnes ualens inimicos. Alius inſuper, in quo ſit homo faſciculum herbæ in collo habẽs, omnes morbos diſcernens, ſanguinemq; reſtinguens. Quartus item cruce ſignatus, hominem ne mergatur cuſtodiens. Omnibus autem reliquis præſtat prima polygrammos dicta, præſertim ſi alba præcingatur linea. A collo ad uentriculi orificium ſuſpenſus eundem confirmat, Galeno teſte. Drachmæ põdere deuoratus mulieribus menſes ſiſtit, & ſanguinem ſudoremq; compeſcit. Hydropem & febres arcet. Oculorum aciem uirore ſuo reficit. Venereos motus infrenat. Partum peculiari quadam proprietate moderari creditur. Geſtantem ab aduerſis caſibus liberare, phantaſmata pellere, conceptioni aduerſari, & oculos ab omnibus ſordibus purgare fertur. C

Laſpachites.

## HAEMATITES.

HAematites ab effectu nomen accepit, à ui nimirum ſiſtẽdi ſanguinis: Vel etiam à ſanguineo quo conſpicitur colore, Germ. **Blůtſteyn.** Inuenitur in Mauritania: ſed in Arabia & Aphrica præſtantior. Huius duo ſunt potiſsimũm genera: Alterum ſanguineo extrinſecus, nigro intrinſecus colore, à Magnete cognominatum: quem pro Magnete non pauci per errorem uendunt: Alterum uerò nigricans, ſanguineis interſtinctum uenulis. Optimus eſt qui colore fuerit puro nigroq;, durus, omnibus ſordibus, & uenarum diſtinctione carens. Quantum ad uires: Aiunt feruenti aquæ impoſitum eam refrigerare. Geſtantem à Solis feruore non lædi dicũt. Fruges à cicadis, & grãdine cuſtodire creditur. Manu retentus fluxum ſanguinis narium ſiſtit. Cum mali punici ſucco ſanguinem excreantibus confert: Muliebre item profluuium inhibet. D

Dyſentericis unciæ ſemis pondere in clyſteres additur: admixtis albuminis oui, aceti, ſingulorum ʒ.ſ. Olei roſarũm ʒ.ij. Fiunt ex eodem pilulæ cum Gummi Arabico, & melle, quæ ſanguinem excreantibus utiliter dantur. Cum plãtaginis ſucco puluis eius ſumptus, album rubrumq; fœminarum fluxum ſedat. Oculis cruore ſuffuſis confert. Veſicæ & ſerpentum ictibus opem adfert. Oculorum lachrymas ex lacte demit, procidentesq; oculos naturali quadam ui continet.

## CORNEOLVS.

COrneolus minij eſt colore, ſed ſublanguido, carni humanæ ſciſſæ, ſiue aquæ in qua caro eſt lota, nõ diſsimilis. Probatur maximè quæ puriſsima nitidiſsimaq; fuerit ſubſtantia, colore carneo, translucido. Quod ad uires, ſanguinem menſesq; muliebres ſiſtit: mariſcas pellit. Annulo incluſus, iram belliq; cauſas, iurgia & lites coram iudice finit. Pollen eius dentes emendat, & corrigit.

AME-

## AMETHYSTVS.

AMethystos ab effectu nomen est sortitus, Germa. Amethyst. Autor est enim Aristoteles, umbilico admotum uiniuaporem primùm ad se trahere, deinde eum discutere, & à crapula, & ebrietate hoc pacto ferentem uindicare. Genera eius sunt plura: Primatum tenent Indicæ. Proximæ Arabicæ, Armeniacæ, Aegyptiæ, & quæ in Galatia reperiuntur. Postremo loco habentur, quæ in Thaso aut Cypro gignũtur. Omnibus color est uiolaceus, fulgidusq;. Indicæ uerò, quæ præstantissimæ sunt, purpuram absolutissimam exprimunt: & inter has etiam meliores sunt, quæ blando quodam aspectu uelut ignitam scintillam eiaculantur. Omnes autem ad uini colorem accedunt. Scalpturæ etiam sunt faciles. Interdum etiam ad hyacinthi accedere colorem inueniuntur.

Vires eius sunt ad pellẽdam, ut dictum est, ebrietatem. Contra toxica ferunt amuletum esse: Malas cogitationes auertere: ingenium felix efficere: Vigilantem item, & principibus gratum.

## GAGATES.

GAgates ab Gaga Lyciæ oppido, ubi inuenitur, nomen habet. Conspicitur tamen in Britannico & Libyco etiam littore: nec nõ in Anglia. Duorum est generũ: Alter niger, alter uerò flauus & lucidus. Optimus est niger, squalidus, crustosus, percꝑ leuis, qui celeriter accenditur, B odore bituminis. Ex huius quoq; specie putatur esse qui in Germaniæ inuenitur montibus, quo ærarij & ferrarij fabri carbonum uice utũtur, odore, substantia, forma, & uiribus cum Gagate conueniens. Quod genus ἀνθρακας γεώδεις Theophrastus uidetur dixisse. Germa. Steinkolen.

Vires sunt Gagatæ molliendi, & discutiendi. E collo suspensus melãcholicas imaginationes creditur auertere. Cum uino decoctus dentium dolori medetur. Cum cera strumas discutit. Aqua in qua triduum Gagates maceratus fuerit, à parturiẽtibus pota, partũ adiuuat. Vide de eodem apud Plin. lib. 36. cap. 19.

## CHRYSOLITHVS.

CHrysolithus gemma est Indica, coloris uiridis lucidiq;, aduersus Solis radios stellæ instar fulgens: Ignobiliores harum dicuntur Arabicæ, quòd colore uario, aspectuq; sint turbulento. Selectissimæ Indicæ, quæ quadantenus sunt cœruleæ, aquæ marinæ uirorem præ se ferentes.

Quod ad uires: Melancholicas exasperationes, & affectiones gestata ex sinistro brachio creditur auertere. Auro inclusa stultitiam & phantasiam melancholicosq; metus, & pusillanimitatem arcet.

Dæmonas prauos pellit, nocturnis pauoribus aduersatur. Sapientes & constantes efficit. Asthmaticis etiam prodesse tradunt.

## BERILLVS.

BErillus Indicæ regionis est gemma, Smaragdo similis, sed aliquantũ pallidior, coloris uiolacei, siue Thalassij. Probatissimę sunt, quæ limpidi maris uirorem quàm maximè referunt. Ex huius quoq; genere sunt Chrysoberilli dicti, colore languidiore, fulgore ad aurum uergente. Poliuntur hexangula forma, ut testatur Plinius, aliter enim politi hebescũt: fulgoremq;, ni color surdus angulorum repercussu excitetur, amittunt. Dilutum huius gemmæ ex aqua, oculis humentibus, ructibus, suspirijs, iecorisq; malis mederi aiunt. Aduersus hostium quoq; iniuriam, & pigritiam ualere tradunt. Ingenium fertur acuere, coniugatosq; conciliare.

## CHRYSOPRASVS.

CHrysoprasus à uiridi colore ad aurum declinante, dictus est. Gemma est Indiæ, minus frequens, & ob id precioſior. Porri uiriditate, aureis interstinctus maculis conspicitur. Lucet in tenebris: Interdiu uerò, & lumine admoto splendorem amittit.

Quod ad uires: Cor reficit. Imbecillitati oculorum subuenit.

## ALECTORIVS.

ALectorius, quasi dicas Gallinaceus, quòd in uentriculo capi inueniatur. Germa. **Capaunen steyn**. Inuenitur hic lapis in uentriculo capi, ætatis, ut ferũt, anno nono, aliqui tamen uolunt anno quinto. Fabæ conspicitur magnitudine, colore crystalli, nisi quòd paulò est obscurior. Hoc existente in capo potu ipsum abstinere ferũt. Ac Milonem Crotoniatam hoc usum inuictum in certaminibus fuisse, tradit Plinius lib. 37. cap. 10. Valere aduersus pericula creditur. Inuictum præterea reddere, & sitim arcere in ore retentum ferunt: Autoritatem & gratiam, facundiamq; gestanti præstare: Constantiam præterea adferre: Venerẽ ciere: Mulieribus quoq; uirorum gratiam conciliare.

## CHELIDONIVS.

CHelidonius, quasi hirundineus, quòd in hirundinibus, quas Græci χελιδόνας uocant, inueniatur, German. **Schwalbensteyn**. Lapillus autem est paruus. & minimè perspicuus, qui in iecore aut uentriculo pulli hirundinum inuenitur. Aiũt autem optimas inueniri mense Augusto, crescẽte luna. Plinius Gemmam hanc Taos uocari est autor, ac pauonis colorem representare, qui Græcis ταὼς dicitur. Est autem duplex huius lapidis differentia: nam interdum singuli, interdum uerò bini inueniuntur: alter rufo, alter uerò nigro colore.

Probatissimæ sunt quæ substantia sunt simplicissima purissimaq;, aureis guttis insignitæ. Addunt autem lapides hos debere eximi priusquam primogenitus pullus terram contingat, & absentibus ipsorum parentibus: sic enim maiorum esse uirium.

Rufam sub ala sinistra gestatam, lunaticos, comitiales, insanos, & languidos

A guidos ſanare ferunt: Facundos item & gratos efficere: Nigram uerò contrà noxios humores, iracundiam & febres conducere: felicem item omnium rerum ſucceſſum, & exitum præbere: oculorum dolori cum aqua tritam mederi.

## AETITES.

AEtites, Latinè Aquilinus, quòd in aquilæ nido, quæ Græcis ἀετὸς dicitur, inueniatur, Abſq; hoc enim lapide oua aquilam parere negant. Gemma eſt cortice duro, ſcabro, & minimè leui, alium in ſe lapillū incluſum cōtinens, qui dum quatitur ſeu commouetur, auditur. Genera eius traduntur tria: Primum albo, ſecundum cinereo, tertium pullo colore. In montibus etiam Indiæ inueniri tradūt, oui magnitudine: uerùm ijs tantùm uires aſſcribuntur, quæ in aquilarum nidis inuentæ fuerint. Forma. Genera.

Quod ad uires: Siniſtro brachio alligatam maximo uſui eſſe grauidis, quæ fœtum ob uteri imbecillitatem ægrè continent, certò affirmāt: ſed parturientibus à brachio amoueri oportet. Præterea feminibus earundem alligatam citra dolorem partum educere, eſt probātum. A partu uerò ſtatim à femine amouendus, ne uterus ſequens partum uitiet. Ferunt de hac, quòd furem, quod miratu dignum, in pane conditus prodat. Furem ſiquidem nihil cum hac decoctum, manſum etiam, deuorare poſſe. Comitialibus tritam, & cerato exceptam conferre tradunt. Ad magicas uidentur artes referenda, quæ de hac produntur, quòd uxorum furta manifeſtet, & futurorum ſcientiam manifeſtet.

## ASSIVS.

ASſius lapis eſt, ab Aſſo Troadis promōtorio ſic dictus, ubi tantùm inuenitur, coloris albi, pumicis inſtar leuis.

Vires eius ſunt ad maligna hulcera, fiſtulas, podagram, meliceridas, excreſcentiasq; carnis. Verùm hodie nobis ignotus. Propterea plura de eo dicere ſuperſedebo.

## ASBESTOS.

ASbeſtos quaſi irreſtinguibilis, à natura ſua dictus eſt. Gemma eſt coloris ferrei, quæ ut ſemel accēſa fuerit, igniq; exarſerit, reſtingui amplius nequit, unde nomen eſt impoſitum.

## SMYRIS.

SMyris, Germa. Schmirgel dicitur, & Smiril. Lapis eſt Adamanti duritia proximus, quo Gemmarij ad poliendas gemmas, ſicut etiā Adamante, utuntur. Quod ad uires, prodeſt gingiuis, quæ humore uexātur. Ad dentifricia eſt utilis.

## AMIANTVS.

AMiantum lapidem in Cypro naſci, ſcribit Dioſcorides, ſciſſo aluminī ſimilem, qui flexilis eſt adeò, ut fila ex eodē fiant, ex quibus ſpe-

ctaculi gratia uestimẽta texantur, quorum hæc est natura, ut ignibus in- C
iecta ardeant quidem, sed non consumantur, uerùm purgentur. Atq; hic
*Alumen plumosum* lapis non est alius quàm is quem Pharmacoplæ Alumen plumosum uo-
cant: cui hæc est natura, ut aliquot etiam dies igne incrematus non con-
sumatur: qui etiã interdum flexilis adeò inuenitur, ut fila ex eo duci pos-
sint. Germa. **Steinflachs/ Federweiß/ Steindacht/ vnd das ewig liecht**. Quòd uerò Plinius Indici lini meminit, quod igne non consuma
tur, uidetur de hoc lapide intelligendum: ac fabulis negociatorum decep
tum esse autorem, qui lini illud genus in India esse sint commenti. Com
mentum etiam est, quòd agyrtę pilos esse Salamandræ hunc lapidem nu
gantur.

## SELENITES.

*Aphroselinus.* SElenites, aliàs Aphroselinos, & specularis etiam lapis alijs. Germa.
**Vnser frawen eiß/ Erdglaß**. Selenites uerò dictus, ut ait Dioscori
*Specularis lapis.* des, quòd noctu inueniatur Lunæ imaginem reddere, quæ cum ea cre-
scit, & decrescit. Specularis uerò, quòd speculi instar, aut uitri sit lucidus:
Vnde etiam fenestræ ueteribus ex hoc fiebant, ut in quibusdam uetustis
adhuc templis est uidere. Candidus est, leuis & translucẽs. Albertus Ma
gnus tres distinguit eius species: Vnam lucidam ad instar uitri. Alteram
nigram. Tertiam citrinam, nobiliorem, quæ altera sit arsenici species.

## LAPILLI SPONGIA- D
## rum marinarum.

LApilli inueniuntur plerunq; in spongijs, quibus suam quoq; non exi
guam uim esse cõpertum est. In potu siquidem, teste Dioscoride, cal-
culum uesicæ frangunt.

## GALACTITES.

GAlactites à lacteo humore, quẽ resudat, nomen sumpsit, coloris est
cinerei, gustu dulcis. Inuenitur is hodie Hildeshemij, forma & uiri-
bus ei, quem Dioscorides describit, respondẽs. Ad oculorum fluxiones,
& ulcera illinitur. Fœmori alligatus partum adiuuare fertur. A collo itẽ
suspensus lac nutricibus augere traditur. Oportet autem, ut inquit Dio-
scorides, in aqua tritum in pyxide plumbea recondere, propter uim ui-
delicet glutini, quod ipsi adhæret.

## PYRITES.

*Marchasita.* PYrites lapis est, qui Arabibus Marchasita dicitur, à quo æs cõflatur:
Germa. **Kiß** appellatur. Constat ex argento uiuo mortificato, & sul
phure aduręte. Eligitur qui æris fuerit similitudine, facilè flãmas ædens.

Vires ei sunt excalfaciendi, abstergendiq;. Oculorum caliginem emẽ
dat. Duritias concoquit, & discutit. Cum resina excrescentias in
carne cohibet: adstrictionem tamen, & dolorem parit. Vsto eadem est
uis.

GIPSVS.

## GIPSVS.

Gipsus nitro similis lapis conspicitur. Probatur qui uenas habuerit latas.

Vires eius sunt sanare, & contrahere. Fluxus sanguinis, dysenteriam, & sudores in potu cohibet: Vnde etiam fronti illitus sanguinem è naribus manantem reprimit. Medicamentis adhibetur stipticis.

## PVMEX.

PVmex lapis est nemini non notus, cauernosus, leuis. Ger. ein Bims. Eligitur durus, cauernosus, lucidus, albus, in quo nulli lapilli insunt.

Vires eius sunt abstergere: caua hulcera carne explere, & confortare. Dentes expurgat. Luxuriãtem oculorum carnem tollit. Musto iniectus feruorem eius cohibet. Vritur autem hunc in modum: Prunis impositus uino ter restinguitur, ac denuò cãdefactus ex igne eximitur reponiturq;, donec suapte sponte refrigeretur: refrigeratus contunditur ac reseruatur.

## COS.

B

COs omnibus est cognita. Attritura cotis quę fit dum ferrum in ea acuitur, mammas ne grandes nimium fiant cohibet. Naturæ est siquidem frigidæ, & reprimentis: Alopecias etiam pilis explet.

# DE SVCCIS CONCRETIS, QVORVM IN MEDICINIS est usus.

PER succos concretos hic accipimus eos, quos partim gummi, partim resinas, item lachrymas, glutina & bitumina uocãt: quoniam omnia hæc nihil aliud sunt, quàm succi & pinguedines quædam concretæ: Vel ex arboribus naturaliter fluentes, ut gummi & resinæ omnes: uel arte factæ, ut pix omnis, item Mumia, Amylum, idq; genus & glutinis species. Vel ex terra profluentes, ut Bitumen. Ex animali quoq; Zibetto Moschus odoramẽtum efflu ens sanies concrescit, & induratur. Saccharum in arundinibus nascẽs ue luti gummi seu medulla, uaria arte apparatur, & concreti succi appellationem sibi uendicat. Possent eadem ratione omnes animantium pinguedines, item mella, butyrum, cera, sub hoc genere comprehendi: Verùm ea potius inter animantia, è quibus eadem colliguntur, referre placuit, atq; hoc loco solùm recensere illa, quę ex arboribus maximè profluunt. Primùm igitur quid sit gummi, quid lachryma, resina, pix, Bitumẽ, generatim dicetur: postea speciatim de nonnullis agetur.

## GVMMI, ET LACHRYMA.

GVmmi est appellatio ad omnes arborum lachrymas, quæ non sunt resinosæ substantiæ, uelut est uidere in ceraso hodie & pruno, & in Acacia, de qua propriè intelligit. Quod enim ex Acacia stillat, illud simpliciter uelut per excellentiam dicitur Gummi, & cum adiectione Gummi Arabicum, de quo postea sigillatim. Sepe tamen uocabulum Gummi indifferenter ad omnes arborum, & herbarum lachrymas, siue resinosę, siue aqueæ substantię fuerint, refertur.

Lachryma uerò est generalis appellatio ad omnem succum, qui ex arboribus uel plantis stillat, siue resina, siue gummi, uel alius succus aut liquor fuerit.

Gummi & lachrymarum plures sunt species, prout ex uarijs colligun tur arboribus, ut sigillatim postea recensebuntur.

## RESINA OMNIS.

REsina est humor, seu pinguedo quarundam peculiarium arborum, quales sunt Pinus, picea, pinaster, abies, larix, tæda, piceaster, Lentiscus, terebinthus, cupressus. Hæ enim resiniferę numerantur arbores.

Optima est terebinthina, qua hodie caremus. Nam quæ in Pharmacopolijs terebinthina uocatur, nomen quidem habet, sed non est ex terebintho arbore, uerùm picea: Lentiscinam habent Officinæ, sed mutato nomine, siquidem Mastix ijs pro Masticke dicitur. Ex larice fluens resina D Larigna, Germa. Lerchenhartz uocatur. Atq; de his inter resiniferas arbores partim dictum est. Dissoluitur resina oleo ad malagmata, & ad uulnerum usus.

Colophonia. Colophonia est liquida resinæ species ex Colophone olim allata, sed in nullo hodie usu. Verùm eadem sicca adfertur, & in picem exusta eodem nomine, ut in pice dicetur. Liquidæ resinæ quomodo urantur, docet Dioscorides lib. 1. capite de Resinis.

### VIRES.

Quod uerò ad uires Resinarum attinet, Primum locum obtinet terebinthina. Proxima est Lentiscina: hinc picea: ultimo loco est pinea:

Vires ijs sunt excalfacere, mollire, purgare, discutere. Ad tussim & thorem, pectorisq; uitia uel per se uel cum melle lingitur. Vrinam ciet, cruda concoquit. Ventrem mollit. Palpebrarum pilos replicat. Cum nitro, ærugine, & atramento sutorio lepris illinitur. Cum oleo & melle pruritum, & sanioſis auribus, & genitalium quoq; pruritui est utilissima. Miscetur emplastro, malagmati acopo. Illita aut imposita laterum dolores finit. Resinę in uniuersum contrahunt, uulnera purgant, collectiones & pectoris uitia discutiunt.

Terebinthina priuatim membrorum doloribus, & conuulsis in sole illinitur.

## PIX.

Pix

A Pix nihil est aliud, quàm resina in sua tæda combusta. Cuius duo sunt genera: spissa & liquida. Liquidæ nullus admodum in Medicina hodie est usus. Sicca uerò seu spissa, Germa. **Bech**/& **Hartz** dicitur: Eaq; magna copia in Hercinia sylua conficitur: traduturq; confectio eiusmodi: Pauitur area canali præparato, per quem humor in medium cõfluat, tum lignum in hastulas concisum locatur struis congerie, uelut in carbonis usum, mox igni succenditur, terra undiq; circundata, ne flamma erũpat. Perit enim pix si hoc eueniat. Quòd si fumus se parte aliqua sustulerit, scalis protinus admotis locum terra sepiunt, lutoq; obstruunt, ne quouis modo flamma queat exire. Canalis subiectus picem fluentem corriuat in scrobes cubitis à cõgerie circiter quindecim remotas. Strues ipsa sexagenis aut quinquagenis cubitis, centenis & octogenis alta, patet per ambitum. Sunt qui per utrunq; mensum cubitos centenos agunt: humor qui fluat obiter frigescit contactu: Vritur ferè biduum. Operis perfecti signum, si rogus decumbat subsidatq;, & quasi latus det. Fit pix resina quoq; sola piceæ feruentibus cocta lapidibus in alueis ualidi roboris, aut si aluei non sunt, congesta strue, ut in carbonis faciendi ratione. Vicia picis acor, aut odor fumidus, aut picis adustio. Experimentum si fragmenta subluceant, aut sub dente lentescat, odore iucundo. Probæ picis experimentum est, si feruens in frigidam aquam mersa, nõ odore modò, sed gustu quoq; placeat. Laudatur etiam inprimis quæ fuerit pura, leuis,
B odorata, quæ linguæ dulcedinem resipiat.

Pix Brutia dicitur, quæ hodie Pix Græca, & Colophonia, Germanis **Griechisch bech**/& **Geigenhartz**: Ea est resina siccissima, & impropriè Colophonia dicitur. Nam Colophonia resina fuit liquida ex Colophone olim allata, sed hodie nõn in usu: quę in picem exusta. Pix Brutia, à Brutijs uidelicet est cognominata. Hodie Colophoniæ nomen in Officinis obtinuit, de qua seorsim postea dicetur. *Pix Brutia. Pix Græca.*

Picis quoq; species est, quam Zopissam siue picem naualem Dioscor. nominat, Græcis Hypochima. Ea est derasa nauibus locis maritimis pix. *Zopissa. Pix naualis.*

VIRES.

Picis natura est excalfacere, mollire, pus mouere, tubercula, & panos discutere, ulcera replere. Phthisicis, purulenta excreantibus, suspirio, tussi, difficulter excreantibus, cyathi mensura, cum melle lingitur. Tonsillis, & uuæ inflammationibus, & anginæ utiliter illinitur. Purulentis auribus infunditur cum rosaceo. Cum sale morsibus serpentum illinitur. Cũ cera æquali mixtura scabros ungues emendat. Tubercula uuluæ, & duritias sedis discutit. Strumas cum farina hordeacea, & pueri impubis urina rumpit. Serpentia ulcera cum piceæ cortice, aut sulphure, aut furfuribus curat. Cum thuris manna, & cerato subductos ulcerum sinus glutinat. Rimis pedum ac sedis utiliter illinitur. Vlcera replet, & cum melle purgat. Putrida ulcera, & carbunculos cum uua passa & melle sanat.

Additur quoq; medicamentis erodentibus.

Oleum picinum quod colligitur dum pix coquitur, ut Dioscorides C docet, easdem cum pice liquida præstat utilitates. Cum farina hordeacea illitum alopecias capillis replet.

Zopissa omnia efficacius quàm pix uel resina præstare dicitur.

## BITVMEN.

*Asphalton*

Bitumen, Græcis Asphalton dicitur, piceæ quoq; est substantiæ, & facultatis: nec aliud est quàm pinguis terræ adeps, picis & colore, & substantia, Vnde Germani **Erdbech**/hoc est, picem terrestrem uocant. Præcipuas bituminis species Dioscorides numerat, Iudaicum & liquidum. Bitumen Iudaicum præfert Dioscorides. Impropriè hodie bituminis uocabulum transfertur ad excoctum glutinum ex auribus & testibus taurorum, quod Germani **Leim** uocant, de quo in fine sigillatim in Glutino dicetur.

*Bitumen pro glutino impropriè accipitur.*

Liquidum in Sicilia nasci, describit Dioscorides, fontibus innatans, cuiusmodi hodie etiam gignitur apud Gothos, qui ad axium perunctionem, & iumentorum scabiem, lucernarumq; lumina eo utuntur. Germ. **Ther**/& **Zer**/& **Teufelsdreck**/à fœtore. Sed alio quoq; nunc ad axes curruum liquido picis genere utuntur, quod non est bituminis species, sed ex piceis arboribus excoquitur, Vulgò **Wagenschmeer**.

Bituminei quoq; generis sunt Pissasphaltos, Naptha, seu Petroleum, D Succinum.

*Pissasphaltos.*

Pissasphaltos quasi piceum bitumen, ex mixta pice & bitumine in Apollonitarum agro naturaliter defluit, cuius loco Arabes composuerũt Mumiam, de quo uide in capite infrà de Mumia.

*Naphtha.*

Naphtha ex bituminis est genere, ignea prorsus ui prædita: estq; bituminis ueluti colamen, colore candida: sed nigra etiam inuenitur. Est autem Naphthæ species quæ hodie in Pharmacopolijs petroleum seu oleũ petræ appellatur, Germa. **Steynöl**. Estq; duplex: cãdida & nigra. Præfertur candida. Generatur ex bitumine à se ipso in terra & montibus accenso, tenuissimis eius uaporibus sursum elatis, & ad frigidiora saxa in tenuem liquorem resolutis, qui deinde per suos meatus è montibus fontium instar scaturit, ac inde Oleum petræ dictum est, quòd uidelicet ex petris profluat. Cãdidum uerò & purum ex tenui & puro bitumine generatur. Crassum uerò & nigricans Petroleum seu Naphtha, ex crasso & terrestri fit bitumine.

*Petroleũ.*

### VIRES.

Omne bitumen, inquit Dioscorides, discutit, glutinat, emollit. Naphtha uerò ignea prorsus ui est prædita, ideoq; calida & sicca in quarto gradu statuitur, de qua Strabo hæc tradit: Liquidum bitumen, quod uocant Naphtham, admirabilem naturam habet. Nam adiunctum ignem illico corripit, & si corpus eo illitũ igni admoueris, deflagrat, nec aqua restingui ullo modo potest, sed magis ardet, nisi ualde multam superinfuderis.

A ris. Cœno & aceto, & alumine, & uisco oppressum extinguitur. Vnde Alexandrum tradũt experientiæ gratia puero cuidam in balneo Naphtham insperſisse, ac lucernam admouisse, ut puer totus deflagrasset, nisi circunstãtes multa aqua flammam euicissent. Ad oculorum suffusiones, & albugines Naphtha prodest: aurium item frigidis doloribus.

## SVCCINVM.

SVccinum Plinius ex defluente pini arboris medulla, sicut ex ceraso gummi, nasci scribit. Alij uolunt populi arboris esse lachrymam, quę in amnes destillans in eiusmodi formam duretur. Sed neutrum uerum esse patet, cùm manifestum sit materiam eius, facultatem, qualitatem, odorem à resina abesse. Multa huius rei uide argumenta apud Valerium Cordum in cõmentarijs in Dioscoridem, quæ hic relinquemus, & simpliciter quid sit demonstrabimus.

Succinum Græcis Electrum dicitur, Germ. **Agstein**/& **Bornstein**. Est uerò Electrum quoq; metallum, de quo inter metalla est actum. *Electrum.*

Estq; Succinum, seu Electrum nihil aliud quàm Naphtha, hoc est, bitumen liquidissimum ex montibus in mare defluens, ubi in solidum corpus induratur. Nec alius esse Lyncurius à Dioscoride affirmatur, quem alij ex lyncis animalis urina nasci fabulantur. Porrò tria sunt huius genera: Fuluum, candidum, & nigrum. Officinæ primum cum Mauritanis Carabe uocãt citrinum. Item Ambram citrinam. Alterum uerò Carabe album. Candidum præferunt, ob odoris gratiam. Fuluum est translucens, leuem ignis fulgorem ostendens. Tertium nigrum est, quod succinum priuatim quædam Officinæ nominãt, quædam ambram griseam. *Succinum quid. Lyncurius. Carabe.*

### VIRES.

Festucas & paleas attritum in panno attrahit. Cor aiunt confortare, exhilarare, tremoremq; eius pellere. In polline exhibitum albos mẽses, stomachi fluxiones, & uentris profluuia sistere experimento constat. Emelle oculorum lippitudinibus medetur.

## ASA FOETIDA.

ASa fœtida, German. **Teufelsdreck**. Videtur haud dubiè esse succus Silphij seu Laserpitij Dioscoridis, quẽ Laser appellat, inq; hunc describit modum: Laser è radice atq; caule Laserpitij scarificatis colligitur. Optimum huius generis, quod colore ruffum, translucẽs, myrrhæ æmulum, non porraceum, odore ualens, gustu suaue, quod dilutum facilè albescit. Herba uerò Laserpitium nobis est incognita, caule nascens ferula ceo, quem Maspetum uocant, foliis apio similibus, semine lato. Radicẽ eius Magudarin appellant. Vim Dioscoridi habet acrem, & calfactoriã. Efficacissimum uerò est Laser, mox folia, postremò caulis. *Laser. Laserpitium. Maspetũ. Magudaris.*

### VIRES.

Calida & sicca in quarto gradu statuitur. Vires eius sunt discutere, penetrare,

netrare,& consumere. Adipe hœdi mixta in aceto cocta paralysi utiliter ferunt illini. Cum pipere,& aceto lippientibus oculis fert opem. Cauendum tamen ne quid in oculum influat. Cum thure dentium dolorem collutione mitigat. Cum aceto ozænas curat. Comitiali morbo eiusmodi ex hac coficiunt remedium: Recipe Asæ fœtidæ ʒ.j. granorum piperis ʒ ij. granorum sinapi ʒ.j. Misceantur & bina uice in hebdoada cũ liquore stillatitio Spicæ nardi sumantur. Ferunt qui hoc in prima lunæ quadratura sumpserit, eius mensis tempore à comitiali morbo tutum fore. Dyspnœæ conferunt pilulæ eius cum sirupo uiolarum sub uesperã sumptæ. Pectus & uentriculum expurgant. Cum aceto & pipere faciei maculas exterit. Eodem modo ex ouo sorbili, tussi, doloribus splenis, pectoris,& laterum medetur. Cum saccharo colata quotidianæ febri est auxilio. Cum aqua hederacea aquam intercutem iuuat.

## AMYLVM.

AMylum uel Amydum, ex tritico,& interdum ex hordeo conficitur. Germa. Krafftmeel/Sterckmeel. Vide de hoc in Tritico.

## AMMONIACVM.

AMmoniacum, uel Armoniacum, liquor est ex planta ferulacea, iuxta Iouis Hammonis delubrum in Africa, ut tradit Dioscorides, resectis ramis stillans, odore bono, colore cocto oui albumini similis. D

### VIRES.

Calidum est in tertio, siccum uerò in primo gradu. Tussim ex humiditate natam pellit, dyspnœam in ouo sumptum tollit. Pectus purgat. Sex uel septem ex Armoniaco confectæ pilulæ, cõtra pectoris laterumq; hulcera ex sorbili ouo sumuntur. Conficitur ex eo unguentum aduersus carnis excrescentias, uerrucas,& tubercula efficax. Contra splenis duritiem sinistro lateri illinitur, noctem unam in aceto maceratum, admixto Galbano, puluere absinthij, origani,& modica cera. Fumus ex Asa fœtida, Galbano, et Ammoniaco per inferna admissus, mẽses muliebres ciet. Vermes uentris cum succo absinthij ieiuno sumptũ stomacho interimit. Idem efficit si dissolutum in aceto extrinsecus uentri illinatur. Dentem Ammoniaco & succo hyoscyami perunctum excidere aiunt.

## AMBARVM.

AMbarum, Græcis recentioribus Ambar,& Ampar, Officinis Ambra chrysea uel grisea. Odoramẽti est genus, Aẽtio teste, quod fontes quidam, sicut picem, bitumen & sulphur eructant. Huius tria faciunt genera: Optimum fuluum,& præpingue. Proximum subalbidum. Tertium nigrius, quod uiribus infirmius.

### VIRES.

Calidum est & siccum in primo gradu. Digerendi uim possidet. Mẽbris paralyticis medetur. Cor & cerebrum confortat. Pectus purgat.

Memoriam

A Memoriam custodire aiunt. Contra uertiginem capitis,& uertiginem ex ea prouenientem: Recipe Ambari ʒ.j. Ligni aloës ʒ.s. Ossis de corde cerui dicti ʒ.ij. Dissoluatur cum aqua rosacea,fiantq; pilulæ. Fumus ambræ,& cornu cerui,æquali quantitate prunis impositorum, comitiales, si ore excipiatur,recreat. Procidentem matricem,per inferna suffitus idē admissus,& asa fœtida naribus admota,retrahit. Senibus natura frigidis usus Ambari est salutaris. Rationem ex frigore debilitatam confortat, Melancholiam pellit.

## BDELLIVM.

BDellium,Dioscoride teste,gummi est arboris Sarracenicæ,quod hodie suo nomine in Officinis inuenitur, aliquandiu tamen ignoratū. Nam multo tempore myrrha pro Bdellio, ob similitudinē quam habent inuicem,allata fuit. Optimum gustu est amarum, translucidum, taurini glutinis in morem,intūs pingue,liquescens facilè,ligni ac sordiū expers, suffitu odoratū,ungui simile. Adulteratur plurimum Arabico gummi. Duplex hodie faciunt,Indicum & Hispanicum.

VIRES.

Indicum naturæ est calidæ: Hispanicum uerò frigidæ & siccæ. Grumos sanguinis in corpore discutit. Aluum sistit, stomachum confortat. Pulmonis exulcerationes digerit. Calculum uesicæ,& renum cum ieiuB ni hominis sputo sub umbilico illitum,aiunt frangere. Suffitus eius partum maturat,& matricem purgat. In potu tussi, pleuritidi conuulsionibusq; medetur.

## COLOPHONIA.

COlophoniam & Picem Græcam uocant hodie eam, quæ Pix Brutia ueteribus est dicta,pix uerò Græca uocatur,eò quòd maxima copia in Græcia proueniat,impropriè tamē Colophonia appellatur, ut in pice suprà,& in resina est indicatum. Germ. **Griechisch bech/ Geigenharts**/ quòd hac ad fidium & chordarum in Musicis instrumentis acuendum tenorem utantur. Picis quædam est species,à loco ubi copiosissimè prouenit id nominis habens.

VIRES.

Trita cum nasturtio aquatico & melle, lumbis inuncta, sanguinis eruptionem prohibet. Conficitur hinc unguentum, quod habet Colophoniæ ʒ iij. Masticbes ʒ j. modicum Ammoniaci: tusa cum aqua frigida colentur. Valet ad cutem faciei extergendam,& ad capillos pellendos,si aliquot uicibus ad duas horas tepidum illinatur,ac mox aqua pura lauetur facies.

Suffitus eius ore exceptus difficultate spirandi laborantibus est salutaris. Procidentem sedem, cum lanaria herba calida apposita, in locum pristinum restituit.

SCAM.

## SCAMMONIVM.

Scammonia herba.

SCammonium est liquor, qui ex radice Scammoniæ herbæ colligitur, & exiccatus ad nos adfertur. Est autem Scammonia Dioscoridi herba foliis helxines aut hederaceis, mollioribus tamen, hirsutis, triangulis: ramis tricubitalibus, multis, pinguibus, & nonnihil crassis: flore candido, rotundo, in calathi modum cauo, graueolente. Radice prælonga, crassitudine cubitali, candida, graui odore, succi plena. Intelligitur autē per helxinen in hac descriptione, non Parietaria, sed Cissampelos, quæ aliàs etiam Scammonia minor, ob foliorum similitudinem, appellatur.

Dacrydiō Diagrydion.

Recentioribus Scammonij succus Dacrydion dicitur, quasi lachrymula, & hodie corruptè Diagridion appellatur. Non autem simpliciter Scammonia per Dacridion seu Diagridium intelligitur, sed quæ præparata est, & in cotoneo malo cocta, quò minus stomachum offendat. Per Scammoniam ergò simpliciter Scammonij succus seu liquor accipitur, per Diagridium uerò idem liquor cum malo cotoneo coctus, quod fit hunc in modum: Excauato malo cotoneo Scammoniam insere, ac occlusum deinde malum cum farina subacta circumline, ac panario furno temperati caloris ad sex horarum spacium impone, & apparatam Scammoniā, quæ diagrydion uocabitur, habebis. Sputo eius perfectio probatur: nam si lacteum colorem sputo madefacta assumet, erit recta: sin minus, nullius est precij. Probatur Scammonium, quod fuerit album, item nigricans & clarum, friabile, amarum, odoris mediocris.

### VIRES.

Scammonium flauam euacuat bilem, sed cordis dolorem mouet. Est enim odore graui, gustu iniucundum, siticulosum. Siquidem cùm omnia quæ aluum deijciunt medicamenta, aloë excepta, uentriculo infesta sint, scammonium illi plus cæteris aduersari constat. Proinde cauendum ijs qui stomachi sentiunt imbecillitatem, & ijs qui febre laborant: quippe suapte natura leuissimum, in corpus facilè rapitur, residemq; spurcitiam omnem in eo, colluuiemq; commouet. Datur ijs qui febre uacant, & stomacho ualent, ijs deniq; quibus ægrè uomitus eliciuntur, nec facilè linquuntur animo. Permiscendus & sal, Actuario teste, aut thymus, aut pulegium, aut quippiam ex ijs quæ gratum spirant odorem, & stomachum roborant, uelut anisum, mastiche, idq; genus. Datur per se ex melle, uel ptisanæ cremore duorum scrupulorum pondere. Paululum quid adijci, aut detrahi, pro uirium ratione, potest.

## TRAGACANTHA.

TRagacantha, Officinis Dragantum. Gummi est ex Tragacanthæ, hoc est, Hircinæ spinæ radice secta manans, Planta nobis incognita: Gummi tamen radicis ad nos defertur. Tria sunt eius genera: Primum album, & clarum, quod est præstantissimum. Alterum uilius, colore rubeum. Tertium coloris pulli.

VIRES.

VIRES.

Frigidam in secundo, & humidam in primo gradu faciunt. Alba integrum decennium incorrupta asseruari ualet, medicamentisq; refrigerantibus admiscetur. Cum Gummi Arabico pari pondere aduersus pectoris obstructiones bibitur.

Pilulæ aduersus tussim ex ea conficiuntur eiusmodi: Recipe succum Glycyrrhizæ, misce cum Tragacantha, & per noctis spacium imbue, hinc colato, & admixto puluere Tragacanthæ fiant catapotia, quæ sub lingua dissoluta tussim mitigant, & sitim eadem sedant.

Cum aqua rosacea dissoluta, admixto amylo, labijs propendentibus illinitur. Cum rosacea aqua, & camphora faciei cutem emendat.

## CAMPHORA.

CAphura ueteribus Græcis, ut Dioscoridi & Galeno, ignota, Officinis Camphora dicitur. Est Gummi admodum odoratum, Arboris Indicæ eiusdem nominis, ut describit Aëtius, tantæ magnitudinis, ut sub eius umbra hominum centuriæ condi possint, materie leui, ferulacea, quæ gummi aut lachrymam fundit. *Caphura.*

Multa eius traduntur genera: Vna in ligni interuenijs impacta figitur: alia foràs emergit, & arboris corticibus hæret, maculis inter initia rubentibus, pòst uel calore solis tosta, uel ignis ui candescit: atq; hæc cæteris bonitate & tenuitate præstat, longiore durans tempore. Incolæ Riachinam uocant, à regis nomine qui primus dealbandæ eius rationẽ inuenit. Alia rursus est crassior, atro colore, non precio, sed duratione tantùm cedens. Tertia uilior, colore fusco. Alia impurior, quæ more gũmi agglutinata lentescit, tuberculo nucis aut fabæ, aut ciceris. Verùm in duo summaria genera omnis camphora distinguitur: Aut enim nullum ignem sensit, & rudis dicitur: Aut ignis ardore canduit, & uocatur elaborata. *Riachina.* *Caphuræ duo genera.*

Probatur Caphura hunc in modum: Calido imponatur pani, & si humore madeat, synceram esse constat: sin indita perarescat, spuriam & fictitiam esse, certissimum est argumentum.

VIRES.

Frigida & sicca in abscessu tertio statuitur. Capitis dolores ex calore natos mulcet. Inflammationes incandescentes, præsertim quæ iecur occupant, restinguit. Renes & uasa seminaria refrigerat, sanguinemq; cogit. Aëtius maximis morbis, & præcipitibus præsertim auxiliari est autor. Somnum præterea conciliare nonnulli aiunt. Sed nimius eius usus cauendus, quoniam peruigilia tandem adferet.

Sanguinem narium sistere: & cum uuę acerbę succo uentrem supprimere: canitiem frequentem eius usum accelerare: ægrotationes frigidas, locis præsertim & corporibus frigidis accedentibus, parere ferunt.

## EVPHORBIVM.

C

EVphorbium succus est arboris Libycæ, sic dictum ab Euphorbio, Iubæ regis Libyæ medico, sapore acerrimo. Scribit Dioscorides, incolas eius loci, formidantes eximium feruorem, uentres ouillos elutos arbori circunligare, & eminus caulem contis incidere, ac confestim è plaga, uelut uase quodam lacteum humorem effluere, inq; uentriculis concrescere, colore uitreum.

Alterum quoq; genus faciunt, orobi magnitudine, Sarcocollæ forma, qua plurimum etiam adulteratur.

VIRES.

Calidum est & siccum in gradu quarto.

Datur ex aqua mulsa trioboli põdere ad pituitam, seu potius aquam subducendam. Est autem celerrimum, & maximè ignea ui flagrans: Vnde colicis & aluum frigidiorem habentibus datur. Cæteros uehementer conturbat, Aluum ciet. Nonnihil etiam ex odoratis seminibus, aniso, mastiche, & Spica nardi miscendum.

Addunt alij cum oleo mixtum hydropicis utiliter illini: iecoris item & splenis doloribus pari illitu subuenire: Cum oleo spicæ fronti & uertici illitum, capitis hulcera pellere, & sensus corroborare: Collo uerò tõsillas sanare.

## GVMMI ARABICVM.

D

GVmmi Arabicum dictum est, quod aliàs simpliciter gummi uelut per excellentiam dicitur. Et est quod ex Acacia stillat frutice, quo pictores ad splendorem colorum utuntur. Adulteratur autem plerunq; gummi eo quod ex ceraso, pruno & amygdalo sudat.

Tria sunt eius genera: Album, quod reliquis præfertur, refrigerantibusq; medicamentis admiscetur. Rubicundum & clarum, quo Pharmacopolea passim utuntur. Tertium medio inter rubrum & candidum colore fulget, eiusdem usus cum reliquis.

VIRES.

Calidum est & humidum in primo gradu. Tussi & hulceribus pulmonis medetur. Potus eius hebetudinem oculorum corrigit. Laxatiuis præterea medicamentis additur. Cum cinnamomo tritum ex uino sumptum, uomitiones assiduas sedat. Cum rosacea aut pluuia aqua sanguinem excreantibus auxiliatur.

## GALBANVM.

Metopiũ. GAlbanum liquor est ferulaceæ cuiusdam plantæ in Syria, Metopiũ appellatæ. Olibano aut Ammoniaco simile conspicitur. Optimum est cartilaginosum totum, thuris effigiem referẽs, pingue, minimè lignosum, nonnihil adiecti seminis, & ferulæ retinens, odore graui, neq; ualde humidum, neq; aridum. Adulteratur plurimum resina & contusis fabis atq; Ammoniaco. Colligitur ex sectis ferulis æstiuo tempore, inq; sole induratur.

Purgatur

A Purgatur Galbanum hunc in modum: In sartagine dissolutum frigidæ infundatur aquæ, quod subsederit ut purissimum eligatur, quod uerò supernatat, tanq̃ impurum abiiciatur. Alij in feruẽte dissoluũt aqua, & subsidentem materiam eligunt, supernatante impuritate amota.

VIRES.

Calidum est in tertio, & humidũ in primo ordine. Tres eius drachmæ in sorbili ouo, aut hederacea aqua sumptæ, dyspnœæ feruntur prodesse. Suffitus eius naribus exceptus, capitis hulceribus auxiliatur. Eiusdem cum Ammoniaco suffitus per inferna admissus, procidenti matrici opitulatur. In aceto maceratum ad triduum, & cum oleo mixtum, splenis duritiem illitu emollit. Cum Mastiche in aceto dissolutum, ad menses impeditos in pesso subditur. Maligna corporis hulcera maturat. Ore exceptus eius suffitus, dentium dolori subuenit.

## LADANVM.

LAdanum, Officinis Laudanum, Gummi est Ladonis fruticis, ut testatur Dioscorides, odoris gratissimi. Optimum quod nigrum, friabile & graue. *Laudanũ. Ladon frutex.*

VIRES.

Humidum & siccum est in gradu primo. Destillationibus capitis auxiliatur. In ore dissolutum, dentium dolorem sedat, & gingiuas firmat.

B Matrici propendenti suffitu per inferna opitulatur.

Pilulæ ex Ladano uesperi sumptæ, uentriculum calfaciunt, concoctionemq; adiuuant. Idem potest in uentriculo illitum.

## THVS, ET THVRIS MANna. Fuligo thuris, & cortex Thuris.

THus, Græcis Olibanum, & Libanum, qua appellatione nonnullæ Officinæ utuntur. Germanis Weirauch, quasi dicas consecratorius fumus, quòd nimirum in templis ad sacra accẽdatur. Thus à θύω, hoc est, sacrifico, dictum uolunt, quòd ad sacrificia accendatur. Alij Tus scribunt à tundendo, quòd glebæ tundantur, cum quibus fluens ex arboribus coalescit. Galli Incensum uocant. Lachryma est Arabicæ arboris, quæ Libanotus dicitur. Colligiturq; duplici uindemia, primùm circa Canis exortum, hinc uerno tempore. Optimum est candicans, pingue, quod accensum statim ardeat, & guttis interdum duabus testiculorum modo est concretum: & hoc mas dicitur. Adulteratur pice, sed impostura facilè deprehenditur, siquidem igni admotum fumat, & minimè ardet. *Olibanũ. Libanũ. Incensum Libanotus arbor.*

Porrò ex masculo thure tenuis puluis & pollen, qui in grumorum attritu resoluitur, inuenitur, qui Thuris manna appellatur, cuius olim ad emplastra frequens fuit usus, sed hodie nullo amplius est usu, uerùm *Manna thuris.*

eius loco thure trito utuntur. Quoties ergo inuenitur ſcriptum: Recipe Thuris mannæ, non diſtinguendum eſt, ut quidam exiſtimant, ut Thus & manna ſint diuerſæ res, ſed ipſa Manna thuris eſt intelligenda. C

Fuligo thuris. Fuligo thuris eſt reſolutus tenuis quidam fumus ex accenſo thure, cuius collectionem docet Dioſcorides. Germa. Rham.

Cortex thuris. Thuris cortex quoq; cum thure affertur, ab arbore cum lachryma are facta auulſus maiore adſtringendi & ſiccandi ui quàm thus ipſum.

Optimus craſſus, pinguis, odoratus, recens, leuis, minimè ſcaber, ſine membranis: adulteratur tamen pini, aut eius nucis admixto cortice, ſed igne dolus manifeſtatur: reliqui enim cortices ſuffiti non accenduntur, ſed fumant abſq; odore: thuris uerò cortex ardet, & odorem cum thure ſpirat.

VIRES.

Thus calidum eſt in ſecundo, & ſiccum in primo ordine: adſtringit & tergit modicè. Manna thuris eandem cum thure uim habet, ſed aliquanto imbecilliorem.

Cortex thuris uehementius quàm thus ipſum adſtringit & ſiccat.

Thus ad uulnera glutinanda, & putredines arcendas prodeſt.

In uino ſanguinem excreantibus bibitur, omnesq; ad fluxus tam uirorum, quàm fœminarum. Cum melle mariſcis illinitur. Cum aceto & oleo impetiginem ſanat, & cutis uitia emendat. Cum uino dulci aurium tinnitui inſtillatur. Oculorum hulceribus ſuffitus eius confert. Cor confortat, ſanguinem bonum generat. D

Mannæ thuris eandem cum thure ſunt uirium.

Fuligo thuris oculorum inflammationibus, & fluxionibus eſt auxilio. Vlcera purgat, caua explet, carcinomata curat.

Cortex ſanguinem excreantibus in potu utiliter datur. In peſſo uulueſ fluxionibus ſubuenit. Ad oculorum cicatrices, & caua ſordesq; pollet. Toſtus lippitudinibus ſcabris fert opem.

## MYRRHA.

MYrrha, Græcis μύῤῥα, & σμύρνα. German. Myrrhen. Lachryma eſt, ut Dioſcorides deſcribit, Arboris Arabiæ, Aegyptiæ ſpinæ non diſſimilis, è cuius uulnere lachryma profluit in ſubiectas tegetes, & alia circum caudicem concreſcit.

Species eius plures enumerat Dioſcorides, Optima eſt recens, ſqualore obſita, leuis, undiq; concolor, quæ fracta uenas undiq; unguium modo candidas, & leues oſtendat, minutis glebis, amara, acris, odorata, calfaciens. Reprobatur ponderoſa & picea. Ad nos fortè rarius optima myrrha per ignauiam aromatopolarum defertur: non tamen omnino ea caremus. Adulteratur macerato gummi in aqua qua myrrha maduerit.

Stacte. Expreſſa Myrrha pinguedo, & flos quidam effluit, qui Stacte dicitur

A dicitur à ſtillando id nominis habens. Verùm ea apud nos non exprimitur, quia recens myrrha ex qua exprimi poſsit, ad nos non adfertur. Locis uerò Arabię, ubi myrrhæ copia eſt, exprimitur.

VIRES.

Calida eſt & ſicca in ſecundo ordine: Glutinat, adſtringit. Vuluam emollit, & præcluſam aperit. Cum abſinthio, lupinorũ cremore, uel ſucco rutæ admota, menſes & partus celeriter extrahit. Fabæ magnitudine ſumpta, ueteri tuſsi, laterum pectorisq; doloribus, orthopnœę, alui profluuio, & dyſenteriæ ſubuenit. Ante febrium acceſsionem duabus horis cum pipere, & aqua fabæ magnitudine pota, horrores diſcutit. Sub lingua diſſoluta arteriæ ſcabritiem leuigat. Vocis raucedinem corrigit. Ventris tineas enecat. Grauem oris halitum emendat. Alarum fœtorem cum liquido alumine illita pellit. Cum uino & oleo uel aceto, gingiuas & dentes ſtabilit. Vulnera capitis illitu glutinat. Fractis auribus, & nudatis oſsibus cum cochlearum carnibus illita medetur. Cum meconio, caſtorio, & glaucio purulentis, & inflammatis auribus. Cum caſia, & melle uaros tollit. Impetigines ex aceto purgat. Cũ ladano & uino myrteo defluentes capillos firmat. Diuturnis deſtillationibus naribus cum penna illitum ſubuenit. Oculorum hulcera complet, albugines tollit. Caliginem diſcutit, ſcabritiem lenit.

B

## SACCHARVM.

SAccharum, Græcis Sacchar. Vulgò Zuccarũ. Succus eſt ſeu mel cõcretum, ut Dioſcorides ait, quod in India & Arabia felici in arundinibus gummium modo inuenitur, ſalis modo coactum, dentibus, ut ſal, fragile. Propterea in eorum quoq; ordine referre placuit. Galeni temporibus non admodum fuit cognitũ, nunc uerò nihil hoc eſt notius, uariasq; in formas cogitur. Nullum hodie medicamentum, nullus cibus lautus abſq; huius condimento ferè ſpectatur. De ſaccharo Varro ſcribit hunc in modum: Zuccarũ.

*Indica non magna nimis arbore creſcit arundo,*
*Illius & lentis premitur radicibus humor,*
*Dulcia cui nequeant ſucco contendere mella.*

Probatiſsimum ex Aegypti Alexandria, & Cypro, nũc affertur. Coctura ſacchari deſcribitur hũc in modum: Primò excoquunt arundinẽ, deinde flaua pars ſecernitur, & hanc ſaccharum exiſtere. Hoc iterum coqui poteſt, atq; ita fit candidius, & concretius. Quòd ſi tertiò coquatur, maximum candorem, & denſitatem acquiret. Quartò etiam & quintò ſolet excoqui, donec aluminis ſciſsilis ſpecie transluceat: atq; hoc genus alij Candidum, alij Cantium cognominant, Vulgò Saccharum candi.

German. Zuckerkandel. Actuarium primum in medicamentis mellis C. usum ad saccharum transtulisse constat, palato ægrotantium hoc pacto inseruientem.

VIRES.

Saccharum, ut autor est Simeon Sethi, calidum est & humidum absces su primo. Deterget, discutit instar mellis. Neq; tamen sitim allicit, nec sto machum morsu lacessit. Ventrem ad excretionem stimulat. Pectori, uesicæ & renibus prodest. Errant qui refrigerare existimant: siquidem in calidiore uentre in bilem conuerti compertum est. Præfertur uetus recenti, quamuis plus excalfaciat, & magis partium tenuitate polleat, sed capitis dolorem mouet. Aqua dilutum refrigerat, sibiq; algentem aquæ naturã adsciscit. Fluxiones è capite decidentes olfactu uel suffitu arcet. Hæc de uiribus Simeon tradit. Saccharum cãdidum seu Candi, inter sacchari genera præfertur. Gutturis asperitatem, & arteriæ tracheæ lenit. Pectori prodest, & tussim mitigat.

## LYCIVM.

*Lycium arbor. Pyxacantha. Buxea spina.*

LYcium Dioscorides describit, succum spinosæ arboris, quę pari nomine Lycium & Pyxacãtha, hoc est, Buxea spina appellatur: Ramos ea fert tricubitales, aut longiores: folia buxi, densa: fructum piperis, nigrum, leuem, amarum: corticem pallidum, madefacto Lycio non dissimilem: radices multas, obliquas, lignosas, è quibus simul & ramis succus excoquitur, qui eodem cum arbore nomine appellatur. Nostræ uerò Officinæ præter nomen nihil aliud habent, sed prorsus Lycio uero carent.

*Lycium Officinarũ quale.*

Quod enim ipsæ habent Matrisyluæ, & aliarum plantarum est succus, nulla uel exigua admodum adstringendi facultate præditus. Sed uerum Lycium fit in Lycia & Cappadocia plurimum. Probatur quod uri potest, restinctumq; spumam rubentem ostendit, glebis extrinsecus nigris, intus cùm fregeris rubris, odore minimè uiroso, cũ amaritudine adstringens.

VIRES.

Lycio adstrictoriã uim cum amaritudine, attribuit Dioscorides. Calidum alij statuunt in primo, siccum uerò in gradu secundo. Caliginẽ oculorum discutit. Genarum scabiem, pruritus & ueteres fluxus sanat. Purulentis auribus, exulceratis gingiuis, tonsillis, labiorum, & sedis rimis medetur. Cœliacis & dysentericis bibitur. Sanguinem excreantibus, & tussi ex aqua confert. Vide plura apud Dioscoridem.

## CAVCHAMVM.

*Cancamũ. Lacca.*

CAuchamũ seu Cancamum, Officin. Lacca, & Actuario. Lachryma est Arabici ligni, Myrrhæ quodammodo similis, uiroso gustus, quæ hodieq; in Officinis uera habetur, & Lacca ijsdem dicitur.

VIRES.

Cauchamum seu Laccam obesa corpora extenuare, si ternũm obolorum pondere ex aqua aut mulso aceto per aliquot dies bibatur, scribit Dioscori-

A Dioscorides. Prodest lienosis, comitialibus, & suspiriosis. Cum aqua mulsa menses trahit. Oculorum cicatrices emendat. Ex uino hebetudinibus eorundem opitulatur. Gingiuis humore prægnantibus, & dentium dolori efficacissimum præbet remedium. Additur ad suffimenta. Vestes eodem, & ex styrace & myrrha suffiuntur. Dentium dolor.

## MVMIA.

MVmia Dioscoridi Pissasphaltum. Est, ut Arabes definiunt, sanies, quæ ex humani cadaueris carne, aloë, myrrha, & Balsamo commixta, in sepulchris inuenitur. Dioscorides uerò Pissasphaltū ex Ceraunijs montibus deuolui, & impetu fluminis raptam, æstu in littus expui, inq; glebas illic cogi scribit. Est ergò diuersum Pissasphaltum à Mumia Arabum. Sed discrimen in hoc est, quòd Pisasphalton Græcorum est natiuū, cuiusmodi adhuc hodie in quibusdam Germaniæ locis, ut in Transsylua nia, fluminum impetu defertur: quod colligentes incolæ, & à sordibus purgantes, ad ceræ crassitiem coquunt, & ad faces pro cera utūtur: Vnde etiam **Bergwachs**/& **Erdwachs**/hoc est, terrestrem & montanā ceram uocitāt. Mumia uerò Arabum, ut hodie affertur, est factitia, fitq;, Valerio Cordo describente, hunc in modum: Pissasphaltum.

Natiuum accipiunt bitumen, & liquefactum in hominis cadauer infundunt, & omnes eius concauas partes replent, cranium uidelicet, pB ectus, uentrem, & omnia peruia ossa: non enim bitumine tantùm integra funera condiuntur, sed arida ossa bitumine complentur, & in humanam formantur effigiem. Talis est Mumia, quæ hodie affertur, nec aliquam habet myrrhæ, uel aloës, uel Balsami admixtam portiunculam, quod colore, odore, sapore, manifestè deprehendi potest. Huiusmodi autem corpora, quæ sic condiuntur, diuitum sunt, nec afferuntur. Sed ea tantùm, quæ bitumine cōdita sunt, nec ea propriè, uerūm aridis ossibus infusum bitumen pro Mumia affertur. Hæc Valerius Cordus.

### VIRES.

Calidam tradunt in fine tertij, & siccam in secundo gradu. Phlegmatico frigidoq; capitis dolori, paralysi, oris torturæ, epilepsiæ mederi ferunt: Aurium dolorem granum eius in oleo iuniperorum dissolutū pellere: Cum aqua hordeacea, & Sebeste ceruicis dolorem, & tussim compescere. Trium granorum hordei quantitate cum aqua menthæ in dolore cordis ad triduum, ieiuno stomacho bibitur.

Pari modo ex Cumini seu Ammij liquore stillatitio, torminibus, epilepsiæ, & apoplexiæ auxiliatur.

Caput purgat. Anginæ fert opem.

Cum butyro ictibus illinitur: nec non ruptis, & tam internis, quàm internis obstructionibus. Pulmoni, hulceribus, uesicæ & uirgæ, pōta et illita, uel clystere infusa, prodest.

## OPOPANAY.

Panax heracleum.

OPopanax, quasi dicas liquor panaces. Succus est ex radice panaces heraclei manans, ut testatur Dioscorides, quo Officinæ adhuc utũ C
tur. Planta ex qua liquor hic colligitur, nobis incognita: Italis tamẽ quibusdam seritur. Excipitur succus incisa radice, recẽti adhuc caulium pullulatu, qui primùm candidus emittitur, siccatus uerò croceum extrinsecus colorem accipit. Descriptionem ipsius plantæ uide apud Dioscor. lib. 3. Foliis nascitur asperis in terra iacentibus, herbacei coloris, ad ficulnea multum accedentibus, in ambitu quinq; partitò diuisis, caule ut ferulæ altissimo, qui lanugine quadam incanescit, foliis etiam minutioribus obsitus, umbella in summo ferè anethi, flore luteo, & semine odorato feruenteq;. Radices multas habet, candidas, graueolentes, crassi corticis, & subamari gustus. Probatur succus quàm amarissimus, intus albus aut subfuluus, foris croceus, lęuis, pinguis, friabilis, tener, in aqua statim liquescens, graui odore. Reprobatur niger & mollis. Adulteratur Ammoniaco & cera. Sed synceri experimentum est, si digitis in aqua tritus resoluatur, & lacteſcat.

VIRES.

Calfacit, mollit, & extenuat, teste Dioscoride.

Vulsis, ruptis, laterum doloribus, torminibus, urinæ stillicidio medetur. Ex aqua mulsa contra ueſicæ scabiem bibitur. Menses trahit, fœtum enecat. Inflationes uuluæ, & duritias ex melle discutit. Ischiadicis illinitur. Acopis & capitis medicaminibus miscetur. Carbunculos rumpit. D
Podagricis cum uua passa illinitur. Canis dentibus in dolore inditur. Visum illitu exacuit, aduersus rabidos morsus optimũ ex eo, & pice fit emplastrum. In orbili ouo sumptum, dyspnœam adiuuare, & pectus purgare tradunt. Exulcerato pulmoni, & ueteri tusi pilulæ de opopanaco conficiuntur. Fumus eius ore exceptus uuulam collapsam eleuat. Tonsillas extrinsecus cum dialthæa illitum sanat. Hydropicis prodesse aiunt, si in succo sambuci noctem unam imbuatur, ac ieiuno sumatur stomacho: Colicæ passioni eadem ratione cum fœniculi succo & saccharo mederi.

## SAGAPENVM.

Serapinũ

SAgapenum, Officinæ Serapinum uocant. Succus est ferulaceæ herbę in Media. Optimum describitur Dioscoridi, translucens, fuluo forinsecus colore, & intus albo, medio inter Laser, seu Asam fœtidam, & Galbanum odore, gustu acre.

VIRES.

Calidum est & siccum in tertio gradu. In rutæ succo dissolutum calculum ueſicæ potenter frangit. Vrinam ciet. Lippitudini & hebetudini oculorum auxiliatur. Pterygia hunc in modum pellit: Recipe Serapini ʒ. ſ. dissoluatur in succi chelidoniæ ʒ. ſ. Admisceatur sacchari ʒ. ſ. lactis muliebris ʒ. iij. Illitum hoc oculis est præstãtissimo remedio. Veteri tusi fert

A pectus purgat. Destillationibus cerebri prodest. Epilepsiæ & comitialibus ex uino efficaciter bibitur. Cum rosaceo membris lassis illinitur.

Odor eius obstructionem matricis aperit.

## STYRAX.

STyrax, Officinis Storax dicitur. Est lachryma, Dioscoride describente, arboris cotoneæ malo similis in Pisidia & Cilicia nascentis. *Storax.*

Est autem in triplici differentia: Prima est Calamita dicta, quæ in candicantes & ruffescentes grumos concreuit. Altera est liquida, estq; substantia cum priore eadem. Fit enim ex Styrace calamita expressa, oleo & resina additis: estq; uelut sedimentum eius expressæ. Atq; hanc multi uolunt esse Stacten, sed malè: Nihil enim inuicem Stacte & Styrax commune habent, suntq; earum arbores natura & locis diuersæ. *Styrax calamita. Styrax liquida.*

Stacte nanq;, ut suprà dictum est, fit ex Myrrha, cuius arbor in India & Arabia nascitur: Styracis uerò arbor in Pisidia & Cilicia prouenit. Tertia dicitur Styrax rubea, & nonnullis Thymiama, estq; cortex in rubro colore nigricans, quem ex Styracis arbore ferunt colligi. Optima est sordescens, flaua, resinosa, albicantibus grumis, quàm plurimum in sua odoris gratia permanens, quæ dum mollitur, melleum liquorem reddit. Reprobatur nigra, furfurosa, friabilis & squalida. Adulteratur uarijs modis, quos docet Dioscorides. *Styrax rubea. Thymiama.*

B

### VIRES.

Calfacit, emollit, et concoquit. Tussi, destillationibus, raucedini, grauedini uocis interceptæ, uuluæ præclusæ & duræ medetur. Menses potu & appositu ciet. Aluum mollit exigua eius particula cum resina terebinthina sumpta. Malagmatis discutientibus, & acopis utiliter miscetur. Fuligo eius, quæ fit si igni torreatur, ad eadem ualet.

Oleum styracineum ex eadem fit, quod uehementer calfacit & emollit, sed caput dolore afficit, & somnum conciliat.

## SARCOCOLLA.

SArcocolla, Latinis idem quod Gluten carnis, Gummi est spinosæ arboris in Perside, albo thuri simile, rufum, gustu amarum. Eligitur quod est friabile. *Gluten carnis.*

### VIRES.

Calidum & siccum in quarto faciunt gradu. Vulneri admiscetur emplastris. Vires eius sunt ad maturitatem perducere, aperire, consumere, erodere. Oculorum fluxiones cum amylo & albo saccharo inhibet. Conueniet autem in eius usu infrenantia quędam adhibere: nam efficacia sua uehementer penetrat. Capillos facit excidere. Cum albumine oui temporibus illitum, sanguinem narium cohibet. Cum aqua rosacea mixtũ, & in sole siccatum, denuoq; rosacea aqua dissolutum, maculas faciei extergit. Suffitus eius per inferna exceptus tenasmo medetur.

SAN-

## SANGVIS DRACONIS.

SAnguis Draconis ſuccus eſt in Officinis rubeus, congelatus, ad inſtar ſanguinis humani. Eſt autem is ſuccus ſeu gummi arboris cuiuſdam in Aphrica, ut quorundam diligentia compertum eſt. Plinius ſanguinem eſſe putauit ex pugna Draconis, & elephanti eliſum. Valerius autem Cordus cenſet Sanguinem Draconis eſſe Cinnabarin Dioſcoridis. Verùm huius ſententia non uidetur ſubſiſtere. Cinnabaris enim ex metallicorum eſt numero, in quo etiam Dioſcoridi deſcribitur. Sanguis uerò Draconis arboris eſt gummi ſeu lachryma, ut ipſe quoq; aſſerit. Proinde nequaquam Cinnabaris & Sanguis Draconis eadem res eſſe poſſunt.

### VIRES.

Frigidus & ſiccus eſt in gradu tertio. Sanguinis narium impetum, puluis eius inſperſus & affrictus, quod adhæſerit, ſiſtit. Cum albumine ouí & aqua roſacea temporibus illitus, idem præſtat. Sanguinem mingẽtibus cum Gummi Arabico ex aqua roſacea utiliter bibitur.

## MOSCHVS.

Zapetion. Zibettum

MOſchus odoramenti genus eſt precioſiſsimũ animalis cuiuſdam Indici, ex cuius latere tanquam ſanies promanat, German. **Biſem** dicitur. Animal illud Zapetion, & Zibettum uocant. Nonnulli Moſchum à forma uidelicet, quæ eſt media inter capreã & uitulam Moſchus igitur omnis, ut ſcribit Aëtius, in umbilico cuiuſdam animalis gignitur, quod capreæ ſimile eſt, unico armatum cornu, prægrandi corpore. Siquidem cùm ruit in Venerem, quaſi furijs ſtimulatum, ei umbilicus intumet, uomica prægnans, congeſto inibi craſsiore ſanguine: quo tempore, & pabulo, & potu fera abſtinet, in terraq; crebrò uoluitur, qua uerſatione umbilicum lutoſo fœculentoq; ſanguine, qui ibi coierat, turgentem exprimit, emiſſaq; ſanies poſt aliquod tempus ſibi magnam odoris ſuauitatem adſciſcit. Plura de animali hoc, & eius ſanie, uide apud Ruellium lib. 1. cap. 27.

Feles quoq; interdum ſylueſtres & mures, moſchi odore recrementũ reddunt, ſed id odoratis fruticum cibis, quibus aluntur, eſt acceptum ferendum.

### VIRES.

Calidum & ſiccum in gradu tertio, partiumq; tenuitate prædítum, tradit Aëtius.

Cor

Cor omniaq; interna membra confortat. Naribus inditus sternutamenta ciet, cerebrum caputq; purgat.

Cum oleo petræ frigidis & languentibus membris illinitur.

Granum eius mansum fœtentem oris halitum corrigit. Vertiginem pellit. Ventriculum confortat.

Bonum sanguinem gignit. Collyrijs quoq; additur. Caput illitu confortat, & destillationes eius sedat.

## SMEGMA.

SMegma in genere dicit omne illud, quod purgat et abstergit, à σμήχω, id est, purgo, abstergo. Peculiariter uerò intelligitur de materia ea qua ad uestes lineas purgandas utuntur lotrices. Vulgò Saponem uocant. *Sapo.* Germani Seyff. Coquitur ex seuo, sale & lixiuio. Cuius confectionem, uide suprà in calce.

VIRES.

Naturæ est calidæ & siccæ, estq; usus eius ad plurima. Nihil ad purgandas uestium sordes hoc est notius & usitatius. Vulnera putrida purgat. Saniem educit. Dura hulcera mollit. Scabiem si illinatur exiccat & B purgat. Cutem nitidam efficit. Membra naturali calore fouet, ac præternaturalem ex ijsdem extrahit.

## TARTARVM.



TArtarum uocant Barbari adhærentem in uasis uinarijs exiccatis lapideam materiem, Germanis dicitur **Weinsteyn**/ quasi calculi uinarij. Optimum censetur, quod ex ueteri uino & forti concretum est. Abraditur ex uasis uinarijs siccatis, in quibus uinum multo tempore fuit.

VIRES.

Calidum fertur & siccum in gradu quarto.

Vires eius sunt purgare, consumere, & laxare. Miscetur unguentis contra lepram & impetigines, hunc in modum: Tartarum in cyatho uini noctem unam maceratur, hinc oleo nucum admixto apud ignem excoquitur. Cum Mastiche æquali portione ex Diapenidio uel alio eclegmate sumptum tartarum graciles, & macilentos efficit. Immunditiem capitis purgat & abstergit.

Oleum ex Tartaro conficitur, quod ad faciem tergendam & erugandam ualet. *Oleum Tartari.*

Confectio

Confectio docetur talis: Recipe Tartari puri libras iiij, inijciantur in Collam, & in fornace cum lateribus aut tegulis, aut fictilibus uratur, donec Tartarum omnis incandescat. Hinc in laneum saccum in cella suspendatur, & destillabit ex eo clarus humor.

## GLVTINVM.

*Colla. Xylocolla.*

GLutinum seu Gluten, Græcis κόλλα, Germa. **Leim**: nomen habet à glutinando, quòd ligna eo glutinentur. Vnde Græcis etiam Xylocolla, hoc est, lignorum gluten appellatur. Fit illud hodie præstantissimum ex taurorum auribus & genitalibus, uulgò notum, & simpliciter **Leim** dictum. Adulteratur tamen inueteratis pellibus simul decoctis.

*Gluten auium.*

Sunt præterea uariæ glutinis species: Nam & gluten est auium, quod ex Viſco fit, & Viscum dicitur, de quo in Viſco inter plantas est dictum.

*Gluten piscium. Ichthyocolla.*

Est insuper Gluten piscium, Dioscoridi Ichthyocolla dictum, quo ad congelanda iura piscium utuntur. German. **Hauſenblaſen**/quòd ex piscis illius, quem Husonem uocant, aluo fit desumpta membrana. Ex iisdem quoq; piscium membranis flauum & translucidum glutinum excoquitur, quod **Mundtleim**/& **Fiſchleim** uocant, quòd eo in ore madefacto chartæ aptissimè glutinentur.

Sunt & aliæ glutinis plures species pro metallis glutinandis. Nam aliud est gluten auri, aliud argenti, aliud æris, aliud ferri, aliud stanni, aliud plumbi, aliud marmoris.

Librarium quoq; Glutinum est, quod ex simila fit & polline.

Est & gummi arboris in Perside, quod Sarcocolla, hoc est, carnis glutinum appellatur, de quo speciatim est actum.

DE

# DE RATIONE ELICIENDI SVCCOS E PLANTIS, QVAM artem deſtillatoriam uocant.

QVONIAM frequens, imò creberrimus, hodie liquorum ſtillatitiorum, quos tamen ueteribus incognitos fuiſſe conſtat, eſt uſus, adeò ut nulla ferè abſq; horum commixtione fiat cõfectio, aut compoſitio, nec ulla ferè ſit plãta, ex qua per ignẽ ſuccus nõ eliciatur, uiſum nobis eſt, non abs re fore ſi in quorundã gratiam de ijſdem aliquid præmitteretur, ut ſatisfieret etiam hoc pacto eorũ deſiderio, qui in Latina lingua huius rei cognitionem cuperent. Proinde quæ uulgato ſermone circumuagãtur, in Latium ſermonem obiter conuertimus. Ea ſunt eiuſmodi.

## BREVIS ET COMPENDIOSA INſtructio Artis eliciendi ſuccos & liquores è plantis, quam deſtillationem nominant.

ARtem deſtillatoriam inuentum eſſe recens, ueterum Græcorum tẽporibus incognitũ, ſatis ex eorum ſcriptis liquet. Introducta uerò potiſsimùm fuit Actuarij temporibus, qui frequẽter in medicamentorũ
B compoſitione eiuſmodi ſtillatitio liquore utitur. Atq; de utilitate huiuſmodi aquarum multa dicere in præſenti neceſſe haudquaquam uidetur, Cùm omnibus paſàm ſit quanta ſit earum cõmoditas, dum uel linteolis in ea madefactis, inflammationibus, externisq; doloribus corporis mitigandis, nõ exiguo leuamine applicantur, uel penna illinuntur, catapotiorum ſerapiorumq; mixturæ adduntur, nonnullæ etiam per ſe bibuntur. Præter has uerò utilitates eorum potiſsimùm gratia inuenta uidetur, qui uel egeni ſunt, uel longius à Pharmacopolijs abſunt, ut horum quoq; cõmodo aliquo modo cõſuleretur. Nec exiguas etiam uires his liquoribus ineſſe, ipſa ratio & experientia ſatis commonſtrant. Ac licet ueteribus in nullo uſu fuerint, nõ tamẽ hinc ſequit propterea eſſe inutiles. Et multa eñ alia ueteribus incognita hodie habẽtur: rurſus ueteribus nota, nobis ignorãtur. Quod ergò ad inuentum ipſum attinet, ex naturaliũ rerũ imitatione eſt deſumptũ, Solis nimirum, qui uapores ex terra in aëris mediã regionem euehit, ac inibi condenſat, inq; pluuiã, niuem uel grãdinem diſſipatos, rurſus ad inferna defert. Deinde ex quadam ſimilitudine uaporum, & exhalationum, in homine, ui caloris interni ad caput & cerebrũ aſcendentium, ubi ex accedente frigore in pituitam tranſmutantur, ac inde per nares & palatum demiſſa, catarrho, tuſsi, ructu, & purgationibus eñciuntur: Simile quid in rebus artificialibus poſſe fieri cogitarũt, plantasq; ac radices, è quibus humorẽ excipere cupiébant, in magnũ aliquod fictile, cuius ima pars ſphericã amplã haberet figurã, impoſerũt.

Vi itaque caloris ex igne ſuppoſito incaleſcens humor, in ſuperna exhalat: Vnde ſecundum proportionem mediæ aëriæ regionis, frigidum in ſummo deſtinarũt locum, in quo, haud ſecus atq; in capite humano, uapores à frigore congelati in aquam reſoluuntur, excipiunturq;: uelut appoſita figura commonſtrat. C

## VARII MODI, ARTIFICIOſas & uſitatas deſtillatorias fornaces apparandi.

STillationum modi ſunt uarij, nos præcipuos ac uſitatiſsimos hic ſubnectemus. Floccis de panno abraſis, & ſimo equino, pinguẽ primùm argillã ſubigito, hinc crudos, probè tamen ſole arefactos lateres (quãdo quidem coctis tractabiliores ſunt, & ad quamcunq; formã ferro incindi poſſunt, cumq; argilla in igne ſimul coquũtur) ſumito, ac ſecundum ſubſcriptum modũ agito. Eſt aũt ſphærica, præſertim intrinſecus, optima et aptiſsima diſtillatoriæ fornacis forma, ea itaq; ad quantitatem aheni, cuius rotunda, & in ſummitate lata nonnihil erit figura, determinabitur: ut ligneũ operculum, cui foramen pro inſerenda galea eſt inciſum, commodè aptari queat: uelut litera, A. ſignatum hic cernis. B. litera aheni altitudinẽ indicat C. uerò quantum aquę debeat infundi. Hæc autẽ forma unitantùm galeę cõuenit. Sin pluribus galeis aut uitris una uice uti libeat, plana ſit baſis, iuxta ſubiectum typum, oportet. Ahena uerò de bonæ terra, qualis eſt ex qua argentariorũ




D

finguntur lebetes, cõfici debent, ſale, & tuſis lebetum argẽtariorum teſtis, mixta.



## DE OPERCVLO, & Craticula.

OPerculum quoq; quàm fieri poteſt incidetur commodiſſimè, pro ſingulis galeis ſingulis rotũdis exactè inciſis foraminibus,

Aminibus. Craticula cui ignis imponitur, nõ erit eiusdem cum fornacis rotunditate magnitudinis, ut quorundã habet traditio, siquidẽ nimius inde calor prouenit, multumq; arborum absumitur. Inferior basis cui incũbit craticula, literis A. B. signata, ex eadẽ fictili materia, ut de aheno modò dictũ est, cõficiet. Licebit quoq; ferreæ craticulæ loco, foraminolẽta fictili basi uti, ut in adiectis typis cernis.




## DE AHENIS DISTILLATORIJS & Sacellis.

FInguntur etiã ex eadem materia ahena ad usum aquæ, cineris, & arenæ. Ad usum aquæ pertinentia cannã, ut figura A. indicat, habent, ac uulgò Balneum Mariæ uocant. Altera figura litera B. signata, Sacellũ dicitur, non tantę altitudinis, ac lata in summo, ad cõmodiorem usum, circumferentia. Ambas tamen formas ex cupro apparare nihil impedit.

## DE INFVMIBVLIS.

INfumibula quoq; ex eadem materia restinguendo augendóue calori, torno apparata, fornaci imponuntur, singulis ad occludendum uel relaxandum, epistomiolis adiectis.



### FORNACIS FORMATIO IN aheni impositione.

IN craticulę & aheni impositione, nõ eandem retinebit fornax in imo intrinsecus quãtitatem, quæ in superiore est parte circa ahenum. Verùm à craticula parietes uersus, latera ita educentur, ut interior pars quò uicinior aheno fuerit, hòc ampliorem habeat rotunditatem, circa craticulam autem sit dẽsior, ad inuersi fornicis figuram, uelut adiecta demonstrat adumbratio.

## MODVS APPARANDI LAPIDES ad fornacem distillatoriam.

FOrnacis quantitatem secundum aheni proportionem in tabula primùm describe, ut sequens exhibet figura, quo facto, eiusdem pro tuo arbitrio densitatem circino similiter circumducas. Quò tamen densior circumferentia seu latera fuerint, hòc plus caloris fouent, hanc postea circumferentiã in partes æquales diuide, earumq; unã seorsim in tabula pro lapidũ forma describe. Lapides uerò crudos in humidum prius locum, uelut in cellam, ut ferro tractari melius possint, recondes. Foramina quoq; ad aërem recipiendum, cui supradicta infumibula restinguendo inflammãdóue igni imponãtur, per quæ etiam fumus commodius exhalare queat, in summo relinquenda erunt, uelut A. litera commonstrat.






Sub craticula item, ad mediũ spacij, quod est à craticula ad ahenum, quantitatem, rotunda in lateribus insculpes foramina, singulis quàm poteris exactissimè fictilibus additis epistomiolis, quæ si calor extiterit uehementior, pyragra uel eximi, uel inseri, ut calor feruet mediocris, cinisq; simul expurgetur, poterunt.

## QVOMODO FORNAX erigenda.

Atq; lapides hos ita adaptabis, ne iunctu ræ conueniant, sed inæquales fiant, sic enim firmior erit constructio, ad appositæ huius figuræ præscriptum.

## ALIVD GENVS CLIBANI DISTILLATORIJ, der Faulheynz hoc est, piger Hendrichus, à stillatoribus dictum, in cuius medio fictilis, siue ferrea aut cuprea canna, igni recipiendo collocatur, quatuor galeis cõueniens.

In

A Epistomiolum, quo intumibula occludũtur.



In cannam hanc, quæ in medio clibani est posita, prunæ inserte, ac operculo contectæ, per foramina quibus aër recipitur, perq; inferiorem incenduntur ianuam, integramq; absq; omni periculo noctem, operationem uiresq; suas exercent. Singulis etiam ahenis cannas admouebis, quibus repleri, & si ebulliant depleri queant. Eadem hac fornace ad aquam, cinerem uel arenam uti licet. Cannã quoq; cui ignis imponitur, in extremas fornacis partes, aut ad latus extrinsecus, pro loci ac spacij ratione, collocare nihil obest.



B

## DE BALNEO Mariæ in dolio apparando.

CAnnam prunis recipiendis apparatam dolio cõuenienter includito, eiq; operculum adaptato, sicut apposita hæc declarat figura. Vtilissimum est hoc genus, ac minus carbonum absumit.

## MODVS VVLGARES DESTILLATORIOS clibanos, quos Germani Rosenhůt/ quasi dicas Latinè, Rosaceos pileos, uocant, per aquam, harenam, siue cineres conficiendi.

PRo harena siue cinere fictilibus utere uasis, pro aqua uerò cupreis, quæ dupla erũt, & ita compacta, ut unicum esse uas reputetur, iuxta appositam hic formam.

A. interiorem sacelli partem denotat, cui minutim sciſſæ herbæ imponuntur. B. est plicatura cui galea

additur. C. est sacelli profunditas. D. uas inferius pro cinere siue ha G
rena (uel si cupreum fuerit, aqua infunditur) cui arundo est inserta. E.
locus ex quo aqua dum ebullit effluit. F. minor arundo, quam sursum
uel deorsum uertere licebit. His uasis galeas, quales subiectæ figuræ de-
mõstrant, impones. Rotũdæ aũt galeæ acuminatis sunt meliores, plusq;
aquarum proferunt.



SEQVITVR FORMA CLIBANORVM, QVI-
bus pro galeis his, una pluribusue
utimur.

D



MODVS GEMINAM AQVAM
uno igne unaq; galea di-
stillandi.

ALtam acuminatamq; conficito galeam, eamq; in medio, ut subtiliores spiritus ad partem superiorem ascendentes ibidem resoluantur, & excipiantur, perq; peculiare foramen in uitrum effluant, interstinguito. Hæc aqua maiorum est uirium, & subtilior quàm quæ per rostrum inferius colligitur, iuxta adscriptã formam.

DE

# DE INSTRVMENTIS, QVORVM VSVS in distillatione requiritur: & principiò de uitris propositionis.

VItrorum propositionis optimum illud genus est, quod humores ex galea distillatoria in medio per arundinem excipit, in summo uerò integrum, ne spiritus calidi exhalare queant, iuxta adscriptam formam.

## REFRIGERIA AD DISTILlationem.

NOnnulli uitra hæc in aquam refrigerij causa collocant: quæ tamen refrigeratio alio quoq; modo fieri potest: si nimirum cupreum uas ad formam aduſtoriæ galeæ, siue, ut uocãt, alembici, figura B. hic signatum, accipiatur, huicq; aliud rursus rotundum operculum, quale A. litera monstrat, priorem galeam non contingens, cui frigida infunditur aqua, superinducatur. Alembici item collum arundo operculi, C. refrigerat. Quòd si aqua huic operculo seu uittæ infusa caluerit, per epistomium D. emittitur, ac recens denuò infunditur: Vel extractorijs etiam, qualia hic uides, instrumentis, ad hoc ipsum uti licebit, quæ breuiore parte in operculum immissa, omnem aquam extrahũt, qua extracta frigida suppleri poterit.

## ALII MODI REFRIGERANDI.

Alij bouis uesicã galeæ siue Alembico superinducũt, eam probè circunligantes, quã circa Alembici collum aqua replent, eamq; si caluerit per epistomiũ euacuant. Vide appositam hic figuram. Hæc refrigeria plurimũ prosunt, si pura & tenera simplicia, uelut flores, herbę, radices, fructusq;, aqua uitæ, & separatio quintæ essentiæ, separentur & subducantur.

# DE SERPENTINIS.

SImiliter in aduſto uino spiritus, qui ex nimio calore, & ipsorum etiam spirituum inflãmatione generantur, subduci debent, cui usui uini aduſtores ex cupro cõfectas arundines, à curuitate serpẽtinas dictas, habẽt, quas aqueis uasis pro refrigerio secundum subiectum typum inserunt.

D

## DE DVPLICATIS SERPENtinis, quæ ſpiritus ad ſupremam partem pellunt.

Atq;





Atq; huic operationi hoc fornacis genus est conuenientissimum.

ALIVD

C

## ALIVD REFRIGERANDI GENVS per Serpentinas.

Iuxta ſequentem adnotatam formam Itali ſerpentinis utuntur, tripodi diſtillatorium ahenum ſolùm imponentes.



## ALIVD GENVS DISTILLATORIAE FORnacis, cum fictili galea & cupreo refrigeratorio aheno, quod eſt uſitatiſsimum, lignoq; calefieri poteſt.

D



VVLGARIS

VVLGARIS MODVS, QVO VINI ADVSTORES VI-
ni ſpiritus refrigerant. Verùm hæc refrigeratio, quæ ſimpli-
citer per rectas duas fit arundines, eſt debilior quàm
ut poſsit ingentibus ipſorum ahenis
ſufficere.

MODVS QVOMODO PER RADIORVM SO-
larium calorem uarij flores in aquam, ut eorum
odorem qualitatemq; retineat, ſint
reſoluendi.

CAuum ignitum ſpeculum ſolis ſplendori obuerte, uitrum cui mate-
ria ineſt, inter Solis radios, & ſpeculum colloca, ita ut radij ſolares à
ſpeculo ad uitrum, ſecundum adiectam figuram, ſe reuerberent.



ALIVD VTILISSIMVM INSTRVMENTVM,
quo artificioſiſsimæ diſtillationes, modico calo
re, exhalatione duntaxat, & uapore
aquæ calidæ, fieri poſſunt.

Vas

VAs ligneum cum basi, in cuius medio rotundum sit foramen, ut distillatoria galea inseri queat: alia item circum foramina, per quæ calentis aquæ uapores exhalent, conficito. In summitate quoq; dolij, galeæ collum operculo circundato, ac circumcirca pannis custodito. Lateralis arundo, C, litera signata, ebullientem aquam, ut literæ A.B. ostendũt, ne fornax lædatur, demit, huic inserta alia est parua arundo, quam litera D. ostendit, quæ sursum debet erecta esse, per quam plus aquæ aheno infunditur, ut subiecta figura commonstrat.






D

## ALIVD ARTIFICIOSVM DISTILLATIONIS genus, absq; igne.



GLobum ex ære siue cupro, interiore parte concauum, siue integrum, cum foramine tamen paruo, ut calefaciens materia imponi queat, siue in medio diuisum, ut coniũgi queat, conficito: hunc globum in uasis aquam continentis fundum imponi, operculo cum foramine in summitate uasis & circa galeam, ut antea indicatũ est, imposito. Velut etiam adiecta figura explicat.

ALIA

## ALIA GLOBORVM ABSQVE IGNE calefacientium apparatio, ex Gualtero Riuio.

REcipe partem unam calcis non extinctæ, dimidiam partem sulphuris, quadrantem nitri, puri aluminis partem octauam, contunde singula, & in prędictum globum mixta inserito, atq; ita obfirmato, ut neq; aër, neq; aqua penetrare ualeant. Hoc globo magna uasa calefieri possunt, estq; genus quoddam naturalium balneorum.

Globo quoq; hoc ad multas galeas, si in medium, secundum præscriptam formam, collocetur, uti licebit.



## VVLGATA DISTILLATORIA INSTRVMENTA, quibus hodie uini aduſtores, alijq; utuntur, in ſuperna parte habentia refrigerium, cum aqua frigida.

## ARTIFICIOSISSIMVM ADVSTORIAE FORnacis genus, in qua plures fortioresq; aquæ, quàm cum fictili aut plumbea galea, uri possunt, precioſiſsimæ item aquæ facillimo calore, ut balſamum, oleum terebinthinum, oleum nucis myriſticæ, iuniperorum, aqua uitæ, idq; genus alia, diſtillari. D



AD fornacis huius confectionẽ crux ferrea quatuor complectens latera, ſupra craticulam, cum aſcendente, ut adnotata figura oſtẽdit, cochlea, collocatur. Hęc cochlea uas fictile cum ſuperinducta matricula, probè obfirmata, ut aquam continere poſsit, tranſit. Appoſitum deinde hic inſtrumentum, in quo uitrum continetur, in uas fictile collocatur. Eſt autem confectum inſtrumentum iſtud ex ſubtili ferro, ſiue laminis cupri, cum matricula in inferiori parte, cui cochlea inſeritur: in medio, ut uides, circulus eſt circundatus ligneus, in ſuperiore uerò parte, funiculo laminæ circa os uitri, ut firmum & immotum uitrum conſiſtat, colligantur, ut adiecta figura oſtendit.



Hoc

Hoc facto operculum, in cuius medio foramen, ut galea inseri possit, est insciſſum, imponito. Vitrum autem per cochleam, uel demittere, uel altius eleuare, donec foramini operculi aptè inseratur, poteris. Hinc molli caseo & uiua calce operculum obline, & apparatam secundum adscriptam formam habebis fornacem.

Quòd si operculum, per quod alembicũ transit, formam quoq; galeæ, ad typum appositæ figuræ, cum rostro uidelicet, habuerit, geminas simul aquas absq; ullo impedimẽto, in fictili uidelicet & galea distillare licebit.

SEQVITVR DISTILLA-
toria fornax, in qua uno igne
B 32. galeis uti poteris, uariasq; herbas di
stillare.

ALIVD GENVS TESTV-
dini simile, in quo circumcirca uiginti galeis uti poteris, omnibus, duabus tantùm inferioribus dem ptis, iustum calorem habentibus, atq; herbas uino æretóue madefactas distillare.



VSITATISSIMA FOR-
nax cum galeis quatuor, in cuius medium fictile inseri poterit, pro harena capienda, in quod pellican aliáue circulatio imponi poterit.

SEQVENS FORMA AD C
parietem, siue murum collocari poterit, multa passim habēs foramina, quæ si fornax purgāda sit, aperiri queant.



## SEQVVNTVR VARIA ET VSITATISSIMA Balnea Mariæ.

Cucurbita. Galea. D

VItrum ad medietatem aqua repletum cum uitrea galea, uelut adscriptæ ostendunt figuræ, in Balneum Mariæ colloca.

Eadem hæc instrumenta ex stanno parari possunt, suntq; multo commodiora, siquidem uitrum uel ex calore, uel ex frigore nimio facilè frangitur. Siue etiam ex cupro tenui stanno obducto.

In nonnullis fornacibus craticula est octo, siue nouem transuersis ferris, ut cinis commodius decidat, hæc autem craticula secundum proportionem fornacis, ut ipsius rotunditati & amplitudini quàm aptissimè conueniat, conficietur.

Insuper cuprea adhibentur ahena, paris & profunditatis, & latitudinis (quamuis commodum fuerit profunditatem nonnihil maiorem esse latitudine) cum arundine in summo, per quam feruens aqua citra fornacis læsionem effluat.

Cupreum istud ahenum fornaci inseritur, ita ut spitamæ longitudine ab craticula inferiore absit.

Huic

A Huic itaq; aheno uitra distillanda, siue stanneæ cupreæue cucurbitæ imponũtur, atq; hic opus erit, ut plumbeos circulos cum panno circumponas, ne ex aquæ commotione cucurbitæ assurgant. Hinc duo dimidiata opercula, quæ in medio excisa circa cucurbitam seu uitrum coëant, circulis impones, ut calor diutius & commodius permaneat. Cucurbitæ postremò uitreã galeam (ea enim optima est) impones, probè ubiq; linteolis, ne ulli uapores exhalare possint, custoditam, eiq; uitrum purũ, in quod distillans aqua influat, præpones: diciturq; hoc fornacis genus Balneum Mariæ.

## ALIVS MODVS DESTILLATIONIS.

B

SVnt insuper noua adhuc prædictis faciliora fornacum genera, ex cupro tota confecta, quibus duæ uel tres uitreæ aut stanneę cucurbitæ imponi possunt, atq; paratæ sunt istę fornaces triangularis siue quadrãgularis aheni ad formam, tribus, quatuõrue ferreis pedibus, Per medium aheni utriculus seu arundo cuprea transit, in imo ferrea est & augusta, angulisq; acutis craticula, per quam cinis decidit, in summo carbones inijciuntur, duo siue tria imposita mutuò, cum foraminibus pro aëre incisis, quorum alterum altero est maius, ut ignis per ea regatur, habens opercula.

Stantibus iam cucurbitis in aheno integrum plumbeum, siue cupreũ operculum, quod cucurbitas ut immobiles consistant includat, imponitur: foramẽ quoq; aliud inerit huic operculo, per quod aqua, si opus sit, cum infundibulo infundi possit. In latere aheni, sicut in præcedentibus quoq; est dictum, arundo, per quam ebulliens effluat aqua, infigetur.

Balneum Mariæ in aheno triangulari, pro tribus cucurbitis.



Balneum pro duabus.



Balneum Mariæ pro quatuor cucurbitis.

Vulgares fornaces, quas Germani Rosaceos pileos uocant, nonnullæ ex terra adusta conficiuntur, aq; figulo uitreo colore inducuntur, genus uilissimum minimoq; constans, quod hinc inde transferri potest. Verùm herbæ odoriferę facilè odorem, & uires suas amittunt, aut igneum odorē assumūt. Forma autem sunt qualem hic appositam cernis. G

## ALIVS MODVS.

NOnnullæ uerò ex coctis lapidibus pingui argilla compactis construuntur. Principiò focum in quem cinis per craticulam decidat, unà cum foramine pro purgando cinere conficies. Craticula uerò altitudine dimidiæ spitamæ à foco distabit. Iuxta craticulam, nonnihil tamen altius, foramen per quod carbones decidant, in summo amplum, in imo angustum, ne simul accensi carbones immodicum calorem præbeant, relinques. Vltra istud foramen tribus digitis altius rotundam, cupream, stanno obductam sartaginem, quæ trium digitorum profunditatem teneat, inseres, cui stannea imposita galea ex omni parte quàm exactissimè conueniat. Vas tamen istud cupreum in aliud fictile uel ferreum uas cum cinere aut arena, ad uitandum subitum & immodicum calorem, quo aquæ debilitantur, & igneum odorem assumunt, imponere licebit. D

## VILISSIMVS MODVS AQVAS ADVRENDI, pro quouis patrefamiliàs.

MAgnam fictilem ollam probè incrustatam sumito, pannumq; eius orificio intendito circumligatoq;, huic postea cōcisas herbas imponito, herbis inde siue floribus sartaginem cum carbonibus, quæ ollæ extremitates ubiq; contingat, imponito, forti prius papyro subiecta, siue panniculo margini circumpositō, ut minus uaporum exhalet, quo facto humor ex floribus ui superioris caloris in inferna per pannum distillat. Ollam tamen in frigidum locum, aut in aquam collocabis, uel, ollæ basi perforata uitrum in quod aqua influat, suppones, ut ex appositā satis figura liquet.

## DE INSTRVMENTIS DISTILLATIONI conuenientibus.

Instrumenta

INstrumenta quorum usus ad distillationem requiritur, ex uaria materia, uelut ex uitro, terra, metallisue cõficiuntur. Vitrea tamen reliquis omnibus prestant, ac proinde sunt cautè tractanda, solentq; crasso, non raso panno, ad commodiorem usum obduci, ita ut post distillationem detrahi possit, instrumentaq; purgari.

Nonnulli si ijs uti uelint, luto sapientiæ, quod ex argilla, luto, fimo equino, sale, aliaq; materia conficitur, illinunt.

Eadem instrumenta ex optima, prout in unaquaq; regione haberi potest, terra finguntur.

Ex metallis, uelut ex ære, stanno, plumbo, cupro, uel orychalco parata durabiliora quidem sunt, singula tamen pro metalli natura peculiarẽ impuritatem inducunt.

## SEQVVNTVR VARIA VITRORVM ET INstrumentorum, quę distillationi, putrefactioni, circulationi, resolutioni, digestioniq; adhibentur, genera.






D

Proximè præcedẽtia tria uasa circulationi, digestioni putrefactioniq; potissimũ adhibẽtur. Quia uerò integra arctaq; sunt, ut nihil nisi liquidũ inseri possit, uitro signato litera A, quod Alembicum cęcum dicitur, pro herbis utere.

Sequentibus



A Sequentibus uerò ſignatis uitris in diſtillatione in ſimo equino uteris, quæ penitus ſimo, ut ſuperior tantùm cānæ pars appareat, infodere licebit: uel ſi breuiora uitra fuerint, torno adaptātū lignum ijs impones.




## QVIBVS INSTRVMENTIS COLLVM VItrorum eiuſmodi, ſi quando opus ſit, demi poſsit.

LApillo quo uitrearij utuntur, in ſtylum incluſo, circumferentiam in collo uitri, quo loco demere cupis, circūducito, triangulare poſtea ſiue quadrangulare, ſecundum adſcriptam formam, inſtrumē

tum, quo ferruminare uitra poſsis, conficito, eoq; candente uitri ſignatū locum, donec bene incaleat atterito, madefactoq; poſtea digito aquæ guttam unam atq; alteram inſtillato, quo facto uitrum circa ſignatum locum diſsiliet, inſtrumentum poſtea, de quo iam dictum eſt, circūducens, quouſq; uoles demito.

Nonnulli alijs inſtrumentis, quorum



hic formam cernis, utuntur, igni ea calefacientes, poſtea uitrum circumquaq; atterentes.

OPTI

## OPTIMVM ET PRAESTANTISSIMUM cucurbitarum genus.




## QVO PACTO VITRVM CONGLVTInari debeat.

PRædicta uitra, siue alia etiam, obfirmare cupiens, ne ulli uapores aut spiritus exhalare queant, ut ex omni parte uideātur esse integra, formaculā habebis, in cuius imo sit craticula, cum foramine in latere, cui uitri collum inseres, in summum autem fornacis forcipem fortem & latam impones, calefactumq; uitri collum forcipe candente fortiter comprimes: sudans tum ex calore uitrum ita in summo unietur, ut integrum ibi esse, siue in uitrearia officina unitum, uideatur.

Alij in Officinis uitrearijs epistomiola siue opercula, quorum appositā hic formam cernis, confici curant, eaq; lapideo bitumine uitris illinunt.

ALIAE

## ALIAE VITRORVM FORMAE, AD CIRCVLATIONEM pro aſcendentibus deſcendentibuſq; ſpiritibus, per quæ craſſa materia purgatur conſumiturq;.









Retorta hęc duo uitra ſi probè uniantur, circulationis operationiſq; contrariæ ſatis ſuperq; præbent.

SEQVEN.

## SEQVENTIA VITRA IN OFFICINIS VITREA.

riorum ex duabus partibus unita, usitatissima sunt, possuntq; decidentes in ijs guttæ conspici.

C



D

CVcurbitam sumere poteris, eamq; eatenus demere, donec aliud insecrere uitrum possis, atq; si Officina uitreria in promptu non sit, argilla ad hoc peculiariter parata oblines, Similiter & arundinem, quæ in summo uel in latere fuerit, probè obfirmabis.

Lacuna quam in proximo uitro circa combinationem in medio cernis, hac est de causa, ut aqua quæ alioqui circa circumferentiam istã continere se posset, penitus defluat.

In distillatione porrò ad medietatem tantùm cum aqua quam distillaturus es, replentur, ut lineæ per medium ductæ monstrant.

## DE ADVSTARVM AQVARVM RECTI.

ficatione, conseruationeq;.

POstquam adustæ aquæ fuerint, opus quoq; est ut rectificentur, num igneum saporem, uel phlegmaticam superfluitatem, qualis plerunq; omnibus est humidis frigidisq; herbis, uel ijs quæ in cella aliquandiu asseruatæ sunt, aut nubilo cœlo collectæ, habeant. Hæc autem rectificatio per Solis radios fieri potest, ita ut distillatæ aquæ in uitrum ad mediam partem impleantur, postea probè corio obfirmatum uitrum, tertia parte in harenam, ad 40. dierum, aut etiam ultra, spacium collocetur. Sic aquæ per calorem harenæ Solisq; à phlegmaticis superfluitatibus, quæ separari debent, atq; in uitrum recens per panniculum colari, purgãtur.

Atq;

A Atq; sic temperata aquarum complexio diutius incorrupta asseruari ualet.

## VBI SINGVLIS ANNI TEMPORIBVS CVstodiri aquæ debeant.

RE ctificatæ aquæ æstate in locum mediocriter frigidum, hyeme, ne frigore pereant, in cellam sunt reponendę. In hypocaustis enim cale factis stantes, ruborem assumunt, fiunt turbulentę, mollescunt, uitiantur sapore, uiresq;, ut nulli usui esse possint, amittunt. Locus igitur opportunus, & tẽperatus, qui neq; nimiũ calidus, neq; humidus sit, est eligendus.

Aquæ quæ frigidæ & humidæ complexionis ac naturæ fuerint, post anni tempus effundi debent. Siccæ uerò & calidæ naturæ biennium uel triennium, non tamen ultra, uires suas integras retinere possunt. Quæ tamẽ diutius odorem bonum, cuiusmodi sunt: Pulegium, Maiorana, idq; genus aliæ, retinent, longiore etiam asseruari tempore poterunt.

Siccæ bene olentes herbæ, in uitris in Balneo Mariæ uri debent. Humidas uerò, pingues, & frigidas in uulgaribus fornacibus, siue in olla, ut suprà ostensum est, distillare licebit.

## QVO PACTO GRADVS, QVOrum passim fit mentio, sint intelligendi.

B GRadus qualitatum, ut naturalium rerum inquisitores tradunt, sunt quatuor, tam obscurarum, quàm manifestarum alterationum.

Primus enim gradus obscurè, alter parum, tertius sensibiliter, quartus palàm, & penè corruptibiliter, siue in cibo, siue in potu, siue in medicamentis fuerit, alterat.

Primi igitur gradus dicitur esse complexio, quando talis fit in gustu alteratio, ut uix animaduerti queat, qualis est amygdalorum dulcedo, ex qua calorem quidem aliquem sentis: uerùm quia gustum non penitus alterat, calida dicuntur esse in gradu primo.

Ad secundum uerò gradum referes ea, quæ aliquatenus, non tamẽ penitus gustum alterant, uelut est anethum uiride, apium.

Ad tertium, quæ in gustu manifestam alterationem habent, uelut cinnamomum, anisum, hyoscyamus.

Ad quartum gradum ea assignabis, quæ saporem & gustum penitus alterant, & quasi perturbare uidentur, ut sinapi, euphorbium. Mediocres cibi, potus & medicamẽta, parem calorem, frigus, siccitatem & humiditatem habent.

Calor primi gradus, duas habet partes caloris, unam uerò frigoris. Calor secundi gradus tres habet partes caloris, unam frigoris. Tertij gradus, quatuor caloris, unam frigoris. Quarti gradus, unam frigoris, quinq; caloris.

Exempli gratia. Libram unam aquæ sumito frigidæ, similiter unam calidæ, atq; misceto, hinc mediocris existet calor. Si uerò alteram adhuc

libram addideris non amplius mediocris erit calor, sed calida in primo gradu. Aliam rursus si librã addas, sensibilem acquirit aqua calorem, dicituŕq; calida in gradu secundo. Aliam rursus admiscens libram calorem difficulter assumit tolerabilem, dicituŕq; calida in gradu tertio.

Rursus si addas libram, in tantum feruet, ut pati eam nequeas, & dicitur calida in gradu quarto.

Aliud. Par frigus & calor dicitur gradus primus. Vna pars frigidi & duæ calidi constituunt gradum secundum. Vna frigidi, & tres calidi, tertium. Quatuor partes calidi, & una frigidi gradum faciunt quartum.

## DE SPECIALI QVARVNDAM PLANTARUM, & aliarum rerum secundum gradus distinctione.

### Calfaciendo & refrigerando temperata.

*Adiantum, Cera, Cortex citri, Cadmia, Asparagus, Glycyrrhizæ succus, Faba, Myxa, Lycium, Pinei nuclei, Oleum dulce, Zizipha.*

### Calfacientia primo ordine.

*Aloë, Absinthium, Agaricum, Amygdala dulcia, Althæa, Brassica, Buglossum, Beta, Castanea, Chamæmelum, Eupatorium, Flores populi nigræ, Cassutha, Semen lini, Ladanum, Malobathrum, Nuces uirides, Oryza, Saccharum, Serum lactis, Sesamũ, Spica nardi, Vuæ maturæ, Vinum nouum seu mustum, Lithospermum.*

### Calfacientia secundo ordine.

*Anethum uiride, Apium, Artemisia, Ambarum, Balsamum, Calamus odoratus, Capparis, Chamæpitys, Crocus, Eruum, Fœnum græcum, Peucedanum, Melissophyllon, Thus, Zadura uel Zedoaria, Galbanum, Intybum, Mastiche, Marrubium, Mel, Myrrhis, Myrrha, Nux moschata, Nuces siccæ, Ozimum, Pistacia, Pix arida, Ficus, Rapum, Vinum, Sal.*

### Calfacientia tertio ordine.

*Abrotonum, Ammi, Anacardium, Anethum, Aristolochia, Asarum, radix Acori, Anisum, Agnus, Arum, Amomum, Dictamnus, Careum, Cinnamomum, Chamædrys, Cartamus, Conyza, Cuminum, Casia, Calamintha, Elleborus uterq;, Carnabadium, Carpesium, Galanga, Caryophyllon, Epithymum, Fœniculum, Iuniperus, Helenium, Hyssopum, Mentha, Mentastrũ, Moschus, Nigella, Origanum, Opopanax, Petroselinum, Piper, Ptarmice, Pulegum, Raphanus, Ruta hortensis, Sampsychum, Sabina, Sisymbrium, Trifolium, Vinum uetus.*

### Calfacientia quarto ordine.

*Allium, Cepa, Costus, Euphorbium, Lepidium, Tithymali, Nasturtium, Pyrethrum, Ruta syluestris, Sinapi, Struthion.*

### Refrigerantia primo ordine.

*Atriplex, Acini uuæ, Gramen, Hordeum, Pruna, Malua, Milium, Myrtus, Pyra, Rosa, Viola, Oxyphœnica, Citrei caro, Cotonea.*

### Refrigerantia secundo ordine.

*Acacia, Blitum, Cucurbita, Cucumis, Damascena pruna, Galla, Lactuca, Lens palustris, Rhu obsonio rum, Intybum, Hyacinthus, Mala granata, Oxyphœnicum, Pepon, Persica, Plantago, Polygonum, Psyllium, Solanum hortense.*

### Refrigerantia tertio ordine.

*Caphura, Portulaca, Santala, Mandragora, Semperuiuum. Hyoscyamus.*

### Refrigerantia quarto ordine.

*Cicuta, Papauer, Opium.*

### Humectantia primo ordine.

*Buglossum, Glycyrrhiza, Citrei caro, Intybum, Malua, Rapum, Saccharum, Satyrium, Sesamum, Helxine.*

### Humectantia secundo ordine.

*Atriplex, Cucurbita, Pruna Damascena, Lactuca, Lens palustris, Melones, Oxyphœnicum, Blitum, Portulaca, Persica, Pepon, Violæ, Vua matura.*

### Siccantia primo ordine.

*Brassica, Chamæmelum, Castanea, Crocus, Fœniculum, Hyacinthus, Hordeum, Fœnum græcum, Malobathrum, Myrtus, Thus.*

### Siccantia secundo ordine.

*Artemisia, Anethum uiride, Balaustia, Bursa pastoris, Capparis, Cotonea, Cassutha, Balsamum, Calamus odoratus, Galbanum, Intybum, Mel, Eruum, Raphanus, Pix arida, Plantago, Gingidium, Lentes, Myrrha, Mastiche, Mentha, Mentastrum, Milium, Nux moschata, Oryza, Opopanax, Pistacia, Pyra, Santala, Spica nardi, Rosmarinus.*

### Siccantia tertio ordine.

*Abrotonum ustum, Anethum ustum, Apium, Asarum, Acacia, Aloë, Ammi, Anisum, Absinthium, Acetum, Acorus, Careum, Calamintha, Carnabadium, Cinnamomum, Cuminum, Coriandrum, Caphura, Peucedanum,*

A danum, Polium, Petroſelinum, Ptarmice, Rhu obſoniorum, Ruta hortenſis, Sanguis Draconis, Chamædrys, Chamæpitys, Elleborus, Epithymum, Galla, Garyophyllum, Hyſſopum, Iuniperus, Macer, Marrubium, Nigella, Moſchus, Milium, Origanum, Piper, Pentaphyllon, Sampſychum, Siſymbrium, Trifolium, Sal, Sabina.

Siccantia quarto ordine.

Allium, Naſturtium, Ruta ſylueſtris, Sinapi.

# DE PECVLIARIBVS medicamentis, ad ſpeciales corporis partes.

## Caput iuuantia.

AMbarum, Aſarum, Aniſum, Agallochum, Acetum, Betonica, Chamænelũ, Calamintha, Carpeſium, id eſt, Cubebæ, Caphura, Euphraſia, Fœniculum, Galanga, Lachumanum, Stœchas, Saluia, Seſeli, Serpyllum, Seſamum, Siſymbrium, Solanum ſatiuũ, Lauandula, Ladanum, Lauri folia, Lactuca, Macer, Melilotum, Moſchus, Mentha, Myrobalana Beletzica, Nigella, Nux moſchata, Nymphæa, Pæonia, Pulegium, Papauer erraticum, Satureia, Ruta, Roſa, Sampſuchum, Thus, Viola, Xylobalſamum.

## Thoracem iuuantia.

Acorus, Ammoniacum, Amygdalæ amaræ, Adiantum, Cinnamomum, Caricæ, Coſtus, Dracunculus, Ficus, Glycyrrhiza, Gummi Arabicum, Iũcus odoratus, Hyſſopum, Iuniperus, Iris, Inula ſeu Helenium, Hordeum, Semen lini, Marrubium, Myrrha, Myxa, Triticum, Viola, Vua paſſa, Naſturtium, Origanum, Pinea nux, Piper, Palmulæ, Penidia, Ruta, Papauer ſatiuũ, Scabioſa, Stichas, Scordium, Sagapenum, Tuſſilago, Tragacantha, Terebinthina, Thymus, Vrtica, Zizipha.

B

## Cor iuuantia.

Ambarum, Acetum, Bugloſſum, Crocus, Citrei cortex, & ſuccus, Cinnamomum, Caphura, Coriandrum, Corallia, Ebur, Garyophylli, Galãga, Hyacinthus gemma, Lemnia terra, Meliſſophyllon, Macer, Moſchus, Nux moſchata, Ozimum, Os de corde cerui, Roſmarinus, Roſa, Antiſpodium, Smaragdus, Succinum, Santala, Spica nardi, Styrax, Vniones, Vnguis odoratus, Viola, Xyloaloë, Zadura.

## Stomachum & uentriculum roborantia.

Aloë, Agallochum, Abſinthium, Amygdalæ dulces, Artemiſia, Aſter atticus, Aniſum, Cinnamomum, Cupreſſus, Cuminum, Calamus odoratus, Cardamomum, Carum, Cotonea, Cucumer, Caſſutha, Fœniculum, Galanga, Garyophyllon, Gentiana, Helenium, Iuniperus, Intybum, Iuglandes, Iuncus odoratus, Ligusticum, Lactuca, Macer, Mentha, Melilotus, Maſtiche, Malobathrum, Mala punica, Mala citrea, Melones, Meſpilũ, Nux moſchata, Nuclei pini, Nymphæa, Oxalis, Piper, Pulegium, Plantago, Portulaca, Pyra, Roſæ, Serpyllum, Santala, Smyrnion, Viola, Xyloaloës, Zingiber.

## Iecur firmantia.

Acorus, Abſinthium, Adiantum, Aſarum, Antiſpodium, Agallochum, Agaricum, Anagallis, Amomũ, Aniſum, Acetum, Betonica, Chamæmelum, Chamæpitys, Caſſutha, Cinnamomũ, Coſtus, Cucurbita, Cucumer, Gentiana, Glycyrrhiza, Intybũ, Lactuca, Nymphæa, Rhaponticum, Roſa, Oxyacantha, Portulaca, Fumaria, Iuncus odoratus, Radices 5. communes, Sem. 4. frig. Sem. 4. cal. Spica nardi, Serpyllum, Santala, Viola.

## Lienem iuuantia.

Acorus, Agaricum, Abſinthium, Aſplenum, Adiantum, Ariſtolochia rotunda, Aniſum, Aſparagus, Amygdalæ amaræ, Acetum, Betonica, Braſſica ſatiua, Daucus, Dictamnus, Capparis, Caſſutha, Calamintha, Carum, Cyclaminus, Chamædrys, Corallium, Cotonea, Epithymum, Filix, Fraxinus, Intybum, Iris, Lycium, Linum, Leucoion, Lupinum, Lupus ſalictarius, Lactuca, Hemionitis, Naſturtium, Nymphæa, Polium, Sagapenum, Peucedanum, Smyrnion, Santala, Sem. 4. cal. Tamarix, Radices 5. communes, Rubia tinctorũ, Vitex.

## Renes iuuantia.

Aſparagus, Amygdalæ amaræ, Anagallis, Agaricum, Betonica, Daucus, Glycyrrhiza, Cicer, Cinnamomum, Calamus odoratus, Eruca, Fœniculum, Iuncus odoratus, Intybum, Iuniperus, Lactuca, Lithoſpermon, Millefolium, Malua, Sem. 4. frig Vua paſſa, Nuclei pini, Petroſelinum, Plantago, Portulaca, Parietaria, Pimpinella, Rad. 5. communes, Ruta, Rhaponticum, Ruſcus, Saxifraga, Smyrnion, Spica nardi, Seſeli, Tragacantha, Vrtica.

## Vterum firmantia.

Abrotonum, Artemiſia, Ammi, Acacia, Agaricum, Balſamum, Bdellium, Betonica, Geranion, Calamintha, Calamus odoratus, Cinnamomum, Coſtum, Cyperus, Iuncus odoratus, Peucedanum, Pulegium, Piper, Ruta, Rubia tinctorum, Ebulus, Fœnum græcum, Iuniperus, Iris, Iuglans, Linum, Lilium, Laurus, Laſerpitium, Myrrha, Menthaſtrum, Moſchus, Mentha, Nux moſchata, Opopanax, Sagapenum, Sabina, Saluia, Spica nardi.

## Artus iuuantia.

Acorum, Ammoniacum, Bolus Armenica, Chamæmelum, Caſtorium, Coſtum, Chamæpitys, Euforbium, Hypericum, Hermodactyli, Intybum, Lactuca, Melilotum, Myrrha, Myrti fructus, Solanum, Salicis folia, Sanguis Draconis, Stercus caprinum, Acetum, Naſturtium, Opopanax, Origanum, Polium, Pſyllium, Stacte, Saluia, Ruta, Roſmarinus, Stichas, Sagapenum, Scylla, Sinapi, Semperuiuum, Vitis folia, Zingiber.

# DE SECVNDIS MEDICAMENTORUM SIMPLICIUM FACULTATIBUS.

## Quæ adstringunt.

Aloë, Alumen, Amomum, Acacia, Absinthium, Agnus, Acetum, Aerugo, Agaricum. Balaustia, Bolus armenica, Bursa pastoria, Adeps taurinus, Vitulinus, & Caprinus, Arsenicum. Chalcanthum, Crocus, Castanea, Cyperus, Corallium, Brassica bis cocta, Chrysocolla, Cadmia, Carpesium, Crystallus, Cinnabaris, Cornus, Cotonea, Cupressus, Cortex thuris. Equisetum, Ebulus, Antispodium, Flos æris. Glans, Galla, Granum tinctorium, Gentiana, Gramen. Hypocisthis, Hedera, Helxine, Hieracium maius, Hæmatites. Intybum, Laurifolia, Lycium, Lysimachium, Luteū oui assum, Lapis hæmatites, Leporis coagulum, Lens, Lithargyrum, Ladanum. Melilotum, Myrrha, Myrthus, Mentha, Morus, Mespilus, Milium, Malicorium, Mala punica. Nuclei acinorum, Nux moschata. Oxalis, Oxyacantha, Oryza, Omphacium. Polygonum, Palmulæ, Pentaphyllum, Pili leporis, Pissasphaltum, Psyllium, Plantago, Portulaca, Pyra, Persica, Plumbum ustum. Quercui folia, Rosæ, Ruta, Rhus obsoniorum, Rhaponticum. Semperuiuum, Salix, Santala, Sal, Sanguis Draconis, Succinum, Spodium, Spongiæ. Thus, Terra lemnia, Tragacantha. Verbascum, Vitex, Vitis, Stercus asininum, Xyloaloë.

## Quæ discutiunt.

Abrotonum, Althæa, Anethum, Adiantum, Aristolochia, Atriplex, Asphodeli maris radix, Brassicæ folia, Bdellium, Butyrum, Bryoniæ radix, Capparis, Chamæmelum, Erui farina, Furfur, Fœnum græcum, Dauci semen, Galbanum, Hordei farina, Tritici, Lupinorum, Lini semen, Lacha, Ladanum, Lilij folia, Malua, Mentha, Mercurialis, Melilotum, Nigella, Nitrum. Pinguedo ouis, Pix sicca, Origanum, Piper, Resina omnis, Ruta, Stichas, Sesamum, Sampsychum, Styrax, Sulphur, Sagapenū, Terebinthina, Stercus omne. Gal. lib. 5. simp. cap. 13.

## Quæ extergunt & expurgant.

Amygdala, Anagallis, Aristolochia, Abrotonum, Arum, Asparagus, Asplenos, Asphodeli maris radix, Atriplex, Absinthium, Beta, Bulbus. Cornu ceruinum, Chamæpitys, Cortex capparis, Cassutha. Eruum. Faba, Elleborus uterq;, Fimus caprinus, Hordeum, Iris, Lupini, Lichen, Mel, Marrubium, Mastiche, Nitrū. Parietaria, Propolis, Phu. Staphis agria, Folia salicis, Sapo, Serum lactis, Scylla, Sagapenum, Tithymalus, Tragacātha, Terebinthina, Vitis alba, Vrticæ semen. Gal. lib. 5. simpl. cap. 11.

## Quæ ora uasorum aperiunt.

Allium, Cepa, Fel taurinum, Cyclaminus, Vnguentum irinum, & Amaracinum. Gal. lib. 5. simp. cap. 13.

## Quæ extenuant.

Artemisia, Amygdala dulcia, Cinnamomum, Chamæmelum, Hyssopus, Iris Illyrica, Iuniperus, Lacha, Lapis Hæmatites, Pulegum, Squama æris.

## Quæ euocant uel extrahunt.

Anagallis utraq;, Propolis, Aristolochia, Genista, Fermentum, Dictamnus, Galbanum, Pix, Porrum, Piper, Stercus omne, Scoria argenti, Thapsia, Viscum, Cyclaminus, Sulphur, Terebinthina, Oxyacanthæ radix. Gal. lib. 5. simpl. cap. 16.

## Quæ adurunt.

Allium, Aes ustum, Alumen, Auripigmentum, Cantharides, Cinis præsertim ficulnea, Calx uiua, Calcanthū, Chrysocolla, Pyrethrū, Sinapi. Ga. li. 5. sim. ca. 14.

## Quæ emolliunt.

Adipes omnes, Ammoniacum, Atriplex, Bdellium, Butyrū, Althææ radix, Cera, Cerussa, Colophonia, Fœnum græcū, Cinnamomum, Crocus, Cupressus, Galbanum, Linum, Ladanum, Laurus, Lilium, Lithargyrū, Malua, Nigella, Opopanax, Oesypus, Pix, Psyllium, Plumbum ustum, Resinæ omnes, Medulla ceruina, & uitulina, Styrax, Viscum. Gal. lib. 5. cap. 7.

## Quæ indurant.

Portulaca, Semperuiuum, Psyllium, Lenticula palustris, Solanum. Gal. lib. 5. cap. 9.

## Quæ suppurant.

Amomum, Althæa, Adeps porcinus, Vitulinus, Butyrum, Crocus, Cera, Fœnum græcum, Lolij farina, Bryoniæ radix, Capita liliorum alborum, Ladanum, Hordei farina, Lini semen, Mastiche, Oesypus, Farina triticea, Pix, Thus, Resina, Styrax, Ficus, Stœchas, Smyrnium. Gal. lib. 5. cap. 2. 5. & 8.

## Quæ glutinant & cicatricem ducunt.

Aloë, Alumen, Amylum, Aristolochia, Althæa, Anagallis, Bolus armenica, Balaustia, Bdellium, Centaurium, Chamæpitys, Chamædrys, Corallium, Cadmia, Dracunculus, Equisetum, Eupatorium, Ebulus, Aes ustum, Fragaria, Gummi Acaciæ, Glans, Gentiana, Gypsum, Iris illyrica, Isatis, Lolium, Lycium, Lupinus, Mel coctum, Myrtus, Myrrha, Lithargyrum, Eruū, Plantago, Palmulæ, Pentaphyllon, Pumex, Plumbum elotum, Perfoliata, Papyrus usta, Symphytum maius, Sanguis Draconis, Sarcocolla, Stimmi, Sambuci folia, Spōgia, Terra Lemnia, Thus, Tormentilla, Testa oui, Verbenaca, Sandaracha. Gal. lib. 5. simp. 15.

## Quæ flatus discutiunt.

Anisum, Absinthium, Anethum, Apium, Bdellium, Costus, Castorium, Cuminum, Chamæmelum, Cinnamomum, Carcum, Carnabadium, Baccæ lauri, Epithymū, Eryngium, Fœniculum, Galanga, Iuniperus, Inula, Dauci, Acorus, Allium, Lignum Aloës, Maiorana, Nigella, Nux moschata, Origanū, Petroselinum, Iuncus odoratus, Spica nardi, Smyrnium, Seseli, Piper, Ruta.

## Quæ semen generant.

Cicer, Acorus, Nuclei pinei, Fabæ, Ficus, Scincus, Satyrium, Eruca, Galanga, Orminum, Bulbi, Lini semen, Nux Indica. Gal. lib. 5. simp. cap. 22.

Menses

### Menſes mouentia.

Aſarum, Abrotonum, Allium, Agaricum, Ariſtolochia longa, Adiantum, Acorum, Amomum, Abſinthiũ, Artemiſia, Aliſma, Aſphodelus mas, Ammi. Braſſica ſatiua, Bryoniæ radix, Betonica, Cyperi radix, Caſia, Cinnamomum, Coſtum, Calamus odoratus, Caſtoriũ, Capparis, Cicer, Centaurium maius & minus, Chamæmelum, Calamintha, Chamædrys, Caſſutha, Cyclaminus, Dictamnus, Daucus, Daphnoides, Gingidium, Fœniculum, Eryngum, Galbanum, Helenium, Hypericũ, Elleborus uterq;, Heliochryſos, Iuncus odoratus, Iris, Lilij radix, Leucoion, Laſerpitium, Lapathum, Maiorana, Marrubium, Myrrha, Meliſſophyllon, Naſturtium, Nigella, Opopanax, Origanum, Ozimum, Pulegum, Piper, Polium, Petroſelinum, Oreoſelinum, Pæonia, Ruſcus, Raphanus, Ruta, Radix, Rubia tinctorum, Roſmarinus, Smyrnium, Saluia, Sabina, Sagapenum, Seſeli, Serpyllum, Scordion, Styrax, Thlaſpi, Trifolium, Staphylinos, Vitex, Vrtica, Phu, Thymus. Gal. lib 5. ſimpl. cap. 21. Eadem fermè urinas mouent.

### Quæ menſes ſiſtunt.

Acacia, Anthera, Balauſtia, Burſa paſtoris, Cuminum, Coagulum leporinum, Fragaria, Hypociſtis. Cornu ceruinum, Hyoſcyamus, Lycium, Hæmatites lapis, Limonium, Lyſimachia, Myrtus, Nymphæa lutea, Pæoniæ ſemen, Calyces glandium, Rubus, Oxyacantha, Semperuiuum, Symphytum, Solanum, Thus, Vua paſſa cum nucleis.

### Quæ uenenis reſiſtunt.

Abrotonum, Aniſum, Ariſtolochia longa, Abſinthium, Agaricum, Allium, Adiantum, Ammi, Apium, Bdellium, Butyrum, Braſſicæ ſuccus, Bryoniæ radix, Cinnamomum, Betonica, Caſtorium, Cardamomum, Citrei mali ſemen, Chamædrys, Cyclaminus, Carnabadium, Caſia, Coſtus, Calamintha, Eupatorium, Eryſimum, Fœniculum, Gentiana, Galbanum, Iuniperus, Libyſticum, Marrubium, Iuglans, Origanum, Pulegum, Polium, Laſerpitium, Piper, Ruta, Rapi ſatiui ſemen, Terra Lemnia. Gal. lib. 5. ſimpl. med. fac. ca 17.

### Quæ ambuſtis medentur.

Adeps ſuillus, Althæa, Acacia, Aſphodelus, Atramentum ſcriptorium, Alumen ſciſſile, Adiantum, Beta, Corium uſtum, Bulbi Hyacinthi, Liliorum alborum, Cynogloſſum, Cinnabaris, Cimolia terra, Ebulus, Gallion, Gummi Arabicum, Hedera, Hypericum, Helxine, Lactuca ſyluestris, Malua, Morus, Ouum, Plantago, Semperuiuum, Seſamum, Stercus ouillum, Columbinum, Sambuci fŏlia, Thus, Verbaſcum. Paulus lib. 4. cap. 11.

### Quæ leniunt & mitigant dolorem.

Anethum, Abſinthium, Amomum, Acorus, Agallochum, Agaricum, Aſclepias, Atriplex, Cardamomum, Chamæmelum, Caſtorium, Cuminum, Calamintha, Centaurium maius, Chamæpitys, Daucus, Eryngum, Eruum, Fœnum græcum, Iris, Iuniperus, Iuglans, Hyoſcyamus, Linum, Libyſticum, Lupus ſalictarius, Milium, Opopanax, Piper, Panicum, Peucedanum, Petroſelinum, Roſmarinus, Ruta, Siſymbrium, Serpyllum, Sampſychus, Vitellus oui. Gal. lib. 5. ſimp. ca. 18.

### Quæ ſtrumas diſcutiunt.

Adiantum, Aparine, Althæa, Capparis radix, Coriandrum, Fabarum cortex, Iris, Hordei farina, Lens, Lupinus, Lolium, Lapathum, Meliſſophyllum, Laſerpitium, Lithoſpermum, Galiopſis, Naſturtium, Planta gnis radix, Pix liquida, Piper, Pentaphyllum, Scordium.

## DE PVRGANTIBVS ſimplicibus medicamentis.

1. Aloë. 2. Caſia. 3. Manna. 4. Rhabarbarum. 5. Oxyphœnicum, ſeu Thamarindi. 6. Myrobalani. 7. Colutea & Sena. 8. Polypodium. 9. Epithymum. 10. Scammonium. 11. Diagrydium. 12. Agaricum. 13. Euphorbium. 14. Colocynthis. 15. Elleborus niger. 16. Armenius lapis. 17. Hermodactylus. 18. Tithymali. 19. Elaterium. 20. Turpetum. 21. Lathyris. 22. Cnicus. 23. Roſarum ſuccus.

### Aloë.

Aloë eſt optima, quæ Succocitrina dicitur. Datur ʒ. ij. ex aqua mulſa. Non autem uacuat totum corpus, ſed inſidentem ſtomacho, uentriculo & inteſtinis bilem, cum inhærentibus inibi medicamentis citra noxã exigit. Et ſola hæc abſq; moleſtia uentriculum iuuat & confirmat, nec alijs infrenantibus indiget. Danda igitur ijs qui ob exhalationes frequentes exuentriculo, capitis moleſtia afficiuntur, ijſq; qui oculorum ſuffuſionibus eadem de cauſa laborant: nec non quibus lingua & os facilè reſiccantur.

### 2. Caſia nigra, ſeu fiſtula.

Caſia datur unciæ unius põdere, plus minúſue, pro ſumentis habitu, Incandeſcentem torridamq; bilem citra moleſtiam expurgat. Datur ijs, qui ob teneram imperfectamq; ætatem, uel alia de cauſa, deijcientia aluũ medicamenta reſpuunt. Pituitam etiam mediocriter educit. Datur item neceſsitate urgente uterum ferentibus, & ijs quibus exuperans febris reliquorum medicamentorum uſum aſpernatur.

### 3. Manna.

Manna ſeu mel aërium, eandem uim cum caſia habet. Maiore autem pondere, quàm Caſia ſumitur: interdum enim duæ dantur unciæ.

### 4. Rhabarbarum.

Rhabarbarum flauam bilem expurgat. Infrenat eius uim tertia pars ſpicæ nardi, uel cinnamomi, uel maſtichis, uel iunci odorati. Datur cum ſero lactis, uel decocto intybi. Maceratur quoq; in iſdem, uel in ſtillatitio intybi ſatiui liquore, idq; æſtate; aut uino albo odorato, idq; hyeme. Per ſe datur duarum, trium aut quatuor drachmarum pondere. Dilutum uerò & mace-

rectum maiori pondere sumitur, nempe iiij. uel v. uel vj. ʒ. aut etiam plus pro sumentis habitu & uiribus.

## 5. Oxyphœnicum.

Oxyphœnicum seu Thamarindus, flauam expurgat bilem efficacissimè, Arquatis auxiliatur, sitim restinguit. Doloribus capitis medetur, noxios humores, qui in uentriculo superiore coierunt, deijcit. Appetentiam inuitat, Cibi fastidium abigit, Nauseas & uomitiones sedat. Insaniam & furorem mulcet, Cum rheo & casia nigra tertianis febribus prorsus liberat. Ardentibus quoq; medetur. Noxas omnes à calore natas mitigat. Destillationes ex bilis feruore excitatas inhibet. Datur ʒ j.

## 6. Myrobalani.

1. Myrobalani flaui seu citrini corporis æstus refrigerant. 2. Nigri seu Indi, tristitiam discutiunt, quartanas sanant, lepras purgant, coloremq; corporis bonum restituunt. 3. Cepula seu Chebuli, aciem oculorum illustrant, pectus repurgant, coctiones iuuant, aquæ inter cutem, & longis febribus auxiliantur.

4. Empelitici seu Emblici prosunt neruis, & uesicæ, mentis aciem exacuunt, uentriculum purgant, Cardiacis medentur, sitim sedant, fastidia discutiunt, uomitus comprimunt.

5. Beletzica seu Bellirici, eiusdem ferè cum empelitici sunt naturæ, purulentis excreationibus medentur, uenis sedis sanguinem profundentibus, capillorum defluuio, quos etiam denigrare tradunt, ex amygdalino oleo & melle trita. Dantur ij. aut iij. ʒ.

## 7. Sena.

Pituitam & bilem citra noxam trahit: reliquos humores modestissimè purgat: retorridam atramq; bilem, earumq; suffusiones ex Gallinaceo iure depellit. Vetusto capitis dolori, scabici, comitialibus, impetigini succurrit. Datur autem decoctum potius eius quàm farina. Decocti autem datur ʒ 5. Puluerис uerò ʒ. j.

## 8. Polypodium.

Bilem & præsertim atram, & pituitam extrahit. Pondus. Dantur autem purgatæ radicis drachmæ duæ, affusa aqua malsa. Cum gallinaceo iure, uel cum cremore auenæ sanæ cocta radix, mediocriter & citra molestiam aluum ciet. Solent uim eius infrenare odoratis, uidelicet semine Anisi, Zingibere, Garyophyllis, & Cinnamomo.

## 9. Epithymum.

Atram bilem euocat. Vitijs flatu turgentibus, & hypochondriorum noxis opitulatur, quibusq; iecur aggrauatur, & qui spirandi difficultate uexantur. Datur adultis tusum & excussum scrupulorum quinq;, aut drachmarum duarum pondere, cum passo uel aceto mulso, & salis pauxillo.

## 10. Scammonium.

Scammonium flauam bilem euocat, sed cordis dolorem mouet. Datur ijs qui febri uacant, & qui stomacho bene ualent, quibusq; uomitus ægrè elicitur, nec animo facilè linquuntur. Adduntur infrenantia, quæ gratum odorem spirant, & stomachum roborant, ut anisum, mastiche. Datur per se ex melle uel ptisanæ cremore scrup. ij plus minusue paulò.

## 11. Diacrydion.

Diacrydion seu Daerydion, hodie pro Scammonio exhibetur, sed non est genuinum, nec tanta quantitate quanta Scammonium dari tutò potest. Consistendum enim intra 12. grana. Viribus aliàs est ijsdem, sed minori quantitate quàm Scammonium est dandum.

## 12. Agaricum.

Pituitam & bilem, sed non celeriter, pellit. Ventriculo aduersatur, quòd leuitate sua emergens enatet. Infrenatur eius malitia adiecta tertia parte Zingiberis, aut salis fossilis quem Gemmæ uocant. Dantur ʒ. ij. cum aqua mulsa uel oxymelite. Macerati pondus datur ad summum ʒ. v.

## 13. Euphorbium.

Euphorbium pituitam subducit, sed potius aquam. Est autem celerrimum, & maximè ignea ui flagrans. Vnde colicis, & aluum frigidiorem habentibus datur. Cæteros uehementer conturbat. Sitim maximè ciet. Commiscetur nonnihil ex odoratis seminibus, anisо, mastiche, & Spica nardi. Datur ex aqua mulsa. Præstat autem cum melle cocto in catapotia digerere. Datur trioboli pondere. Hodie intra 12. grana consistunt.

## 14. Colocynthis.

Colocynthis pituitam, bilem, humoremq; mucosum purgat. Vnde neruosa corpora peculiariter purgat. Datur conuenienter in omnibus capitis incommodis, orthopnœicis, & similibus. Coxendicum cruciatibus, morbis articularibus, longis renum & uesicæ ualetudinibus. Iis item qui renitentes & præduros concepерunt affectus, sic ut non nisi ægrè possint excuti. Infrenatur uis eius Mastiche & Galla. Datur ʒ. j. pondere cum aqua mulsa.

## 15. Elleborus niger.

Atram flauamq; bilem è toto corpore trahit deorsum, nec tamen citra ullam difficultatem pellit. Datur itaq; febribus circuitu repentibus & longis. Item insanientibus, hemicrania laborantibus. Ad uiscerũ quoq; uteri, & uesicæ purgationem. Maxima uis eius peculiariter educere quicquid sanguini commixtum cum corrumpit. Ideoq; ueteрascentibus arquatis morbis utilis, & quibus in superficie summatim asperitudines emerserunt, uelut lepris, impetiginibus, idq; genus. Elephantia quoq; laborantibus est utilis. Miscentur autem suauitatis gratia quædam ex odoratis seminibus. Datur ex passo aut aceto mulso, ʒ. iij. aut ʒ. j. pondere, aut paulò plus pro corporis habitu.

## 16. Armenius lapis.

Atram bilem, & omnem lentum crassumq; humorem sanguini commixtum educit. Datur itaq; melancholicis, elephanticis, & similibus, nec non in rerum uitijs,

vitijs, & spirandi difficultate, absq; periculo & molestia. Dantur ℈ iiij. plus minúsue.

### 17. Hermodactylus.

Hermodactylus intelligitur hîc nequaquam is, qui in pratis passim nascitur uenenatus, qui aliàs Colchicum dicitur, sed quem Actuarius & Paulus priuatim describunt. Alui deiectionem molitur, & ualet priuatim in articulorum doloribus, cùm humores defluunt. Stomacho autem plurimum aduersatur, Vnde adduntur infrenantia, uelut cinnamomum, mastiche, zingber, aut piper longum. Datur cum oxymelite, scyllitico, aut melle rosaceo ℈. j. pondere, aut paulò plus minúsue, pro sumentis habitu.

### 18. Tithymali, Esula.

Pituitam & bilem educunt. Virentes autem illorum ramuli fictili paulatim torrendi sunt, tritiq; cum polenta ℈. iij. pondere in aqua miscendi bibendiq; sunt. Adduntur autem infrenantia quædam ex odoratis, uelut anisum, mastiche &c.

### 19. Elaterium.

Pituitam & bilem extrahit. Datur ℈. j. s. cum lacte recens mulcto.

### 20. Turpetum, Turbith.

Pituitam glutinosam purgat, longis morbis medetur, quos frigus uel atra bilis attulerit. Item attonitis, comitialibus, insanæ & furori. Infrenant uehementiam eius tertia Zingiberis parte. Datur cum melle rosaceo, uel pæssularum decocto, pondere ℈. j. plus minúsue.

### 21. Lathyris, Cataputia minor.

Pituitam uehementius purgat. Dantur grana eius, maiora quidē quindecim, minora uerò 20. Qui uerò efficacius purgari cupiunt, ijs grana mandenda sunt: Qui autem mitius, integra grana deuorent, præsertim si malo fuerint uentriculo. Dioscorides septem aut octo eius grana sufficere ad purgandum tradit, quod pondus est tutius.

### 22. Cnicus, Cartamus.

Pituitam semen Cnici expurgat, sed non sine molestia. Triti autem seminis ℈. iij. in Gallinacei decocti ius, uel cremorem ptisanæ inditæ & coctæ bibuntur.

### 23. Rosarum succus.

Rosarum succus leniter aluum deijcit. Datur ℈. uel duarum pondere.

# DE PONDERIbus, quorum in Medicinis est usus.

Pondera quibus hodie Medici utuntur, hæc sunt; Libra, uncia, quarta, drachma, scrupulus, siliqua: & hæc quidem à Græcis & Romanis mutuârunt. Præter hæc sunt alia, quæ à Barbaris atq; Arabibus desumpserunt, qualia sunt, manipulus, pugillus, aureus, Kist, Kirath, & Dauic, quorum nominibus Mesuen potißimum uti constat.

Libra itaq;, quæ pondo etiam dicitur, in duodecim uncias diuiditur. Pondo tamen interdum idem quod pondus significare, id quod tum fit, cùm alteri uocabulo ponderis adijcitur. Sim solum ponitur, idem quod libra, quam duodecim esse unciarum diximus, significat. Libra

Vnde errant, qui libram sedecim unciarum, quot sanè mercatoria ac negociatoria est, in medicamentis conficiendis accipiunt. Ea autem illos uti libra, facilè ex quartis colligitur, quibus uncias quatuor assignant, quas si quater sumpseris, sedecim prodibunt unciæ.

Quartam libræ partem Latini quadrantem uocant, sicuti tertiam trientem, sextam sextātem. Quadrāns itaq;, uel ut nostri loquuntur, quarta, pondus existit trium unciarum. Triens uerò quatuor, ueluti sextans duarum unciarum. Atq; hinc error patet eorum, qui in conficiendis medicamentis triente pro quadrante utantur. Porrò uncia octo drachmas constituit. Drachma scrupulos tres. Scrupulum uerò, qui Græcis γράμμα dicitur, quasi primum ponderis elementum, nonnulli scriptulum etiam nominant. Habet uero obolos duos. Obolus pendet siliquas, quæ Græcis κεράτια dicuntur, tres. Siliquæ itaq; sex grana scrupulum pendent. Vnum uerò siliquæ granum sex lentis seminibus, pondere respondet, quæ si sexies sumpseris, prodibunt in uniuersum triginta sex, quæ scrupulum constituunt. Quadrāns Vncia. Drachma Scrupulū. γράμμα. Obolus. Siliqua,

Hæc sunt pondera, quæ Græcorum Medici etiam usurpârunt. Sed inter ea quibus Arabes, & recentiores usi sunt, primum est Manipulus, quo intelligunt herbarū fascículum, qui manu comprehendi, aut quem manus amplecti potest. Pugillo autem perperam pro pondere utuntur recentiores, cùm sit diminutiuum potius á pugno qui compressis fit digitis. Aureus illis pondus unius drachmæ cum dimidia significat. Dauic pondus sex granorum. Kirat uerò trium. Manipulus. Pugillus, Aureus. Dauic.

## Ponderum notæ.

| | | |
|---|---|---|
| Grani | Nota est | G. ein gren/oder gerstenkörnlin schwer. |
| Scrupuli | | ℈. ein scrupel/ein drittheyl eins quintlins. |
| Drachmæ | | ʒ. ein quintlin/oder gulden schwer. |
| Vnciæ | | ℥. ein vntz/ist zwey lot. |
| Quadrātis | | q̄d. ein quart/ vier lot. |
| Libræ | | lb. ein pfundt. |
| Semis | | s. ein halb. |

# ANNOTATIONES
## quorundam capitum.

Folio 36. In capitibus de acere & Platano, figuræ transpositæ sunt. Aceris enim figura est ad sequens caput de platano referenda, rursus Platani figura, ad præcedens caput de Acere.

Folio 77. d. Lithospermon maius planta est appellata ad ueri Lithospermi differentiam, quod describitur fol. 221. in fine, & Milium solis aliâs dicitur. Porrò figura in præsenti hoc capite, est figura alterius, hoc est, ueri Lithospermi.

Folio 106. Prima posita figura de Lotis syluestribus pertinet ad primam & secundam speciem. Secunda uerò figura, ad tertiam & quartam. Quintæ speciei figura est posita in sequenti capite de Fœno græco, cuius est species. Tertia figura pertinet ad septimam speciem, quæ Edler Steynklee dicitur. Quarta uerò figura sextam speciem respicit.

Folio 112. Prima figura Calaminthæ est primæ speciei, secunda tertiæ, tertia secundæ, quarta quartæ.

Fol. 113. Prima figura est Menta crispa, secunda est acuminata, tertia est rubea. Quartæ uerò speciei est, quæ Fuchsio Hertzkraut dicitur.

Folio 128. figura in capite de Malobathro non cõuenit.

Fol. 131. Alteram ibi positam & descriptam plantam, Germani etiam uocant Frawenmintz/ & Pfannenkraut/ quòd placentis quæ in sartagine ex ouis & farina assantur misceatur. Nonnullis etiam Menta dicitur Sarracenica.

Folio 142. Prima in capite de Arnoglosso, figura est referenda ad tertiam speciem, ea dicitur Germanus breyt Wegrich. Tertia figura pertinet ad primam speciem, uidelicet maiorem, & dicitur hæc prima species seu maior, Germa. simpliciter Wegrich/ item rot Wegrich/ & groß Wegrich/ Plantago aquatica etiam Barba Syluana appellatur.

Figura de echio posita in principio folij 144. est species syluestris Buglossæ, quæ locis fabulosis nascitur, foliis quàm in reliquis speciebus minoribus, hirsutis, flore albo, radice longa, cuius cortex rubet, hancq; naturã habet, ut pinguedini intritus mollescat, & rubore suo tingat, secus uerò in aqua. Valerius Cordus alteram Anchusæ apud Dioscoridem speciem facit. li. 4. cap. 22. Germa. Wild rot Ochsenzung. Latinis Buglossa rubea dici potest. Vires radicis corticis sunt ad sistendum sanguinem.

Minoris Thlaspi figura folio 160. c. prætermissa est: est autem ea quæ hic apposita est.

Porrò minoris Thlaspi est altera quoq; species, foliis quoq; admodum minutis, angustis, ramulis innumeris, quibus copiosum semen, Nasturtij modo, sed minoribus ualuulis, adnascitur, German. Beetsemkraut etiam uocant, odoris ualde fortis. Hanc carnibus appositam aut appẽsam, uermes in ijs generari prohibere certò affirmãt.

Folio 171.

Folio 171. secunda figura capitis de Veratro nigro, est in Staphide descripta, Germanis Rödel dicitur.

Est autem pro hac ipsa reponenda haec subiecta hìc figura, quæ Veratro depicto adulterino non est multum foliis dissimilis, & Germanis Schlangenwurtz appellatur, Consiligni accedens Plinij.

Folio 218. a. secunda hìc posita figura est Eupatorium dictum Mesue, herba duos aut tres palmos alta, caule rotundo foliis ferè Centaurij minoris, sed maioribus minutim incisis, florem in umbella fert luteum, amaranthi instar lutei, odoris fortis, gustus amari. De Eupatorio adulterino, uide folio 242.

Secunda figura in capite de Scolopendrio, fol. 225 posita, dicta Wilzkraut / Arabibus & Officinis plerisq; appellatur Ceterach.

Folio 243. d. Figura posita est Rubia sylvestris. Sativæ uerò rubiæ figura est hæc.

FINIS.

FRANCOFORTI Apud Christ. Egen.
Anno M. D. LI.

# CASTIGATIONES QVORVNDAM locorum.

Fol.3.b.li.15.lege audent. Ibid.d.li.3.ſine fruge. Ibi.li.8.Dardaniæ. Fol.4.d.lin.1.radito. Ibi.lin.10.uimine. fol.7.b.li.4.inſeri poteſt. ibi.c.lin.1.lege,uiſcera mutans. ibi.d.lin.7.tenere larem. fol.9.d.lin.1. occludito. Fol.11.d.lin.18.ſumpto. fol.14.b.lin.1.Crania. fol.17.c.li.6.urinam cient. fol.20.d.li.2.nullſam. fol.28.b.li.antepen.lege,uiuiradice. ibi.d.lin.9.lege,Succus ex. fol.29.c.lin.3.quæ ordine. ibi.lin.4. Pineæ. fol.31.lin.16.ſcrupuloſa. ibi.d.lin.8.utilis. fol.32.lin.17.Gonorrhœam. ibi.d lin.1.Reliquas. fol. 42.lin.9.germinibus. ib.lin.21.ani. 45.d.lin.16.Gonorrhœæ. 50.lin.16.ex ligno. ibi.b.lin.15.uel ouæ. 52.b.li.16.Τόοσον. ib.c.lin.2.pro cohibere,lege,laxare. 54.c.lin.10.membrorum. ibi.d.li.14.Ariſtolochiæ. 57.c.lin.11.falcatas. 58.li.18.inuicta. 61 a.li.3.Gonorrhœam. 67.b.lin.16.Pancratio. 67.in capite de Chamæleonte ubiq; leges obliquos eius nominis,per t. 77.lin.13.lege,menſes. fol.78.c.li.14.acerbam, & amaram. 80.d.lin●.dele,tertium potius. 82.c.lin.5.lege,aquæ,uſq; ad duas. 87.c.li.14.potius crocea. 91.c.lin.6.ſatus. 92.lin.15.frigidorum Maiorum. 93.d.lin.8.ſatum. 94.b.li.3.lege,eſt ipſi. 95.c. lin.15.reſpuat. 99.d.li.18.lege,contra malam capitis ſcabiem. 101.li.19.ſupini. 112.c.lin.5.lege,guſtu. 118. c.lin.5.& χαῤᾶς. ibi.d.lin.8 peripneumoniacis. & li.17.ſugillatis. 119.d.li.1.contentus ſit. 122.b.lin.5. ſecundas. 126.a.lin.17.graciliores & minores. 127.b.linea penult. Ferarum. 129.c.lin.9.poſt,Rutæ, addendum eſt: quæ ſoli obuerſa foraminibus plena uiſuntur. & lin.19 apoplecticis. 131.a.lin.19.adde,& Frawenmüntz. ibi.b.lin.6.adde, Mentham Sarracenicam hanc aliqui uocant. 131.d.lin.17.dele,& ſtranguriæ. 132.c.lin.5.lege,cum aqua roſacea. 138.c.lin.18.lege,Sagminalis. 153.c.lin.4.proſitim, lege tuſsim. 161.d.lin.15.quarta. fol.172.c.Verſus ibi citati ſunt Lucretij lib.4. 177.lin.2 Heracleæ.178.a.lin.15.precioſior. 188.d.lin.ult.Klein fol. 191.b.lin.5.Rapa. 196.d.lin.18.Veruccum. 203.c.lin.9.lege,ramoſam. 213.lin.4.Cuccumeres. 214.lin.19.dele,& Elaterium. ibi.d.lin.9.uel irino. 225.c.lin.14.adde, Arabes & pleræq; officinæ uocant Ceterach. 236.b.in titulo capitis,lege Apium paluſtre. 238.b.lin.11.lege,grumos. 242.b lin.16.ex philtri. 245.d.lin.17.poſt prædictus,dele punctum. 249.a.lin.16.lege,Peluſiaca. 255.d.lin.9.lege,Gemmeæ. 259.b.lin.15.lege,radice. 262.c.lin.21.lege,Cardamomum. ib.d.lin.16. Cardamomo. 270.a.lin.1.coctum. 271.d.lin.7.lege calculi. 272.d.lin.10.ſtæq. 274.c.lin 6.niger. 277.c.lin.13.eaſdem.278.b.lin.11.diſtillatum. 279.b.lin.15.lege iecore. 281.d.lin.16.aëripedes. 285.b. lin.11.quadrupes. ●99.a.lin.19.Cornibus. ibi.b.lin.6.teneræ. 312.b.lin.7.lege certus.

FINIS.

OCN 1090151O